6
19–c
14

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 C
48

Bibliotheca
ori Coll. Rom.
Societ. Jesu

~~21-9-15~~

21
1
85

6.-19. c.14

Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Ang.l Oddi Parm. delin.

Francia Bonon. inc.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

THOMÆ RAVASINI

PARMENSIS

SILVARUM LIBER I.
ANACREONTICORUM II.
SERMONUM I.

Item reliqua opera poetica antehac edita; nunc ab ipſo authore recognita, emendata, & aucta.

Sereniſſimo Principi, ac Domino

FRANCISCO

FARNESIO

PARMÆ, ET PLACENTIÆ DUCI VII

D.

Parmæ Typis, & Sumptibus Pauli Montii Typographi, & Bibliopolæ. CIↃIↃCCXII.
Superiorum facultate.

SOC IESV BIBL SEC COLL
IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Sereniſſimo Principi, ac Domino

FRANCISCO

FARNESIO

PARMÆ, & PLACENTIÆ DUCI VII.

Thomas Ravaſinus Felicitatem P.

Q*Uære mihi, dixi, ſupremum Muſa Patronum,*
Inclyta Pieriæ quem tangat gloria laudis:
Eximium patriæ qui nobilitatis honorem
Fortibus ex atavis deducat, ab indole famam,
Virtutemque ſua; quem ſi decoraveris apto
Ornatu laudum, non ſint hortamina laudes;

Exemplar

Exemplar ſed morum, & imago ſimillima Veri.
Illum Majeſtas, quanta eſt in Regibus, ornet;
Quam manſueta tamen Clementia temperet: Urbes
Præterea, & populos æquata lance gubernet,
Pulchraque proponat benefactis præmia, pœnas
Inſligat ſceleri: tanto ſub vindice noſtros
Pax habitet fines, quò dulcia condere detur
Carmina ſecuris belli, cladumque poetis.
Nondum finieram, cùm talia Muſa reponit.
Ulterius nihil eſt, quòd te nova cura fatiget:
Ignotum pingis dum laude Heroa, Patronum
Inſcius ipſe notas; Meus idcircò addere nomen
Eſt tantùm labor: omnigena quem dote decorum
Quærebas, Franciſcus erat: quæcumque beatos
Efficiunt diviſa, ille imo in pectore ſervat
Condita, & ingenuas animi bona culta per artes.
Dixerat. extemplo jucunda accingor ad orſa
Votivaſque tibi, Farneſi, inſcribo papyros,
Victuras luſtris tua per decora alta futuris.
Quòd ſi fortè meis majora periclitor auſa
Viribus, & tantis videor conatibus impar,
Non mea, ſed noſtræ fuit hæc audacia Muſæ.

SILVARUM
LIBER I.

In Viridarium nuper Colurni excitatum à

FRANCISCO I.
FARNESIO,
PARMÆ, ET PLACENTIÆ DUCE VII.

SILVA.

Haud procul Eridani ſedet arx pulcherrima ripis
Auguſtis certare potens, atque æmula Regum
Sedibus; huic veteres nomen fecere Colurnum.
Circùm frugiferos Ubertas læta per agros
Regna tenet, ſemperque novas è divite cornu
Fundit opes; nec populeas procul explicat umbras
Heliadum nemus ærumnas Phaetontis amaras
Perpetuis deflens lacrymis, quas concolor auro
Excipit electrum, pretiumque doloribus addit.
Hìc patrii quandoque graves deponere curas
Imperii Franciſcus amat, rerumque moleſtum
Intermittit onus; levat & producta diei
Tædia, ferventi cum Sol violentior æſtu
Incubuit terris; utque alto Principe digna
Majeſtas è parte ſibi reſpondeat omni,
Nuper regificis ſtuduit magna addere tectis
Ornamenta, novos meditatus ſcilicet hortos,
Sebethi quibus ora, quibus Corcyra priores
Deſerat, & veteris cedant conamina faſtus.

Atque

Atque ea dum totum vulgatur fama per Orbem,
Verſaliis ſacer interea qui præſidet oris,
Qui Tiburtinis Genius, qui florida Tempe
Parthenopes, Romana ſimul viridaria curat,
Quiſque opibus certat miranda in Principis orſa
Conſpirare ſuis; quin ambitionis amore
Maxima fingendis optant exempla viretis
Sufficere, & poſitis imitamina tradere formis.
Effigies ergò, quorum eſt ſibi tradita cura
Componunt hortorum, alacreſque per aera vaſtum
Ad Farneſiadem varia ſub imagine mittunt,
Quæ vigili ſeſe inſinuent, mentique figuras
Admoveant, operis ſpecimen, normamque futuri.
Nec mora: mille volant agili tenuiſſima motu,
Crebroque excurrunt gyro, & ſimulacra recurrunt
Franciſci antè oculos, & qua datur arte, decorem
Oſtentant, laudantque ſuum; quam Gallia miſit
Proſilit ante alias, & ſe commendat imago:
Parthenope tentat reliquas anteire ſorores
Ingenio confiſa ſuo; Sed Martia Roma
Eminet, & priſca ſe majeſtate tuetur.
Indè alia, atque alia indiſcretis agmina ſignis
Mixta ſuperveniunt: Sed enim Prudentia primis
Uſque tibi, Franciſce, comes fidiſſima luſtris
Diſcrimen digito facit indice, pulchraque luxu
Separat à nimio, nec non quæ vilia, damnat
Averſo, placidoque admittit honeſta: ſaluti
Proſpicit illa etiam populorum, & dividit illis
Delicias Domini, privataque commoda librat
Lance pari, ſumptuque hortos ingente parandos.
Atque hæc regali Prudentia monſtrat alumno
Nota addens documenta: ille imo in pectore dicta
Condit, & accepta dimenſus ſingula norma

Conſilii, ſignata ſibi confinia ponit
Nequicquam abludens recto: tum accingitur orſis
Magnanimus Farneſiades, operaque perenni
Urget opus. Domino manſueſcit ſponte locorum
Officioſa ſuo Natura, altique laboris
Promovet incrementa: At non ars æmula parcit
Viribus ipſa ſuis; quin ſe concordibus ambæ
Incendunt ſtudiis, adiutriceſque miniſtrant
Magna ad cæpta manus: fæcunda illa indole glebas
Donat, & indociles ventorum mitigat iras:
Altera clementi Cœli, terræque favore
Freta, locat curas, atque ordine digerit omnes,
Quæ teneris plantis, quæ floribus indè ferendis
Conveniunt; jubet illa feros miteſcere ſoles,
Quæque ſui fuerat ſucci prius indiga, terræ
Sufficit humorem: jubar hæc ad lene diei
Diſponit plantas, quo ſpem variabilis annì
Antevenire queant, & aquis tellure remiſſis
Prolicit aſcenſum tubulis per mutua nexis,
Marmoreaſque inter conchas docet edere luſus
Mille voluminibus: nec longum tempus: amæno
Mira loco novitas, forma ſpectabilis ipſa
Additur, ambarum ſtudio certante ſororum:
Jamque ſuo videas diſcretas ordine ſenſim
Vernare areolas, frutices conſurgere: mollis
Hìc roſa purpureum conſpecto Sole colorem,
Hìc ferrugineum ducunt violæ: exerit illìc
Excelſum caput, atque alio ſub nomine Phæbum
Heu Clytie infelix etiamnum pergit amare.
Non Anemona deeſt, ſua quæ natalia ventis
Debet, non priſcos recolens Hyacinthus amores,
Narciſſuſque: alto ſe caudice lactea tollunt
Lilia, contentæ breviori emergere gaudent

Flo-

Florentes Tulipæ: ſed quid vulgaria pingens
Verſibus extenuo pretioſi veris honores?
Ignotas huc ſiccus Iber, huc decolor Indus
Tranſmiſit ſtirpes Domino à meliore colendas.
Nec tantùm ſpecioſa loci ſibi gratia conſtat
Floribus è variis; multum quoque læta decoris
Adiungit Pomona: in vaſis conſita partim
Frondet inauratis, partim ſe pariete tendit
Arbor odoratis ſemper ditiſſima pomis,
Quæ ſi nativo ſpectes illuſa colore,
Heſperides miſiſſe putes, tactuque beato
Mutaviſſe Midam; neque enim hìc ignobile pomum
Ullum nomen habet; fætu beneolente gravatur
Sola Citrus, ſola & curvatur Medica malus.
Parva loquor: quà lata patent ſegmenta viarum,
Et mille, & plures pario de marmore ſurgunt,
Quales Lyſippi finxiſſet dextra, figuræ:
Stat ſpicis redimita Ceres, ſtat Jacchus opacos
Oſtentans manibus, ſua munera nempè, racemos:
Fert in candidulis, aut credas ferre caniſtris
Ver roſeos flores, nam ſæpè inducitur arte
Naturam ſimulante oculis gratiſſimus error.
Inſurgens in vulnus atrocem obtruncat Echidnam
Amphytrioniades, ſuaque illam creſcere jures
Per damna, ingenium ni immobile marmoris obſtet,
Nativuſque rigor: parcentia fulmina mittit
Juppiter, explicitis volucer Cyllenius alis
Molitur, quos non datur alternare labores,
Intorquetque ſuam Mavors innoxius haſtam.
Inſuper innumeræ ſaxo è candente columnæ
Suſtollunt capita alta, quibus viridante metallo
Formata incumbunt, patulum & ſinvantur in arcum
Ducta ſuper convexa: utrinque adrepere gaudent

Frondentes tiliæ, atque moras ætatis iniquas
(Cui creſcant, noviſſe putes) prævertere certant.
Sed non Smyrna ſuas circùm mea tempora lauros
Si nectat, Mantoque ſuas, molimina tanta,
Singula facundo percurrere carmine poſſem.
Ne pretioſa tamen diſperdere tempora credas,
Si quandò excultis Princeps ſpatiatus in hortis,
Ipſe ſuum meditatur opus: ſi lenè ſevera
Viſa roſa eſt, ſpectata ſubit Clementia, vultu
Obvia feſtivo quicumque acceſſerit inſons.
At rigidis armata rubis, & vindice pæna,
Si ſonti quis adire manu temerarius auſit.
Tota in liligero ſervatum ætate pudorem
Gratatur ſibi flore; in Citro ſæcula centum
Viſura divùm immortales concipit annos,
Ceſſuroſque videns una ſub luce colores
Computat humanæ labentia tempora vitæ:
Egregias quoque ſigna videns referentia Grajùm,
Hiſtorias, factis committit achiva latinis,
Magnorumque virùm monumenta antiqua revoluens
Grandia præſumit certis imitamina votis:
Hic tibi mos fuerit, Franciſce; arrideat horti
Forma aliis, & ſuave halans demulceat aura;
Pondera vel minimis tua dent ſolatia rebus.
Fortè aliquis varios colles mirabitur, undè
Liber longinquas pateat proſpectus in oras:
Ille altis contra Cœlum affectantia ramis
Laudabit nemora, at felicibus alter in agris,
Quæ viſum oblectent, plantas optabit amænas:
Hac etiam de parte venit quæſita vireto
Gratia, conflatuſque decor; namque ardua viſu
Infrà ſubjectos ſpectant palatia campos;
Quaque datum portis iter exit, aperta viarum
Im-

Immani excurrunt ſpatio, quæ vincere longo
Si vellet curſu haud intermittente laborem,
Aura fatigatis metam contingeret alis.
Adde quod in morem gracilis ſuccinta Cupreſſus
Hinc, atque hinc recto ſe porrigit ordine frondens
Populus, adſtricta metis concordibus umbra
Allectura oculos: olim ſi talis iiſſet
Fuſa per Argivos lato via limite campos,
Illìc æriſono voluiſſet Græcia cæſtu
Pugnare, & currus in equis agitare ſonantes,
Victrices latura heroum præmia palmas.
Parte alia exoriens quà Sol ſubit æthera, tractu
Quadrifido diſtincta viret lætiſſima Silva:
Hac videas de parte ornos ſubmittere celſos,
Illà grandævas ramos expandere Quercus:
Non humilis Tamariſcus abeſt, non alnus aquoſas
Eridani viſura hyemes; ſub tegmine parva
Arboreo ſe ſubiiciunt virgulta, & opacam
Planitiem denſo prætextu frondis inumbrant.
Umbroſos cùm te primùm luſtrare receſſus,
Farneſi, vidère, comis nemora alta reflexis
Applauſere; omnes quin fama eſt undique plantas
Quamque ſua voluiſſe tibi de fronde coronam
Nectere, & emeritum capiti circumdare ſertum:
Quamquam ſiqua foret quæ tantum ambiret honorem,
Una ſibi hæc ſolùm ſperaret premia Quercus.
Nam ſiquidem propiora inter diſcrimina vitam
Servati agnovere tuo de munere Cives,
Sola tibi è querna debetur ſtirpe Corona.
At tu ſollicitos Domino relevare labores
Apta tuo ſedes, & rerum demere pondus,
Otia blanda fove, ſtudioque illius amica
Obſequere, undè ſalus, & publica commoda pendent:

Invidia procul, & bellorum intacta furore
Tranquillos decurre dies, nitidamque juventam
Semper age, atque tuo cum Principe tarda ſeneſcas.

Poſt perluſtratum Colurni viridarium,

JOANNI TAMANIO

In Aula Farneſiana Ephæborum honorariorum Præfecto.

EPISTOLA.

Poſtquam regales Franciſci inviſimus hortos,
Joannes, cui Principibus non ultima laus eſt,
Et Muſis placuiſſe, mihi pulcherrima mentem,
Atque novis diverſa modis informat imago:
Pendula nimirum ſubeunt pomaria, quondam
Phæacum in cultis fama celeberrima ſilvis:
Deliciæ ſubeunt quales Lucullus in Urbe
Finxerat, accitis ab eoo ſtirpibus orbe:
Viſa minor laus eſt, quæ Surrentina colorat
Artifici ſermone, ſimul Verſalia rura:
Non ſua componant noſtris Viridaria Nymphæ
Benaci, toto facientes ſemper in anno
Ver ſibi perpetuum. tantis quoque maxime Lari
Deficis exemplis, patria licet uſque relicta
Heſperides migraſſe tuas dicantur in oras.
Haud tamen hæc animos ſolùm miracula noſtros
Diffinxere; mihi eſt ſubitò vis addita major,
Ex quo te licuit, Farneſi, cernere; nam tum
Miras effigies, mira & ſpectacula vidi?
Plurima namque vident vates abſcondita vulgo.

Te

Te circùm comes adſtabat Sapientia, nec non
Spectans ſepoſitum Prudentia cauta futurum.
Juſtitia ancipites æquali examine lances
Librabat, tacitumque tuo pendebat ab ore:
Fortibus addebat factis Clementia blandam
Temperiem; at Farneſiadum dabat aurea jura
Deſuper aſſiſtens Genius, cœloque remiſſas
Volvebat ſortes, & non mutabile fatum.
Nulli viſa priùs ſupremi exempla decoris
Mirabar; pavidiſque hærebam obtutibus; at me
Dulcis amabilitas, quæ magni Principis ora
Circunſtat, radioque genas hilarante ſerenat,
Rumpere facunda dedit alta ſilentia voce,
Atque ſuo noſtras nutu ſuadente loquelas
Addidit arcanas grata ad molimina vires.
Quòd me Franciſci clemens favor extulit, undè
Aſpectus placidi mihi copia facta, graviſque
Alloquii, dulciſque ſimul, dilecte Tamani,
Munus id omne tuum eſt: noſtros nam hortamine crebro
Excibas animos, & pulchrùm audere docebas;
Dignoſque auguſta pingebas indole mores,
Excolit in tanto quos inclyta Principe Virtus.

ABSENTE PRINCIPE
PARMÆ DESIDERIUM.

Parodia paraphraſtica Ode V. Libri IV. Horatii Flacci.

AUſpiciis ingreſſe bonis in luminis oras.
Farneſi, cujus pernox cuſtodia gentes
Soſpitat advigilans in publica commoda, mæſtos
Longa nimis torquet tua dudum abſentia Cives:

Quare

Quare age, Parmenſem reditum haud invitus in urbem
Maturare velis, grataeque oſtendere vultus
Dilectos patriae, qui veris amabilis inſtar
Tempora diſcuſſa placidiſſima nube reducunt,
Et roſeos Soles meliori luce colorant.
Ut natum mater, quem toto longius anno
Africus in mediis luctantem fluctibus arcet
Aſpectu à dulci patriae, amplexuque parentum,
Ominibus, precibuſque vocat, noctuque, diuque
Advertit triſtes vicina ad littora vultus;
Sic Domini deſiderio perculſa fideli
Abſentem maerens Franciſcum Patria quaerit.
Tutus enim praeſſa Taurus laſcivit in herba,
Faecundat Ceres arua, & felix copia ditat,
Eridanoque volat ſecurus navita, tecto
Nec canam mala culpa fidem circumvenit aſtu.
Caſta domus nulla violatur labe, ſceleſtum
Edomuere nefas rata lex, intactaque morum
Conſuetudo; probat ſimili ſe prole pudica
Mater, & inſtanti urgentur ſcelera impia poena.
Quis miſſas paveat diverſo ex Orbe catervas
Franciſco incolumi, vel quos Germania partus
Protulit, Italiae cladem, exitiumque ferentes?
Quis Gallos, vel quis jam triſtia praelia curet,
Quae fera conſertis committit Iberia ſignis?
Quiſque ſuos claudit ſoles in colle paterno,
Et viduas Ulmos adjuncta vite maritat;
Hinc ad feſta redit convivia laetus, & omen
Te felix menſis adhibet, crebramque propinat
Libato cratere tibi, Franciſce, ſalutem.
Nec ſinit interea ſibi tempora fauſta precari
Vindice te, fuſo praeſumens gaudia Baccho:
Utque olim praeſens poſcebat Graecia numen

Her-

Herculis, & caro fratris Polluce redempti,
Sic fidens rebus te gens implorat in arctis,
Et ſibi ſpem certam inter dura pericula ponit.
O' utinam longùm, quæ nunc facis, otia ſerves
Emiliæ: ſicci ſub eoo dicimus ortu,
Dicimus, & madidi cùm Solem veſper obumbrat.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN.

In Ruſticationem Salenſem

ANTONII FARNESII
SERENISSIMI PARMÆ, ET PLACENTIÆ DUCIS FRATRIS.

SILVA.

TU' quoque carminibus nomen memorabile noſtris
Rus Salenſe dabis; nam poſtquam ardente ſub anno
Seceſſu Farneſiadem componis amico
Exceptum, incolumemque ſtudes ſervare per æſtus,
Accedit nova fama tibi, & nova gloria ſurgit.
Nec tamen his præceps te caſus honoribus auxit,
Aut inconſulto Princeps tibi favit amore;
Frugum es villa ferax, es dotatiſſima forma,
Qua nec laudari, nec amari dignior ulla.
Scilicet innumeris infra te vitibus umbrat
Conſita planities, & ubi clivoſa patentes
Terra ſupercilio campos clemente ſupinat.
Te ſpecies ornat læti viridiſſima prati,
Semper aqua felix indeficiente, ſuoſque
Vere novo educens, ſimul ipſa æſtate colores.
In medio ſpatium porrectum more viarum
A' dextra, lævaque ſatis diſtinguitur ulmis:

Hic

Hìc ſua tranquilli poſuere cubilia venti,
Præcipuè Zephyrus, quo non ſolertior alter
Mille ciere inter frondoſa cacumina luſus:
Nam modò pacato ſimilis ſibi temperat, ira
Commotum modò ſe ſimulat, pulſuque frequenti
Inſultat ramis; Euros mentitur eoos
Sæpè lævi ſtridore, Auſtrum quandoque tepore
Nulla ſed exercet magis illum induſtria, ſera
Quàm cùm te luce, Antoni, primove ſub ortu
Adventare videt; tunc ſe majore paratu
Inſtruit, & tentat, ſi poſſit fortè novellas
Fingere delicias: Domino tum ſubter ituro
Verrit humum, atque udas ſubſternens deprimit herbas:
Inſilit in frondes, & ſolibus obiicit illas,
Dilectos populis auſint ne lædere vultus,
Mollibus halitibus quos afflat odore recenti
Imbutis, Arabumque leves redolentibus auras.
At ſummo qua manè novum procedit Olympo,
Sollicito labens errore Vagantia ripas
Alluit, atque cavo latè ſe expandit in alveo,
Undè celer ſummas viſus procurrit in alpes,
Undè caput tollens pater Appenninus ad aſtra
Cernitur, & ſurgens animoſo imitamine Spurnus.
Infrà demiſſo centum ſe vertice montes
Subiicere, in tumulos mox & deſcendere parvos
Aſpicias, variumque ſitum, & prærupta locorum,
Diverſa, atque una componi denique forma,
Collis inæquali ſe ſubducente figura.
Irriguum propter conſurgit ſilva fluentum,
Junipero viridante frequens, & vitice lenta:
Non quercus abſunt divùm olim fata locutæ,
Non quæ mobilibus præbet ludibria ventis
Populus, herculei monumentum inſigne triumphi.

His

His dominam fama eſt Nympham latitare ſub umbris
Nulli unquam viſam, nec quæ de cortice avito
Prodierit, niſi fortè tui dulcedine cantus
Excita, Pieridum cultor Spinelle Sororum.
Hæc, quoties vitreas Princeps ſpatiatur ad undas,
Venatuvè feras agitans ſecreta comantum
Pervadit nemorum, & frondoſa cubilia luſtrat,
Dividua toties profert ex arbore frontem
Conſpicuam, pulchros & majeſtate ſerena
Obſervat vultus, nec ſe ſe explere tuendo
Uſque poteſt; quin ſæpè illum juga ſumma petentem
Voce ſequi fama eſt; ah ne tibi vepribus, inquit,
Incurrant ſepes, ah ne per iniqua viarum
Iniiciant fragiles operoſa negotia rami,
Hybernam ſed enim cùm Princeps cogitat urbem,
Ruraque frigoribus linquit tentata novellis,
Tunc mæſta varias effundit voce querelas;
Felices & ruris, adeſt cùm regius hoſpes,
Laudat delicias, felicia nominat arua;
Infauſtas modò ruris, abeſt dum regius hoſpes,
Dicit delicias, vocat infelicia prata:
Spe reditus lenit tamen, attenuatque dolorem,
Utque favor tanti, diuturnus & hoſpitis uſus
Contingat longùm, ſæcla illi Neſtoris optat,
Et deſideriis æternos fabricat annos:
Inſuper egregia meritum virtute paratum
Extollit, caramque audax decerpere vitam
Siſtere conatur laudum pulchro obiice Tempus:
Namque novos enarrat, uti propè totius orbis,
Et regum pariter ſibi conciliarit amores:
Tybri pater teſtis, tuque ò facta inclyta Magni
Sequana qui numeras totidem labentibus undis:
Teſtis eris Tameſis, nec non jam mollior Iſter,
Inge-

Ingenii captus clementis ab indole, velles
Ut ſic eſſe tuos (ſineret ferus accola) mores.
Nec minùs innumeris factum memorabile luſtris
Commemorat, vaſtos quando expatiante per agros
Eridano, ſtragemque viris, precorique minante
Omnia flumen erant: quas tum violenta ruinas
Tempeſtas undarum, & damna immenſa tuliſſet,
Ni rebus præſto adveniens Antonius arctis,
Infandam cladem armentis, lethumque, famemque
Genti avertiſſet, jam jam vicina timenti
Funera? circumfuſa Padi qui flumina potat,
Entia quos celeri, quos Parma interluit amne,
Delatam teſtantur opem. diſcrimina mater
Narrat ſervatis etiamnum pallida natis,
Vitalemque illos de munere Principis auram
Reſpirare monet, vitataque fata recenſet.
Talibus atque aliis abeuntem Heroa diſerta
Proſequitur Nymphe, & verſo redeuntibus orbe
Solibus æſtivis ubi rus Salenſe reviſit,
Mille redorditur fæcunda ab origine cauſas:
Interea magno de Principe quidquid adumbrat
Vocibus illa ſuis, attenta colligit aure,
Dein reliquis narrat montana ſororibus Echo;
Illæ populeæ ſcribunt in cortice plantæ;
At mihi victuris cura eſt mandare papyris,
Perque omnes, qua Sol ſe condit, & exerit undis,
Ferre plagas, undè ingentem virtutis amorem,
Præclarique exempla petant inſignia Reges.

Ob

Ob Pacem in ditione Parmenſi ſervatam.

SILVA.

IMmenſo quacumque diem Sol dividit orbi,
Efferus admiſſis Mavors errabat habenis;
Nec Pax incertas ubi figeret anxia ſedes,
Solamen cladum, nec quod ſperaret, habebat.
Æmilios tantùm fines, ubi jura modumque
Dat populis, pariterque ſibi Farneſius, ægra
Penè malis veniebat; ibi deponere pondus
Conſuerat curarum, & ſpes revocare fugaces.
Atque ubi res verſo meliùs procedere vultu
Diſſidiis procul, & belli flagrante tumultu
Vidit, in his tandem voluit conſidere terris,
Tacta loci, dominique magis genialis amore.
Diverſa tamen illa dies traducit euntes,
Partiturque mora; modò nam verſatur in aula
Supremos inter proceres, fruiturque ſereno
Principis aſpectu, modò templa auguſta frequentat,
Magnus ubi factis Oliatus, & ore diſerto
Informat populos, ſtudioque incendit honeſti.
Sæpe illam nemorum delectat amabilis horror,
Luſtraque, convalleſque, & euntibus humida rivis
Prata: ſuo pariter tunc & de more ſedebat
Rivi perſpicuam præterlabentis ad undam,
Cùm noſtram ſumma ſuſpenſam vidit ab ulmo,
Suſpenſam dilectæ in funere prolis avenam.
Nec mora: non ſolitos ad parva foramina tactus
Admovet, atque novos cantus orditur, & unà
Cantibus

Cantibus emiſſos concordat arundine ventos:
Perque tuos primùm Farneſi excurrit honores,
Inde tuos Joſeph. tua quis benefacta rependat
Vocibus, ajebat, condignaque carmina ſolvat
Heroum, Franciſce, genus? dum ſæva per orbem
Bella tonant, nobis indulges otia, quæ non
Cladibus in tantis, unquam ſperare licebat.
Otia nos agimus; tu grandia pondera contra
Imperii geſtas, nutriſque in pectore curas,
Secura undè ſalus populorum, & publica pendent
Commoda. quæ diros alibi conflantur in uſus,
Hìc in raſtra feros diſſingi cernimus enſes,
Cernimus in teretes abiiſſe haſtilia vallos,
Nidumque in galeis mites poſuiſſe columbas.
Quòd fæcunda Ceres ſolertis vota coloni
Fortunata facit, quòd parte viator ab omni
Condit inoffenſos ſero ſub veſpere ſoles,
Claudere nec tutus ſua curet ovilia paſtor,
Muneris omne tui eſt: quin &, mirabile dictu,
Sæpe fatigatæ benefecta, & dona repenſa
Genti diſſimulas, & poſtera tempora tantùm
Monſtravere tuum diſcuſſa nube favorem.
Haud aliter cœli, terræque æterna poteſtas
Arcano miras attemperat ordine leges
Fatorum, rerumque vices, atque orbis habenas
Non intellecta populis ratione gubernat.
Nec tantùm pietatis amans, & neſcia belli
Te juvat alma quies: pariter te vindice regnat
Immoto Themis in ſolio, vultuque ſevero
Inſidiatoris fallaces deſpicit auri
Blanditias, & fronte minas contemnit eadèm,
Faſtiditque preces: tota dominatur in urbe
Et ſumpta gravitate pudor, diſcitque remiſſum

Maje-

Majeſtate nova decus inſtaurare, tuaque
Reſpecta proprios componit imagine mores.
Siquis conſpicui titulis ornatur honoris,
Nil ſorti debere putat, nam præmia tantùm
Largiris meritis; ſiquem rigido enſe coerces,
Nil de te queritur, nam ſolo à crimine pœnas
Sumis, & in ſuperos patrata ulciſceris auſa:
Imperii eſt hæc norma tui, felicior undè
Procedit ſeries rerum, & pulcherrimus ordo.
Tu quoque ſacratam cingit cui candida frontem
Inſula, purpureis mutanda coloribus olim,
Unanimem ſociare ſtudes, Joſephe, laborem.
Scilicet eloquio gentes præſtante monentem,
Grandibus & factis cæleſtia verba probantem
Mirata eſt te ſæpe dies; miratur & omnis
Te nox antiquis longùm impalleſcere chartis,
Quas florens Latium, quas omnis Achaja feras
Miſit in ætates; nec non oracula vatum
Iſacidum, populis retegenda oracula, voluis.
Artibus his, ſtudiiſque venis tutamen in arctis,
Solamenque malis, tantoque ſub auſpice lætum
Relligio caput imperterrita tollit, ad aras,
Et patrias ritus operatur tuta latinos;
Nec mala credulitas, aut fraudis conſcius error
Audent furtivo tacitùm ſubrepere greſſu:
Nempe alacer cunctos, ne quà monſtra impia rumpant,
Obſervas aditus, & quæ te maſcula ſemper
Circunſtat Virtus, dolo & inſuperabile Verum
Excubias vigilant certas, longèque futurum
Sepoſitum tibi cana aperit prudentia, peſtes
Undè vafras eludis, habent nec dira malorum
Semina quò creſcant, ſiquæ Diſcordia ſevit.
Talia frondoſa Pax alternabat in umbra

Dividuos geminæ percurrens laudis honores:
Cùm numero ingentem vidit ſuccedere turbam
Suppliciter triſtem, gemituque ad ſydera miſſo
Numina conclamantem, averſi ultricia Cæli
Numina: per collum ſparſis Metanea preibat
Crinibus, affuſo deformis pulvere, frontem
Vepribus, in morem nexæ præcincta coronæ,
Et nudata pedes: greſſu, Joſephe, decoro
Ponè ſequebaris: ſcelerum ultrix Diva ſequentem
Aſpicit, & tua committens exempla, fatetur
Eſſe ſuis majora: quis illius aurea lucis
Facundo momenta queat diſtinguere cantu?
Quis predas narret Stygio ex Acheronte receptas,
Præcluſaſque vias ſceleri, renovataque cultu
Inſolito delubra? humili tu voce Tonantem
Interea, jactis & corde potenter ab imo
Flectebas Superos votis, pro gente paratus
Innocuum duris caput objectare periclis,
Et lumen divùm pro re vitale paciſci.
Ipſa videbatur ſummo Clementia cœlo
Delabi, gemituque tuo jam mollior altam
Spem facere, & populis promittere gaudia feſſis.
Quæ lacrymis, vir magne, tuis, precibuſque diſertis
Ponatur pretii menſura ſimillima, quando
Pondus habent certæ lacrymæque, preceſque ſalutis?
Talia, contigua dum Pax in valle ſedebat,
Spectabat cupido perluſtrans ſingula viſu:
Conſcia cùm trepidis applaudens Gloria pennis
Adſtitit, atque novæ argumenta ingentia laudis
Expediit, Pax undè tuos iteraret honores,
Franciſce, atque tuos iterum Joſephe referret.
Illa alacris monitis genialibus, ire per altos
Tentabat numeros, verſuque heroa referre

Heroo

Heroo quoque facta; iterum ſed ſumpta canenti
Verſibus herois non reſpondebat avena.
Ut vidit tenuis conamen inutile cannæ
Excidere incaſſum, atque humilem diſpergere vocem:
O quis, ait, grandes mihi nunc det habere cothurnos,
Suppeditetque tubam, qua vates Doricus olim
Pervaſit totum doctis concentibus orbem?
Dixit, & auguſtas magni remeavit in ædes
Farneſj, quò Virtutum chorus omnis amicam
Scilicet in patriam, & gentilia tecta vocabat.

Anacreonticorum

LIBER I.

Quæ ſit figura noſtri
Audite primò amoris.
Eſt nigra, ſed decora,
Quæ poſſidet meum cor;
Naſcentis æmulatur
Flavum jubar diei,
Amabileſque præſert
Ceù pulchra Luna vultus;
Par eſt ad arma promptæ,
Et militum choorti:
Hæc eſt imago noſtri
Blanda, & ſevera amoris:
At fortè ſi juvat vos
Cæleſte noſſe nomen,
Maria nominatur
Quæ poſſidet meum cor.

Quicumque vult, Cupidinis
  Leges furentis audiat:
  Quicumque vult, & illius
  Funeſta cantet prælia:
  Nobis Mariam ſingula
  Amare ſtat per tempora:
  Quidquid ſeveri carminum
  In me reclament judices,
  Cantare ſtat per omnia
  Nobis Mariam ſæcula;
  Hoc ilicet negotium
  Evaſit in ſolatium,
  Hic ilicet meus mihi eſt
  Labor quiete dulcior.

Qui me ſuavis imperi
  Fræno gubernat aliger,
  Diurnus, & pernox meum
  Cor circuit cuſtodia;
  Vetatque curas ingredi
  Improvidas mortalium,
  Simulque curas egredi
  Rerum vetat cæleſtium;
  Tantùm doloris inſciis
  Foras abire fletibus
  Permittit, & ſuſpiriis.

Expreſſa rupe tophina
  Fontana vena proſilit:
  Muſcoſa, qua cadit, thorum
  Subſternit herba, deſuper
  Tendit virens umbraculum
  Bicolor videri Populus.

Cir-

Circùm canoræ garrulis
Strepunt querelis alites,
Leveſque frondes anxiis
Exercet aura luſibus:
At rivus ire ſedulus
Nil herbidam lanuginem,
Nihil moràtur hoſpitam
Virentis umbram Populi.
Non cantilenis avocant
Pictæ volucres, non leve
Admurmurans Favonius.
Oblivioſo præterit
Paſſu vireta florida
Dignatur ulla nec mora
Amœna viſu prædia.
Ego tenore haud diſpare
Amo Mariam, nec via
Cæpta queant avertere
Vel liberali copia
Opes manu ſi porrigat,
Vel ſi ſuperba ſpondeat
Honor tyrannus præmia:
Averſa nec vultu ſuo
Sors iniicit mihi moram;
Amor meus repagulis,
Periculiſque fortior,
Magis, magiſque proficit.

******
****

BEatus ille, qui tuum
  Maria vidit ævum;
Tuæque vidit inſuper
  Exempla mira formæ;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Non ille ſolis amplius
    Spectare dulce lumen
Non alta curavit poli
    Ultra videre ſigna.
Naſcente quid formoſius
    Die videbat ille;
Stellante quid jucundius
    Videbat ille nocte.
Mè Virgini Jeſſejæ
    Si par tuliſſet ætas,
Implere ficti fabulam.
    Votum fuiſſet Argi;
Ut major è centuplice
    Uſu foret voluptas;
Uſu modeſti luminis,
    Maria, te videntis.
Pulchri quod æther obtinet,
    Et univerſa tellus,
Te, Virgo, conſpecta unius
    Vix aſſis æſtimaſſem:
Et conſpicari te datum
    Ubi ſemel fuiſſet,
Te centies videre, & inſuper
    Cupido provocaſſet.
Amabili tu ſcilicet
    Leges amoris aptas
Vultu dediſſes, & viam
    Ad ſydera indicaſſes
Face auſpicata luminis
    Cæleſte quid nitentis.

Cum

CUm te cano, Maria,
In gaudium dolores
Abeunt, bonoque vultu
Feſtiva cura ridet.
Ni te canam, Maria,
Lugubre gaudium flet,
Et aſperat ſeveros
Riſus vel ipſe vultus.

Quam nunc vides opaca
Salicem virere fronde,
Me ſevit author Alcon
Gratos Mariæ in uſus.
Nam verna triſte frigus
Simulac reſolvit aura,
Calamum meo canorum
De corticè ille fingit,
Docetque Nazarènam
Ad fiſtulam vocatos
Ventos referre matrem.
Et cælibem per omnem
Me juſſit eſſe vitam:
Connubio maritæ
Me nempè vitis arcet,
Ut aptior ſonandæ
Et ipſa Virgini ſim:
Meique parte caſtæ
Quòd ſervio Parenti,
Avertit ille nobis
Diros Noti furores,
Avertit æſtuantes
Solis furentis iras,
Et aſperas procellas:

Tanti eſt miniſtram amantis
Marian, eſſe vatis.

Rivi nuper euntis
Lamentabar ad undam,
Miſcebamque querelas
Cum vocalibus auris,
Nec non murmure fontis:
Nobis ecce puellus
Blando apparuit ore
Armatus face dextram,
Telo accinctus, & arcu;
Scires eſſe, ſuave
Qui me torquet, Amorem;
Nympham ponè trahebat
Tectam cyclade prati
Effingente colorem,
Vibratemque tenellas
Crebris motibus alas.
Ut venere propinquam
Ambo fontis ad undam
In me verſus, amœnas
Voces reddidit Ales,
Atque hæc, inquit, amica
Per conſortia, triſtes
Lenibit tibi curas
In partem ipſa tuorum
Succeſſura dolorum.
Nil eſt protinus, ajo,
Cum blandis mihi nymphis
Formoſiſque puellis:
Hoc quodcumque vides, quod
Noſtrum dicitur, omne

Stat

Stat ſub jure Mariæ.
Non hinc rettulit ille
Surget cauſa, tuum, quæ
Intervertat amorem.
Quam nunc aſpicis, apto
Spem ſe nomine ſignat,
Quæ mortalibus una
Curas tollit amaras,
Et fortunat amores.
Idcircò male cautum
Cordis pone timorem.
Jucundis ego dictis
Inſtauratus, amorum
In partem voco, caſtam
Uſurpoque puellam
Magna ad facta miniſtram:
Nec noſtro lateri ſe
Unquam proripit illa.
Quin ſi mittere divæ
Matri vota juvat me,
Divæ protinus illa
Portat vota Parenti:
Utque audacibus ipſum
Alis intrat Olympum,
Seſe illius ad ora
Siſtit qualibet hora,
Nobis undè reportat
Conſolantia verba,
Quæ vel ſemianimi ipſam
Vitam reddere poſſunt.
Hoc in cardine noſtri
Convertuntur amores,
Quos ſplendoribus aureis

Aſſen-

Aſſentantis honoris,
Magnorumque beatis
Regum præſero gazis.

Te nunc amor remiſſa
Velim pharetra, & arcu
Colore Nazarenam
Delineare Divam.
Quæcumque comparata
Vel magna cura tantum
Vileſcat ad laborem:
Quapropter artis omni,
Et ingenj paratu
Mihi in tabella amatam
Pingas, velim, Mariam.
Accepit hæc ut ille,
Molitur orſa, eoi
Partemque ſumit aſtri,
Simulque fulgurantis
Radios duos diei;
Et igneum ruborem,
Aurora quo renidet,
Argenteum nitorem,
Quo pulchra Luna ſplendet:
His rite comparatis
Mixtiſque, pingit aptis
Coloribus tabellam,
Et lineis Mariam
Proludit ad futuram.
Incæpta ſepè delet
In aptius refingens;
Mutata ſæpè longo
Auget, politque cultu,

Nul-

Nullamque mittit artem,
Pingentis ad ſagaces
Quæcumque præſtat uſus.
Nec vota noſtra longùm
Suſpendit ille, ſummum
Sed protinus remiſſo
Ponit manum labori,
Opuſque curioſum
Oſtendit, & diſertis
Ornat, probatque verbis.
Contemplor ipſe totam
A vertice ad decoras
Imaginem uſque plantas,
Et tincta virginali
Pudore miror ora,
Sed dignitate magnæ
Nuſquam notata Matris.
Tum verſus in puellum,
Hæc deficit ſuprema,
Exclamo, laus tabellæ.
At ille. Nazarenæ
Fæcunda ſigna Divæ
Quis exprimat colore?
Deinde preſſit ora,
Puellulumque paſſis
Pingit Mariæ in ulnis
Adblandientem amico
Pulcherrimæ Parenti,
Amabilique vultu.
Tunc ille. Se videndam
Fæcunda mater iſta
Proponit in figura.
Ut hæc puer, fugacis

Ad alta more venti
Se ſuſtulit, nec ultra
Apparuit tabellà.

Si quando vincla vatum
Cantus remittit exlex,
Ne ſcripta, ne ſevere
Confige noſtra cenſor.
Si fortè longior ſit
Brevis ſuapte verſus,
Fit longior, canendæ
Perduret ut voluptas
Diutius Mariæ:
At longa cum tenorem
Arctatur in brevem vox;
Hoc evenit citatæ
Velocitatis ergò;
Ut expeditus una
Accingar ad ſecundam;
Et alteras ad odas.
Nam, Virgo, te canentem
Imaginoſa mentis
Me circuit caterva,
Suamque quæque formam
Ponit mihi canendam,
Quæritque ſe priori
In parte collocari,
Et prima quæque dici;
Velocitas receptas
Solertibus poetis
Perturbat undè leges.
Erunt, parum latina
Peccare, & obſoleta

Qui

Qui me ferant loquela:
At omnis ut beatam
Gens prædicat Mariam,
Cur non achiva lingua,
Et barbara, & latina
Illius auſpicatas
Queat referre laudes?
Adjunget alter ima
Tellure quòd moror, nec
Verſu capeſſo Cælum:
At cur ſuperba cantem
Per verba nexa metro,
Ancilla, quæ Puelli
Gaudet ſui vocari?

Quòd ſcribitur Maria
Frequente culpor uſu;
Voluntque me per aptam
Variare nomen artem:
Jeſſea, nempe dicunt,
Mater poteſt vocari,
Regina, quam ſupremus,
Imus veretur orbis,
Coniux pudica Helidis,
Parens Dei puella,
Et nazarena Diva:
Hos ars polita vatum
Fateor modos requirit:
At gaudium vocata
Quod provenit Maria,
Cuicumque præſtat arti,
Et antecellit omnes
Cum gratiis lepores.

Dum

Dum cogito Mariam
Redundat in beatos
Dulcedo mira ſenſus;
Ni cogitem Mariam,
In me ſerit malignas
Extemplo cura ſpinas.

In pulverem ſuprema
Cum me reſolvet hora,
Ferale nolo funus
Pompæ ſequatur ordo:
Tantùm. duo legendum
Verſus notent ſepulcrum.
Mutus jacet ſupernæ
Amator hìc Mariæ.
At carmen hoc ſuperba
Si voce peccat audax,
Servus, repone, ſive,
Vates ſacer Mariæ.

Me vi ſubactum iniqua
Mæroris, & doloris
Circumſtetit minutus
Imaginum maniplus,
Quarum aureo ſerenus
Exibat ore riſus;
At pars fluente mæſtas
Fletu genas rigabat,
Et pars honoris alta
Fulgebat in quadriga.
Quæ gaudium modeſto
Tenore præferebat,

Ad læta me vocabat;
Quæ flebat, ad dolores
Jeſſeidis canendos.
At inclyto decore
Quæ laudis eminebat,
Et gloriam Mariæ
Cantare me volebat.
Tum dexteræ trementi
Innixus, undè dixi
Ægrè mihi ferendum
Imponitis laborem?
Feſtivus anne lætos
Dies canam Parentis,
Si torqueor miſella
Morbo premente membra?
Illius inquietos
Contra canam dolores,
Si me juvat dolentem
Quoties referre Matrem,
Toties loquela in ipſo
Me deficit paratu?
Efferre nec pudicæ
Ingens decus puellæ
Sumpto audeo cothurno:
Deduco nam pedeſtres
Humili tenore verſus,
Nec me levo propinqua
Nebulas habente terra:
Nil reſtat ergo nobis,
Demiſſa ſenſa Magnæ
Cantare quàm Mariæ.

Dum

Dum ros adhuc tenellis
Glomeratus hæret herbis,
Mei greges per arua
Per florida ite prata.
Cum torridos vibrabit
Sol altior calores,
Convalle tunc ſub ima
Vos continebit ardor;
Quapropter ite, dum vos
Invitat algor auræ
Gratumque frigus umbræ.
Ego interim canoros
Ut perſonent Mariam
Flatu docebo ventos,
Et ſimplici fluentes
Modulabor arte cantus.
Gregi per agrum ituro
Narrabat hæc Jolas:
Cecinitque mox Mariam:
At dum canebat ille,
Nec matris ad ſuave
Saliebat hædus uber,
Nec mater uda lento
Paſcebat arua rore:
Grex immemor propinquæ
Adſtabat omnis herbæ.

Quod avios paterno
Deduco rure ſoles,
Non ſurgit inde nobis
Inviſa ſolitudo.
Pax, & quies amica,

Et mens ſoluta curis
Meos lares frequentant,
Noſtroque ſemper hæret
Lateri comes pudicæ
Amor ſacer Parentis.
Sequiturque me vagantes
Quacumque tendo greſſus,
Interque eundum, amicas
Committimus loquelas;
Suaſque narrat ille
Vires, & hoſte partos
De plurimo triumphos:
Dulces ego viciſſim
Illi eloquor dolores,
Percontor & meorum
Statuta meta quando
Veniet dies laborum.
Genium alloquor ſubindè
Qui rure mecum eodem
Conſuevit hoſpitari,
Inque ordinem coactis
Saluto ſæpè verbis,
Illique rus, & anni
Commendo ſpem futuri.
Quis ergo rure ſolum
Convincat infrequentes
Me præterire ſoles?

Hodie Mariam amemus:
Quis ſcit, dies an ultra
Nos craſtinus reviſat?
Eja mora ſine ulla
Hodie Mariam amemus:

Digitized by Google

Si perget ambulare
Conſtante vita paſſu,
Quam nunc amamus, & cras
Amabimus Mariam,
Negotiumque dulce
Peragemus hoc tenore;
Nos donec hauſta puri
Animabit aura cæli;
At dum brevis ſinit lux,
Hodie Mariam amemus.

Modis amor novellis
Meas gubernat aures,
Sic & ſonora ſenſa
Vi temperat ſuavi,
Ut ſæpè cogat, ictus
Quæ non remittit aer
Audire dicta mira.
Si marginem ſtrepentis
Ad fontis acquieſco,
Videtur unda rauco
Strepitu loqui Mariam:
Montana dum comanti
Illudit aura ſilvæ,
Eſt aura viſa nobis
Referre juge nomen:
Quando arborum ſub umbra
Philomela dulcè cantat,
Philomela, dico, magnæ
Laudes canit Parentis,
Et poſſidet beatus
Hic ſemper error aures,
Quocumque recta vertam

Veſtigia,

Veſtigia, & quietos
Ubicumque condo ſoles.
Sed qua beantur aures,
Oculis deeſt voluptas:
Nam pulchra Luna quanquam,
Et Sol, polique ſigna,
Aurum, graveſque gemmæ
Et florei colores
Formoſa ſint videri,
Mihi decus ſupremæ,
Non exprimunt puellæ:
Monſtrare nulla tantam
Sunt viſa ſigna formam.

Jam cruda me ſenectus
Prævertit, & citatam
Urget fugam dierum:
Jamque admovet feroces
Mors atra ponè paſſus:
Quis Virginem deinceps
Succedet in canendam?
Siquem juvat ſuave
Subire fortè munus,
Huic blanda plectra dono,
Dabo, chelinque eburnam.
Negotium nec ullum
Labor faceſſet iſte:
Aſſueta nempè ſacris
Teſtudo cantilenis
Percuſſa nazarenam
Referet, puto, Puellam.

Montana cum locorum

Petivit, & remotam
Viſit Maria Eliſam,
Mærebat omnis illa
Abſente nazarenus
Ager, ſimulque pagus.
Jonathas gregis magiſter,
Candore qui pudico
Se jandiu ſupremæ
Probaverat Parenti,
Trahebat inſerenos
Invitus uſque ſoles.
Surgente fortè luce
Cum Beride obſequentes
Agebat hic bidentes:
Interque commeandum,
Ut longa per viarum
Uſuvenit, deerrans
Mater fefellit agnum;
Hinc ille luſtra mæſto
Replebat alta quæſtu,
Atque aviam parentem
Inconditis frequenter
Balatibus vocabat.
Tum paſtor agni amaras
Commotus ad querelas;
Sic nos, ait, Maria
Abſente mæror angit.

Meliore qui canant te
Erunt, Maria, verſu;
Majore qui ambiant te
Erunt, Maria, amore:
Studeat magis ſed alter

Qui

Qui te referre cantu,
Et te, Maria, amare
Nemo eſt, amabilis me
Niſi fefellit error.

Magiſter ille noſtri,
Moderator atque cordis
Quem nuncupant Amorem,
Evaſit in parentem
Fæcunditate mira:
Nam corda noſtra poſtquam
Habitare ſponte cæpit,
Numero tulit carentem,
Quam vota nos vocamus
Jugi tenore prolem;
Diverſa quæ figuris
Pars vergit in ſeniles
Ætate grandis annos;
Pars floret & juventa.
Infantia minor pars
Lacteſcit in tenella,
Nam mole, viribuſque
Vix nata creſcit amplis.
Deſignat una patrem,
Et par imago natos:
Alatus ille, contra
Alata ſunt & illa;
Adeoque ſumma promptis
Tendunt ad aſtra pennis,
Vaſtæque per patentes
Terræ vagantur oras.
Concordiam tuentur
Cum patre & ipſa morum:

Marianus audit ille,
Mariana ſunt & illa:
Diverſa ſed parentem,
Et liberos manet ſors:
Nam corporis ſuprema,
Animique cum reſoluet
Mortale fædus hora,
Caſu peremptum eodem
Ceſſabit omne votum:
Amor perennè contra
Durabit, integrumque
Reſurget in vigorem.

Infeſta cura nuper
Manus mihi procaces
Injecit, & ſonorùm
Rapuit repentè plectrum,
Chelym deinde eburnam:
Mox rupit ordinata
Concorde lege fila;
Subtexuitque duras
Tangi, graveſque chordas.
Ut ceſſit illa, noſtro
De more concinendam
Accingor ad Mariam,
Citharamque ſumo, certa
Periclitorque dextra:
At flebile illa nobis
Reſpondet, & minaci
Strepunt ſonore nervi.
Ebur mihi ſuave
Quis præbeat, canendæ
Accomodum Mariæ?

Spi-

Spinelle, qui tenellos
Soles ferire verſus,
Da pleƈtra, da loquacem
Mihi lyram, Parentis
Qua Virginis beatos
Queam referre amores:
Nam carmen odit illa
Mæſtum, feræque raucas
Teſtudinis querelas.

Qui ferre me ſevero
Habitu videbit ora,
Simillimumque lapſis
Foliis, novæque ceræ,
Hic, dicet, in maligno
Mærore conſeneſcit:
At qualis intus exto
Me non imago pingit.
Interna nam pererrat
Meum ſinum voluptas,
Et lacrymoſus extra
Lætor, jocorque caſti
In parte cordis ima.
Requiris undè nobis
Contingat hoc? amore
Sic fingor à magiſtro.

Quæ nuper hauſit auras
Melior propago, certam
Nutrimus in tui ſpem
Jeſſea Virgo amoris:
Ut ſolvet illa nempe
Elementa prima vocum,

Eris vocata primis
Maria ſola verbis:
Ut lineis loquaces
Diſcet notare chartas,
Eris notata parvis
Maria ſola chartis.
At corporis potentem,
Et ingeni vigore
Cum fecerit juventus,
Ligare verba doctis
Tunc edocebo vinclis,
Tuique ſecum amores
Utrinque concinendi,
Maria, dividentur.
Spes interim novellas
Virgo parentis imple,
Proliſque ſoſpitandæ
Te grata cura tangat.

Me ponderis, graviſque
Plus angeret laboris
Si digna Virgo amari
Te, Virgo, nollem amare;
Quàm nunc laboris angat,
Dum, Diva, te per omnes
Noctes amo, dieſque.
Natura quippe longo
Formata venit uſu;
Natura diligendi,
Simulque te colendi.

Pulcherima inter omnes
Quot terra fert colores,

Roſa, innocente picta
Rubore, quem diurnum
Sol allinit per æſtum,
Quando laborat omnes
Veſtire luce flores,
Variumque, ſimplicemque
Oſtendis ut decorem!
Calycem coma virenti
Tu circuis rubentem,
Horrore grato acuta
Armaris in vepreta,
Eademque blanda meſſes
Jucunda odoris aura
Tu provocas Sabæas,
Et attrahis tepenti
Captos amore ventos.
Adhuc loquebar, ecce
Pharetratus adſtat ales,
Et quid roſas canendæ
Præfers, ait, Mariæ?
Roſeta canto, dixi,
Non quòd ſuave fragrent,
Et pulchra ſint videri,
Sed myſticis Maria
Quòd audit à roſetis.

Quis de cadente cunctas,
Cum totus undat ether,
Subducat imbre guttas?
Et dona Nazarenæ,
Pharetratus addit Ales,
Quis computet Puellæ?
Exempla quis novelli

Æquare

Æquare voce poſſit,
Cum Majus, inſtat, anni?
Quis inclytas pudicæ,
Reponit ille, dotes
Poſſit referre matris?
Eſt mitis aura primos
Quæ promovet tepores;
Maria, dixit, auræ
Eſt mitior favore.
Eſt labis omnis expers
Devolvitur ſuperno
Quæ pura vena colle:
At purior liquori,
Subjecit ales, omni
Eſt Nazarena Diva.
Me lux amica noctis,
Me lux capit diei.
Me, reddit ille, ſplendor
Magis capit Mariæ,
Nocturna quàm ſereni,
Et lux diurna olympi.
Suave quàm jocoſas
Concentibus canoris
Philomela mulcet auras?
Quàm dulcius dicatas
Eſt Virgini, inquit ales,
Audire cantilenas?
Qui nocte lapſus ægra
Ros irrigat vireta,
In priſtinum vigorem
Siccas reponit herbas.
Cum triſte, reddit alter,
Cor angitur dolore,

Si

Si fortè roris inſtar
Virgo impluat favorem,
Extemplo cor beata
Dulcedine irrigatur.
Seu dura bruma ſtringat,
Seu rura ver relaxet,
Semper novis avarum
Ferax opimat hortus
Proventibus colonum.
At cùm dies Maria,
Ait Puer, trahebat
Lux nulla præteribat,
Quin dote ſe Maria
Probaret in novella.
Vides in orbis amplo
Parens ut alma rerum
Appareat theatro,
Opima fætu, ubique
Ornatibus decora?
Seu terra, ſive ſummi
Spectentur aſtra cœli,
Spectaculum, ſupernæ,
Sagittifer reclamat,
Concedit omne matri.
Lux æſtuans diei
Et mater, & noverca
Recreat calore molles,
Perimit calore flores;
At ſic puto vel illos
Delectat interire.
Vitale Diva, dixit,
Cum lumen hauriebat,
Divina flamma lumen

Vitale promovebat:
At cum dies peracti
Extrema venit ævi,
Jucunda flamma amoris
Mortis vicem peregit.
O' exitus ſuprema,
Tunc addidi viciſſim,
Hic me ferat ſub hora?
Hac morte me beatum
Hac ſorte prædicarem.
Ut convenire voce
Concorde, me parique
Voto favere ſenſit,
Amor, meas deinceps
Non amplius loquelas
Reprendit, aut novellum
Diffinxit in tenorem

Quid me Meliſſe culpas,
Mariano amore caſtas
Deſcribo quòd papyros,
Si nocte me, dieque
Semper tenet canendæ
Neceſſitas Mariæ?
Amara bella nuper
Conabar in cruentis
Delineare chartis,
Paſtorium deinde
Tenuare carmen apta
Calami ſonantis aura:
At lenis ecce, & aſper
Dominator ille cordis
Delevit adnotato

Incæpta

Incæpta ſcripta verſu;
Verſu dicato amatæ
Præconiis Mariæ.
Fors mentis ante viſum
Proceſſerat decori
Imago pulchra veris;
At ecce noſter ille
Imaginem virentis
Ruris procul removit,
Et mille convocavit
Phantaſmatum maniplos
Qui fronte nomen alta
Cœleſte præferebant,
Illius unde aduror
Cœleſte, dulce nomen;
Efferre quod canoras
Me protinus per artes
Juſſere, provocatis
Manu micante nervis.
Quid ergo dure noſtra
Culpas Meliſſe ſcripta,
Si me tenet canendæ
Neceſſitas Mariæ?

Siquos videbis apto
Ferri tenore verſus,
Amor magiſter alta
Dictavit è cathedra,
Fuitque noſter illos
Tantùm labor referre:
At quos videbis ægrè
Suum tueri honorem,
Imitator hos ſeveri

Superad-

Superaddidi magiſtri,
Siquando mira metra
Conabar æmulari:
Quapropter ulla noſtros
Si fortè menda turpis
Irrepſit in libellos,
Eſt noſter ille, docti
Non eſt amoris error.

Alphæus atque Thyrſis
Silvæ comantis altam
Convenerant ad umbram:
Hic plana rura, ſummos
Colebat ille montes.
Hic ergo plana rura
Laudabat, ille colles.
Eòque res viciſſim
Proceſſit, ut ſubinde
Sermone, cantibuſque
Uterque dimicaret.
Hæc alter, alter illa
In ordinem canebat.
A. Siquando dudum amatæ
Me prima dona ruris,
Juvat dicare Divæ,
Sub ſole ſe probantis
Utor favore collis;
Hìc nempe provocatus
Diem ſuum, viceſque
Præire ſuevit annus.
T. Parem meos per agros
Sol dividit favorem,
Nec alpium propinqua

Illi aſperantur aura;
Adeòque curioſa
Me cura non fatigat:
Ubique rara dona,
Veniunt ubique fruges,
Quibus meos ſupernæ
Teſter Parenti amores.
A. Sed arbores amicas
Montana nutrit aura,
Proferre quas recuſat
Illiberale planum.
Sunt pulchra fraga nobis,
Oleæque ſunt feraces,
Sunt caſtaneta, fructus
Quæ veſtiunt acutos
Horrente blandùm echino.
Jeſſeidi paramus
Hinc multiforme donum,
Quod fortè tu paternos
Fruſtra repoſcis agros.
T. Fæcunditate noſtri
Rependo damna ruris:
Quin veſtra cùm diurno
Languent calore prata,
Situ negante promptùm
Aquæ rigantis uſum;
Rivum ſequacem amæna
Diſpenſo per vireta,
Suumque reddo ſiccis
Roſariis virorem,
Suum ſimul ruborem:
Roſariis, meus quæ
Mos eſt dicare Divæ.

Æqualis

A. Æqualis eſto præſtet
Hac dote campus, at nos
Fovet quies amica
Celebritate veſtri
Longè remota pagi:
Nam me morantem in imo
Delectat ut receſſu
Occulta ſolitudo!
Hìc noſtra verba nemo
Reprendit, aut moleſto
Rumore commovemur;
Ni fortè ventus altis
Obmurmuret ſuſurris.
T. Ubicumque dego, læta
Aſtaret univerſi
Populi corona vellem:
Ut ſciret omnis almam,
Dum canto, dum diurnas
Opera fatigo glebas,
Quòd diligo Mariam.
A. Conſortium frequentis
Quicumque gentis odit,
Tacitiſque condit annos
In collibus ſerenos,
Hic innocente puros
Ducit tenore ſoles.
Exempla nempe diræ
Scelerata neſcit urbis,
Hic labis omnis expers
Apud Marian audit.
T. Qui montium ſilentes
Verſatur inter umbras,
Formatur ad ferorum

Duram

Duram indolem locorum:
Sed mitigatum amico
Campeſtre qui colit rus
Plani ſitus tepore,
Manſuetiore longè
Se more fingit aptum
Suavibus pudici
Negotiis amoris.
Hæc dum loquuntur unà
Alphæus, atque Thyrſis,
Sacer locorum Achates
Indutus ora cani
Supervenit Lyconis;
Et lite quid loquaci
Certatis ambo dixit,
Si ſola flamma cordis
Diſcrimen eſt amoris?

Thelioris olim amati
Jucunda rura, veſtris
Dum collibus procul me
Urbs detinet paterna;
Si fortè quis ſceleſtam
Verſu canat Neræam
Napemve, vel Nigellam,
Ne vatis ad loquelas
Reſpondeatis ullas:
Sono abſtinete cantùs
Extrema ſubſequente,
Donec reviſam amica
Redeunte rura vere:
Cantabo tunc ad umbras
Mariana metra veſtras;

Et edocebo ſacros
Referre vos amores:
Natura ſed ſonantum
Si montium fideli
Silentio repugnat,
Ideoque cogat odas
Iterare vos profanas,
Ventoſa ſurgat aura,
Grave ingruat tonitru,
Fragore quæ ſtrepenti
Vatem obruant canentem,
Iterare ne profanas
Vos ille cogat odas.

Frigente quando ſerus
Annus riget ſenecta,
Sunt qui Lyra moleſtum,
Hyemique carmen aptum
Me temperare credunt:
Mihi latet ſilenti
Sed mentis in receſſu
Imago pulchra veris
Quæ flore prata pingit;
Æſtatis & figura
Quæ tingit auro ariſtas;
Stat inſuper rubente
Autumnus implicatus
Flavum caput corona;
Rubente de racemis,
Et diſcolore pomo.
Formoſa non coruſci
Facies deeſt Olympi,
Seu cùm diem reducit,

Seu cùm recludit aſtra:
Quibus coloris adde
Exempla multiformis,
Chryſtallinum nitorem,
Pellucidoſque fontes:
Has vel rigente bruma
Imagines pudicis
Servire cogo Muſis.

Ulmi virentis apta
Confederant ſub umbra
Melibæus, & Menalcas.
Diffuſilis per ulmum
Serpebat implicata
Errante fronde vitis.
Suſpexit hanc Menalcas,
Utque illa, dixit, altam
Concordia fideli
Nunquam remittit ulmum,
Sic ipſe nunquam amata
Diſiungar à Maria.
Subiecit alter. Arbor
Ut fortiter racemos
Suſtentat aprehenſos;
Sic me benigna Diva
Dextra potente curſum
Vitæ regat per omnem,
Nec auxilj propinqui
Dimittat indigentem.
Subibat alter, Imber
Cum vènit, imber agris
Gratus, ſimulque plantis.
Hæc tum reponit. Arua

Ut roſcido juvantur,
Et arbores liquore,
Mortale ſic ſuavi
Diva genus juvamur.
Melibæus inſit. Omnes
Numerare nemo guttas
Pluviæ valet cadentis,
Numerare nemo dona
Mariæ poteſt faventis.
Ajebat hæc: nigrantum
Cum victor imbrium Sol
Apparuit repentè,
Lætatus undè campus
Eſt omnis, & novello
Riſit colore cœlum.
Ambo pari loquelas
Tunc extulere ſenſu.
Et noſtra corda quando,
Dixere, mæror angit,
Mæroris inquietas
Maria ſolis inſtar
Tum diſcutit tenebras.
Negotiis cadentem
Melibæus, & Menalcas
His condidere lucem,
Suoſque nocte oborta
Definiere cantus.

Ad aſtra ſumma vivax
Tendit ſuaptè flamma;
Amatque fons deorſum
Declivis ire, ventus
Tranſverſa per patentis

Deambulare Cœli.
Sua eſt tributa cunctis
Natura quippe rebus,
Diverſa, multiformis:
Natura ſola nobis
Sed eſt tributa amoris.

Cùm laude ſtat puellam
Efferre Nazarenam,
Dulces mihi ſine ullo
Fluunt labore verſus;
Diſerta lingua nullo
Fingit labore vocem,
Nulloque pluma ſignat
Negotio papyrum;
Et ipſa ſe voluntas
Componit, & canenti
Se præſtat obſequentem:
Et ipſa cantilenas
Audit libenter auris.
Quæ noſtra nunc vocamus,
Ergo vocare poſthac
Mariana ſenſa poſſum.

Me ſcire nuper ingens
Cœpit cupido, quinam
Meus foret probandus,
Laudabiliſque verſus.
Hac mente longum, & illac
Dum curioſus erro,
Apparet ille notus,
Nobiſque amicus Ales,
Haud cum pharetra, & arcu,

Sed dextera gemellas
Gerens potente lances.
Ut conſtitit, fideli
Dijudicare libra
Cœpit meos labores:
Cantata prata primò,
Et vineas, aquaſque
Manu regente librat;
Sed ponderis repenſa
Momenta nulla produnt.
Mariana poſt capaci
In lance ſcripta ponit,
Devexior deorſum
Tum cæpit ire libra.
Quid ergo dure cenſor
Mariana ſcripta culpas,
Leviora fronde lapſa
Si cætera æſtimantur?

Jeſſea Virgo, noſtris
Cùm venerit diebus
Statuta meta, vultus
Fac induat benignos
Jaculantis arma amoris
Mors dira, non ſuoque
Diffingat ora riſu:
Circundatum fragranti
Caput gerat corona,
In fronte geſtet alta
Mariana mors notatum.
Simili modo velim me,
Hac morte me perire:
Nam morte vulnerari

Quiſ-

Quiſnam repugnet illa,
Quæ præferet beati
Vultus, & arma amoris?

Formoſa quam videri
Sunt aſtra, dixit Alcon!
Eſt pulchrior, Menalcas
Reſpondit, alba Luna.
Viſu magis decora eſt,
Subjecit alter, Eos.
Formoſior ſed iſta
Sol eſt, reponit ille.
Loquentibus viciſſim
Supervenit, propinqua
Qui poſt vepreta Tyrſis
Latebat, omnibuſque
His, dixit, eſt amata
Formoſior Maria.

LIBER II.

EXhauſta penè noſtri
Eſt ingenj facultas;
Tentata ſunt patenti
In orbe quotquot extant,
Quod præbet univerſi
Inſpecta forma cœli:
Inſumpſimus canendæ
Totum Mariæ in uſus:
Nunc ergo meta noſtros
Definiat labores.
Hæc me loquente, viſa

Stellante labi Olympo
Avium potens volantum
Regina, cui nitebat
Per terga fulgor auri;
Aurata pluma terga
Nam tota veſtiebat.
Cùm protinus citatis
Me tollit illa in alis,
Et ſiſtit ultra euntis
Anni, viaſque ſolis.
Jucunda conſpicari
Sum viſus hìc vireta,
Quæ finxit olim achiva
Mendace muſa verſu,
Quin pulchriora viſu.
Hac arbores, & illac
In ſtipite erigebant
Smaragdino cacumen;
Pallebat omnis auro
Ramus, vicemque fructus
Penſabat, è retortis
Suſpenſa ſtella ramis:
Candore puro amœnæ,
Argenteæque frondes
Scriptum ſuave nomen
Illius indicabant,
Quam plus amamus ipſa
Noctes, dieſque vita.
Et lenis aura denſas
Quoties movebat umbras,
Toties ſuave nomen
Frons mota tinniebat.
Flos gemmeus videri

Diſcri-

Diſcriminabat agrum.
Carbunculi fuere
Inſtar roſæ, uniones
Finxere lilieta.
Simillimus vitro fons
Fluebat, humidaſque
Circùm ſtrepebat oras
Avis loqui diſerta
Tuas Maria laudes.
Felice captus horti
Amœnitate, lætis
Oculis oberro, dulci
Delector & canore:
Nec longiore tempus
Tenuit mora audientem,
Tenuitque me videntem,
Extemplò cùm verendæ
Proceſſit ordo turbæ
Numero carentis, alba
Cui frontem vitta obibat;
At vitta tale nomen
Inſcripta præferebat.
Mariana gens. Nivali
Candore tectus agnus
Totum præibat agmen:
Secuta turba laudes
Nivei canebat agni,
Et illius Parentis.
Numeret quot aſtra veſper,
Citius referre poſſem,
Quàm melle dulciores
Narrare cantilenas.
Sed quod fatebor, aures

Ut

Ut cantus occupavit,
Sum viſus uſque in imis
Sentire vim medullis,
Sentire vim canendi,
Cupidinemque miram;
Quæ duret, & per omne
Precor perennet ævum.
Negotium puto ipſo
Tamen hoc peractum amore:
Nam quæ ſuper ſerenas
Me ſublevavit ales,
Dein poſt revexit auras,
Latere tunc volentem
Sub alitis figura
Puto fuiſſe amorem:
Cæleſtiumque nobis
Palam dediſſe amantum
Exempla, ne canendam
Dimitterem Mariam.

Jam ſpicea ter æſtas
Cinxit caput corona,
Cum me reliquit atris
Salus fugata morbis:
Revocare quæ ſalutem
Blandita verba poſſunt?
O cara, ſæpe dixi,
Auro magis, magiſque
Regum æſtimanda gazis,
Quæ te reducet albo
Notanda lux lapillo?
Te gaudii ſororem
Vocamus, impigramque

Te

Te virium parentem:
Mortale tu moleſtis
Genus levare curis
Es apta, floridoque
Mæroris inquieti
Reſolvis ora riſu.
Loquebar hæc: Loquenti
At illa contumaces
Non applicabat aures:
Colore tum novello
Ornare verba conor,
Addoque me puellæ
Dudum ſacrum poetam
Audire Nazarenæ,
Hujuſque me pudico
Simul teneri amore.
Ut ſenſit illa partes
Profiteri amantis, una
Me candidi poetæ,
Oculos reflexit, & ſpem
Ridente fecit ore.

Si quando poſt recentes
Sol victor exit imbres,
Illuminatque totam
Splendente luce ſilvam,
Vides ut in virenti
Suſpenſa gutta fronde
Illuſa ſole, ſeſe
Componat in nitorem
Viſi parem diei,
Vincatque luce gemmas?
Hæc eſt imago læti,

Plu-

Pulcherrimique fletus,
Cùm pura corda amantum
Dulcedine irrigata
In lacrymas liqueſcunt

Sunt, evoluta nobis
Qui plura luſtra credant:
Sed prima amoris expers
Non computatur ætas;
Cenſetur illa tantùm
Quæ te, Maria, amavit.

Variare docta cantus
Pennata gens, ſub umbra
Quæ fallis hoſpitali
Faſtidium diei;
Concorde voce mecum
Ordire nunc pudicæ
Encomium Parenti.
Si vos opus ſuave
Juvabit experiri,
Incommodis deinceps
Vos eximam, frequentes
Quæ nunc manent per horas.
Non rete vos doloſum,
Non viſcus implicabit:
Nunquam volante figet
Mors intus acta plumbo:
Addetur hocce veſtro
Et præmium labori:
Semente nam peracta
Comploſa non fugabit
Crebro ſonore palma,

Impunè

Impunè quin per omnes
Campos ſinam vagari,
Et grana ſumma paſci,
Quæ Verna præterivit.
Jactabat hæc Alexis,
Studuitque mox volucrum
Ciere cantilenas,
Nunc verſibus canoris,
Nunc ſibilante canna.

Natale quando noſtræ
Dominæ revexit eos,
Amor poetæ in apta
Nunc prodeas figura;
Pharetraque miſſa, & arcu
Suſpende de ſupernis
Humeris ebur canorum,
Manuque ſume plectra.
Juxta propinqua vota
Sequantur, & diſerta
Simul precum caterva.
Illis ſit una cura
Reperire mira ſenſa;
At his reperta dulces
Efferre per loquelas.
Tuum interim ſtrepentes
Erit ferire nervos,
Sonoque docto amica
Attemperare metra.

Si, Virgo, te canenti
Figmenta convenirent,
Commenta vatum achiva

Diſſin-

Diſſingerem, tuoſque
Accomodarem in uſus;
Sed fabulis mei non
Egent canendi amores.
Quæ tincta lacte dixit
Junonio vetuſtas,
Reſperſa fabularer
De lacte lilieta,
Quod impluiſti in apta
Bernardi amantis ora.
Apollinis jocoſo
Qui ſcriptus eſt dolore,
Sacro dolore florem
Hyacinthinum notarem,
Paſſi dolore Nati,
Mæſtæ dolore Matris.
Quos, prole ſuſtinente
Tormenta, fronte amaros
Stillare viſa es imbres,
Narrarem in aſtra verſos:
Sed fabulis mei non
Egent canendi amores.

Vetuſta quà ſupino
Impendet umbra colli,
Pulſata dulce carmen
Ad fila temperabam,
Et nominabam amorem,
Frequente ſæpè verſu:
Vocalis at remiſſum
Iterabat aura morem.
Veros ut apta, dixi,
Componis aura caſus!

Eſt

Eſt jandiu mihi mos,
Quem nuncupavi amorem.

Quà dividit feraces
Phaetontis amnis agros,
Cantabat ad ſtrepentes
Piſcator Aulus oras;
Decus ilicet pudicæ
Cantabat ille Matris.
Maculoſa fortè lina
Melibæus explicabat:
Audivit, & relicto
Statim labore in alta
Scripſit modos arena.
Cedente Sole nigris
Nox ingruit tenebris:
At ille nocte verſa
Reviſit adnotatas
Nota loquaci arenas,
Viditque perſonanti
Confuſa verba vento,
Heſterna nec notatæ
Supereſſe ſigna vocis.
Tunc læva, dixit ille,
Ulciſcar auſa venti;
Servire mox petulcas
In tibiis canoris,
Flatu coegit auras,
Servire concinendæ
Amabili Mariæ.

Poſitis Amor ſagittis
Et pendula pharetra

Con-

Concluſo in horto amica
Flores manu ſerebat;
Suaque in fragrante flore
Exempla lineabat:
Ardorem amantum in iſtis
Subaudio roſetis,
Dicebat, & verendum
In liliis pudorem.
Qui ſolis ambulantem
Obſervat ordinem Sol,
Adumbrat ille ſemper
Negotioſum amantem.
Meditatus hæc ſagacem
Dum promovet laborem,
Paphius puer novella
Apparet in figura;
Serentis arua nempe
Olitoris in figura;
Tentatque clam doloſa
Plantare per viretum
Dumeta, triſte amaris
Abſynthiumque ſuccis.
At cuncta quis videntem
Fallat pudicum Amorem?
Quà turpe ſpargit ille
Semen, ſeritque vepres,
Cæleſtis incitatis
Fertur puellus alis,
Vepriumque mutat aptum
In vulnus hoſtis uſum,
Cupidinemque figit;
Illius & ſuperba
Abſynthii moleſtis

Acer-

Acerbat ora ſuccis.
Amarus intus, extra
Aculeiſque fixus,
Fugit Cupido; mæſtas
Fudiſſet & querelas,
Probri rubor loquacem
Ni diſtuliſſet iram.

Thyrſis. Roſam novella nuper
Aperire cæpit aura;
Roſeta pleniore
Cum ver tepore ſolvet,
Tunc floridum, integrumque
Donabo Nazarenæ
Roſarium Puellæ.

Menalcas. Nondum ſuave flores
Ver explicavit omnes:
Cum ſurget omne florum
Genus, ſimul colorum,
Maria, tunc odoram
Texam tibi corollam.

T. Qua me tuas juvabat
Referre, Diva, laudes,
Vitium ſonora fecit
Arundo, tibiamque
Hyberna poſt peracta
Rapax tulit, quis ille eſt,
Qui noſtra feriatus
Inſedit arva miles?
Humore cùm novello
Salicta ſe remittent,
Tum fiſtulas tenellas
Fingemus, & canoris

Te concinemus odis.

M. Fors inſcium priores
Videre me lupi; vox
Defecit undè fauces:
Si vox reverſa noſtræ
Faciet viam loquelæ,
Modulabimur pudicum
Noctes, dieſque carmen.

T. Audita verba dulcis
Ubi ter remittit echo,
Nuper locum notavi:
Hìc Virginis deinceps
Narrabo cantu amores:
Feratur ad remotas
Repetita vox ut aures.

M. Mariana dum ſonoris
Tenuabo metra cannis,
Melibæus in ſalignis
Deſcribet illa truncis.
Ego arborem, & loquaces
Frequens notas reviſam:
Relegenſque noſtri amoris
Monumenta ſcripta, grato
Fletu genas rigabo.

T. Quos nutrit in propinqua
Philomela ſepe natos,
Fugam antequam novellis
Periclitentur alis,
Nido efferam, domique
Tradam ſorori alendos:
Hos interim dicatas
Jeſſejæ Parenti
Docebo cantilenas.

M. Cum

M. Cum feſſa me canentem
Dies relinquet, & vox,
Ponetur in recurvis
Suſpenſa avena ramis;
Animata credo notis
Reſonabit illa ventis,
Suumque perget apto
Sequi tenore morem:
Morem ilicet canendæ
Amabilem Mariæ.
Hæc Tyrſide, & Menalca
Canentibus viciſſim,
Paulatim oborta rebus
Nox abſtulit colorem:
Mox Luna pulchra cælo
Apparuit ſereno:
Miratus hanc Menalcas
Se luce pulchriore
Solitò magis probare,
Quis ſcit, Maria, dixit,
An illius venuſta
Se velet in figura?
Nam fertur a decora
Audire Virgo Luna.

Autumnus ecce blanda
Proceſſit in figura:
Quacumque ſe videndum
Proponit ille, lætum
Trahit botrus colorem,
Trahunt novella poma.
Quid in anxia ſodales

 Adhuc

Adhuc moramur urbe?
Nunc me juvat paterna
Peragrare rura , longos
Dieſque collocare
In impigro labore:
Modò nam meos in alnis
Renovabo falce amores;
Renuente contineri
Quibus arbor alta libro
Supervenire tentat.
Clamore ſæpè celſos
Interrogabo colles,
Num ſint adhuc pudicam
Memores referre Divam:
Fontes requiram amatos,
Qui provocare blando
Suevere me ſuſſuro;
Vineta culta viſam,
Quæ jandiu feraçes
Caſtæ dicata Matri
Didicere ferre fætus.
Ponemus omne ruris
In hoc labore tempus,
Reverſa donec annum
Exaſperet ferocis
Apeliotis aura,
Inducat & colorem
Nix alba rebus unum.

Tityrus. Cùm lenibus pudicos
Queror modis amores,
Vellem meis querelis
Rauca aſſiliret unda.

Daphnis.

Daphnis. Cùm dulce texo magnæ
Præconium Parenti,
Vellem meis loquelis
Admurmuraret aura.
T. Quid plura? Quidquid amplum
Inviſitur per orbem,
Vellem mihi ſuavis
Conſors amoris eſſet.
D. Vellem mihi canori
Conſors foret laboris.

Venator in ſopora
Sequitur feras quiete;
Arator ampla ductis
Diſtinguit arua ſulcis;
Frondator alta falce
Depaſcit arboreta:
Ego ſomnians Tonantis
Amo, canoque Matrem.
Intervenit nec ullum
Diſcrimen inter album
Diem, nigramque noctem;
Nam dormiens, iiſdem
Teneor, vigilque curis,
Ut ſomniare luce,
Vigilare nocte credam.

Hymettiæ volucres,
Cæleſte munus aptam
Quæ fingitis per artem,
Majore nunc velim vos
Negotio ſuperni
Curare dona Cœli.

Quæ floruere vulgò,
Prætervolate prata:
E liliis, roſiſque
Libate mella tantùm,
Pulcherrimiſque florum.
Cùm ſingula inquieta
Erunt parata cura,
In litteras loquaces
Cudatur apta cera,
Quæ ſuave nomeñ almæ
Jeſſeidis figuret:
Poſt litterarum in arctis
Stipate mella cellis:
Non melleo vacabit
Potior locus liquori,
Non cereum probabit
Fabrica aptior laborem.

Errante ſiqua verſu
Deſcribo, quæ meis ſunt
Abeſſe viſa cæptis,
Non ullus inde noſtras
Cenſor notet Camænas:
Si lilium, roſaſque,
Reliquoſque laudo flores,
In liliis, roſiſque,
Reliquiſque comprehendo
In floribus Mariam:
Cùm metrica feraces
Cantantur arte vites,
Sub vite Nazarenam
Intelligo Puellam:
De moribus fluentum

Nuper

Nuper peractum aquarum,
De laude carmen illud,
De moribuſque noſtræ
Fuit peractum amatæ.
Quæcumque canto, divam
Subaudio Parentem.

Tibi Maria ſcriptas
Dum voluo nuper odas,
Et omne curioſa
Carmen retento cura,
Heu, dico, dum ſupremas
Æquare credo laudes,
De laudibus canendæ
Demo inſcius Mariæ.
Reponit ille, quem jam
Eſt nominare longum.
Gemmas velut per oras
Tenuata prodit unda,
Depreſſa ſic tuo laus
Verſu, revelat altæ
Decus perenne Matris.

Negotia inquieti
Cum Villici canebam,
Aut Teutonis ſuperbas
Ferocientis iras,
Exordiebar, inde
Incæpta finiebam:
Meos ſed arte poſtquam
Deſcribo Teja amores,
Reminiſcor orſa tantùm,
Medio nec ullo amatos,

Nec ſine ſigno cantus:
Æternitas beati
Surgit mihi laboris.

Peracta quòd ſine ullo
Eſt tota bruma cantu,
Inane fortè nobis
Putas iiſſe tempus:
At longa noctibus ſe
Cum bruma porrigebat,
Jeſſeidis pudicos
Tunc ſomniabam amores:
Nunc quando me ſtrepenti
Ver excitavit aura,
Aviumque cantilenis,
Et fontium ſuſurro,
Hyberna litteratis
Deſcribo viſa chartis.

Quòd fertur incitata,
Quacumque vult locorum,
Velocitate ventus;
Sunt, qui velint amantes.
Audacis expeditas
Alas habere venti:
Velocitas ſed auræ
Obliqua nil movet me;
Natura ſurſum euntis
Mihi invidetur ignis,
Euntis aſtra verſus.

Redux in orbe lapſos
Ni ſol notaret annos,

Quos

Quos vovimus canendæ,
Voveoque nunc Mariæ;
Et crebra ni peracti
Ruga admoneret ævi,
Unius inſtar horæ
Tot luſtra computarem:
Jucunda nam canentem
Quæ detinet voluptas,
Faſtidium diurni
Oblitterat laboris,
Spatiumque demit annis.

Quæ nunc vigente floret
Ætate adultior ſpes,
Olim puſilla natu,
Nec dum pedes, nec alas
Audebat experiri,
Adeoque plana feſſis
Radebat ima pennis.
Amor miſertus altam
Produxit in juventam,
Inque anxiam volatus
Cupidinem erudivit:
Aviſque ceu tenellos
Periculo ſuomet
Hortatur ire pullos,
Sic ſpem magiſter alis
Amor præibat, ultro
Curſumque dirigebat.
Quapropter illa ſumma
Si nunc capeſſit aſtra,
Exemplar anteuntis
Promovit illam amoris.

Hæc

Hæc laurus, inquit Alcon,
Quam Cinguli fluentem
Educo propter undam,
Meliore qui deinceps
Verſu canet Mariam,
Eſt dedicata vati.
Arbor novella natu
Circùm comas ituræ
Spem differet coronæ;
At ſera, credo, ſacrum
Ætas feret poetam,
Divina metra tantam
Cui vindicent coronam.

Quæcumque pulchra magnus
Monumenta jactat orbis,
Retulere viſa laudem,
Meruere ſæpe amorem:
Non viſa Nazarenæ
Sed forma plus capit me:
Plus illa amatur abſens,
Quam blandientis orbis
Exemplar omne præſens.

Sunt qui fragrante fummos
Placare thure Divos,
Vovere qui ſacratis
Suevere doma templis:
Submiſſus hic ad imas
Preces frequentat aras,
Suſpiria ille vatis
Jeſſeii recantat:

Ego

Ego labore nullo
Flecto Mariam amando.

Ubi canto te, Maria,
Melioris indolem anni
Imitata bruma vernat,
Zephyrique mollis inſtar
Borealis aura ſpirat.
Ubi canto te, Maria,
Inamœna teſqua florent,
Velideſque collis umbras
Meditatur, ira quamvis
Canis æſtuet furentis.
Ubi canto te, Maria,
Tenebroſa nox diurna
Magis alba luce ſplendet,
Nebulaſque verrit alis
Niger Africus ſerenis.
Ubi canto te, Maria,
Aconita triſte virus,
Rigidoſque ſponte mores
Hebetata ſpina ponit:
Fera poma mitiori
Renovantque ſe ſapore.
Ubi canto te, Maria,
Fera pace bella rident,
Poſitoque feriatur
Gravior dolore cura:
Validoque ſtat vigore
Minus anxia ægritudo.
Ubi canto te, Maria,
Fugit omnis inſtar umbræ
Inhonora forma terræ,

Subit

Subit & fruenda læti
Specioſa forma Cœli.

Montana tecta canæ
Petente Diva Eliſæ,
Peregrina Nympha ponè
Subibat, at ſequentem
Cæcus fefellit error.
Tunc illa voce mæſtos
Interrogare colles,
Atque avium remiſſis
Implere rus querelis:
O qui indicet Mariam,
Dicebat, anteuntem?
Reſpondit Alphus, imo
Qui calle præteribat;
Quacumque puriores
Videbis ire fontes,
Aut ſicubi novello
Vernare teſqua flore;
Siquà audies volucres
Suavè murmurare,
Zephirumque rore plenas
Quaſſare lenè pennas,
Hac, dic, iit remotæ
Cognata Virgo Eliſæ.

Mariana metra denſi
Daphnis levi ſub umbra
Cantabat æſculeti:
Cantante ventus illo
Jucundius ſtrepebat,
Aviſque dulciores

Loqui

Loqui ſtudebat odas.
Fontana vena ſolùm
Mutò liquore ſilva
Tacebat in propinqua.
Tum Daphnis inquietis
Mutæ faceſſit undæ
Negotium lapillis.
Mora nulla: rauca lenti
Suſurrat unda fontis,
Conſpirat & canorum
In Daphnidis laborem.

Certæ parens ſalutis
Columenque, Virgo, Mundi,
Vides, in inquietis
Ut tempus omne curis,
In lacrymiſque ponam?
Non hoc facit paterna
Populatus arua Teuto,
Non quod truci malorum
Vultu minatur agmen:
In corde natus æger,
Vitæque dulcis expes
Facit meo dolores;
Quapropter, alma, noſtram
Velis juvare prolem,
O noſtra ſpes, amorque.
Quod ſi meas in auras
Sines preces abire,
Plus me dolore tanget,
Quòd noſtra tu fereris
Non approbaſſe vota,
Quàm perdidiſſe natum.

Ars docta res decentem
Efferre per figuram,
Mihi nunc decora caſtæ
Simulacra finge Divæ.
Informe nolo marmor,
Solidumque nolo robur
In hos parentur uſus,
Utrunque durius nam
Abludit a tenore
Amabili Mariæ.
Nec ipſa creta formæ
Eſt apta lineandæ,
Nam dignitatem amatæ
Non implet illa noſtræ.
Et cera mollis etſi,
Et alba ſit videri
Diſcedit à benignæ
Fortaſſe laude Divæ:
Jucunda ſpuma roris,
Quam canna ſtillat Inda,
Parentis auſpicandæ
Plus convenit figuræ;
Dulcedine illa nempe,
Candore ſe probatque;
Dulcedo & ipſa tota eſt,
Eſt tota Virgo candor.

Experta numquid in me
Iniqua cura poſſet,
Se mille viſu amaras
Vertebat in figuras.
Furentis ergo vultus
Aptat ſibi Svevi,

Tor-

Torvùmque me tuetur
Stricto minata ferro:
At illa nil Svevi
Me terret ore ſumpto.
Vaſtantis arua formam
Dein induit procellæ,
Nimbis amicta, frigus
Boreale ubique ſpirans:
At illa nil procellam
Imitata commovebat.
Genas deinde finxit,
Quas ægritudo præfert
Pallore decolores:
Et ficta nil timoris
Adjunxit ægritudo.
Ut vidit illa diros
Fruſtra induiſſe vultus,
Languentis ora nati
Effinxit, & ſupremæ
Efflantis halitum auræ:
Tum ſueta vox, colorque
Animuſque me reliquit,
Manibuſque tum remiſſa
Cecidere ſponte plectra.
Victrix mali ſuprema
Tamen eminet mei pars;
Nam muta lingua quanquam,
Chelyſque mæſta ceſſet,
Solerte mente, dulces
Retento ſæpe cantus,
Laudeſque per puellæ
Decurro Nazarenæ.

Premente cor dolore,
Nec te ſilere poſſum,
Cantare nec, Maria:
Ideoque te queror non
Cantare poſſe, ſed dum
Queror, meis querelis,
Ratus ſilere, canto.

Qui prole nos adempta
Torquebat, hiſce vidi
Oculis meum dolorem,
Mærore pictum amaro,
Luctuque merſum acerbo.
Perennis inſerenas
Imber genas rigabat,
Criniſque per jacentes
Neglectus ibat armos;
Lacerque membra amictus
Prope nuda veſtiebat.
Inamabili figura
Commotus, aut moleſte
Dolor faceſſe, dixi;
Meliore vel ſeveros
Colore pinge vultus.
Loquebar hæc: at ille
Mariani amœna ſumpſit
Doloris ora, cultus
Et induit novellos;
Pro lacrymiſque gemmas
Dimiſit ex ocellis,
Et melle dulciores
Exorſus eſt querelas.
Illius elegante

Decore

Decore captus, illum
Amplector, & repente
Voco meum dolorem,
Adblandiorque plenis,
Ut aſſolent amantes,
Suavi lepore verbis.

Requiris unde verſus
Mihi tot fluant per horas?
Non laudis hoc ſuperbæ
Facit cupido, dii
Non alta vis furoris.
Meliore ſemper arte
Mariana dum ſubinde
Formare metra conor,
Periclitor canorum
Vice altera, & deinde
Vice altera laborem:
Eventus at ſuperbi
Non implet auſa voti:
Quapropter inquietum
Iterum retexo carmen;
At carmen omne ſumma
Viſum eſt abeſſe meta.
Tunc has reſumo, & illas,
Et curioſus uſque
Subjungo cantilenas:
Sed nulla ſurgit apto
Tenore cantilena:
Hinc millies per horas
Iterare conor odas,
Expertus, ulla ſummam
Num tangat oda metam.

Dic terra, dic per amplos
Porrecta terra tractus,
Quid appropinquat altæ
Simillimum Mariæ?
Reſpondit illa, magnam
Nihil Mariam adumbrat.
Dic magne rex aquarum,
Quid ſalſa gignit unda,
Quod parte ſit pudicam
Viſum referre matrem?
Reponit ille, caſtam
Exempla nulla pingunt
Apto colore Divam.
Dic aura, quæ patentes
Anhela curris axes,
Videre num decoræ
In axe matris æquàs
Tibi contigit figuras?
Suſurrat illa, nullæ,
Quæ lineant Mariam,
In axe ſunt figuræ.
Ut irritum perire
Tentamen omne vidi,
Diffingo vana tandem
Alio tenore verba,
Verſaque dico voce:
O cælitum beata
Sedes, & almi amoris,
Intacta quid propinqua
Refert Maria dote?
Dotes ſui puelli
Imitatur illa, dixit.

Jeſſea

Jeſſea quando noſtras
Virgo bibebat auras,
Suo tenore ſæpe
Deerrabat annus anceps,
Suumque ſæpe motem
Natura præteribat.
Si fortè culto in agro,
Aut aſperis locorum
Ponebat illa greſſus,
Aquilone vel rigente,
Veſtigium omne nato
In flore deſinebat.
Si dia fors viatrix
Præterfluente parcam
Sitim levabat unda,
Unda alterum ſaporem
Libata contrahebat.
Cæleſte cùm ſuavi
Edebat ore carmen,
Percuſſa voce dulci
Silebat aura, lentas
Nec commovebat alas.
Aurora ſæpe flavo
Properare viſa curru,
Eſt viſa ſæpe lucem
Cita Luna prævenire
Videndæ amore Divæ.
Fortè arboris propinquos
Tangebat illa ramos?
Sperata poma nondum
Tacta arbor induebat.
Quandoque pigra tellus

Se continebat, & tunc
Ornare ſe ſtudebat,
Cùm ſol memor Mariæ
Caput aureum efferebat,
Natale ſive, miri
Seu ferret ille partus
Volvens in orbe tempus:
Tunc læta ſilva frondes,
Herbas novella prata
Iniuſſa proferebant;
Omniſque luce amica
Natura geſtiebat.

Eſt, qui velit perenni
Amabilem Mariam
Cantare me tenore:
Sed Virgini dicatas
Cùm texo cantilenas,
Tunc tantùm amare dico:
At læta vocibus cùm
Operoſus addo facta,
Amo tunc Marian: Ergo
Mihi ſæpius canorum
Mutare ſtat laborem
Negotioſo amore;
Nec dicar eſſe mendax
Tuus, Maria, amator.

Jordanis ad ſtrepentes
Quæ degit aura ripas,
Cuſtodia fideli
Audita metra ſervat,
Quæ Jeſſias propinquas

Nar-

Narrabat olim ad umbras:
Apportat illa nobis
Longinqua ab uſque Idume
Cæleſte ſæpe carmen:
Ego ſenſa mira ſacri
Perlata vatis urbes
Recanto per latinas;
Et quas videri opaca
Cælarat ille in umbra,
Revelo nube pulſa
Tuas, Maria, laudes,

Vi nuper inſueta
Me ſomnus obſidebat;
Pharetratus at puellus
Meum cor obſidentem
Pugnabat in ſoporem;
Arcebat & vibratis
Manu ignea ſagittis,
Ut vidit ille fortem
Nil poſſe contra amorem,
Cæleſte ſomniorum
Vocavit agmen, & ſe
Phantaſmatum vocatis
Immiſcuit maniplis:
Furtivus ille noſtrum
(Mora nulla) cor ſubintrat,
Fallente nempe turba
Imaginoſa amorem.

Si dixero canendæ
Faſtidium moleſtum
Cæpiſſe me Mariæ,

Irata abominatam
Diſpergat aura vocem,
Feratque trans diei,
Viaſque noctis ultra,
Qua nulla ſigna vocum
Mutus remittit aer.
Si dixero canendæ
Cupidinem novellam
Cæpiſſe me Mariæ,
Amabili loquelæ
Adblandiatur aura,
Sol curioſus omni
In flore ſcribat illam,
In fronde geſtet arbor,
Aves loquantur, ipſa
Ubicumque reddat echo.

Anacreonticorum Finis.

SER-

SERMONUM LIB. I.

Digitized by Google

De moribus nonnullorum Cauſidicorum.

SATYRA I.

NOBILISSIMO VIRO

COM: CAROLO SANVITALI

EQUITI HYEROSOLIMITANO,

Et Franciſci I. Parmenſium, & Placentinorum Principis

Cubiculi Præfecto.

CArole, qui veterum præclarum nomen avorum
Fraternis, pariterque tuis virtutibus auges,
Nam ſanguis pariter vos jungit, & inclyta virtus,
Accipe feſtivo quos nuper carmine pinxi
Cauſidicùm mores; nec verius eſſe locuta
Olim fatidici credas oracula Phœbi.
Eja age, fronte meas hilari dignare camænas,
Admiſſoque leva curarum feria riſu.

Cauſidicus, ſervus interlocutores.

C. Ante mihi pacta quàm tu mercede diurnam
Addicas operam, & ſubeas data munia, totum
Servitii mihi pone modum, ſortemque prioris.
S. Manſi apud Eumolpum, mora quanta eſt annua, ſed ſic,
Ut

Ut nunquam pejus fuerit mihi. *C.* Patricio ſub
Tam malè rem ceſſiſſe viro, qui ſeſquipedali
Incedit paſſu, cui ſi vel ſumma poteſtas
Obvia prodiret, nec dignaretur honore
Detecti capitis, nec læva flectere vellet?
S. Tempeſtiva meis modò ſit narratibus hora
(Nec mora longa) mihi quàm ſors fuit improba, diſces.
C. Perge age rem totam mihi nunc ab origine pande.
S. Principio tectum ſimulac me cæpit herile,
Me curæ, & varii quoque circumiere labores:
Quorum major erat, fatui, quàm longa dies eſt,
Lenta ſequi domini veſtigia: ſæpe tabernas
Viſebat, ſummus gentis quò convenit ordo.
Poturus citri ſuccum beneolentis in arctam
Converſum glaciem, poſiturus vel malè tempus
In jactis vacuum talis. Quandoque locorum
Per diverſa ferebat iter, modò lumine blando
Seſe magnificè circumſpiciens, modò torvo
Reſpectans populum dextra, lævaque minorem:
Et manè his ſtudiis, & curis talibus ibat.
Interea mihi venter inanis murmure crebro
Dilata in longum accuſabat prandia tempus.
Sit male, dicebam, radioque, ærique ſonoro,
Qui ſignat certas, tinnituque indicat horas.
Hæc ego. Nam dominus non ante in tecta redibat,
Lucis dimidium quàm tinnula ſigna dediſſent.
Nec minus obſcuræ producta in tempora noctis
Cæna trahebatur, depictas ſæpe papyros
Verſando, vacuum exercendo ſæpe fritillum:
Quod tamen eſt durum magis, aſperiuſque, per annum
Totam luſi operam, vacuus mercedis, & expes.
C. Quæcumque hæc fuerint adverſa incommoda ſortis
Mitte queri, & curas animo diſpunge moleſtas:

Tu

Tu modò mentem adhibe dictis, mandataque ſerva
Noſtra memor. *S.* Mihi non prior hac erit altera cura
C. Imprimis ſua per diſcrimina noſſe clientes,
Qui me conveniunt, nec non quoſcumque notare
Uſus erit tibi; dona magis qui nempe frequentant,
Quique minus: tantùm hoc bene diſpice; cætera cæcum
Exige ad arbitrium: neque enim ſi nobilis ædes,
Plebeuſve meas pulſaverit, ille, vel ille
Momentum adiiciat, ſed ſolo a munere quemque
Metire, & ſorti, aut titulis nil ponderis adde.
Quos igitur manibus plenis & dona ferentes
Anterius clamare videbis ad oſtia, blandis
Excipe continuò officiis, his dicito ſemper,
Vel ſi intempeſta veniant de nocte, ſui eſſe
Remque, domumque meam juris; Quacumque viarum
Offendas, gratam ſubitò impertire ſalutem,
Caros palpa humeros, & partem cede priorem:
Opportuna tuis quin ſi ſermonibus hora
Suppetet, appoſitas ad rem committe loquelas:
Dic, mihi quæ menſas ornent argentea vaſa
Veniſſe in votum, vitulos a Teutone nuper
Raptos, jejunamque ideò, viduamque culinam.
Præterea pictis nobis opus eſſe tabellis
Albo ponendis in pariete: deeſſe caballum,
Et bigam, qua vectus amœna in prædia tendam.
Detorquere aliò poteris quandoque loquelas,
Et me ſollicitis ſtomachi cruciatibus adde
Confectum, tantùmque malo ſelecta ciborum
Profectura; oræ Liguris bellaria nempe,
Atque coturnices, longas roſtrum ortygometras,
Et teneros pullos, quos rupto nuper ab ovo
Excluſit criſtata parens. Succedat achivis
Littoribus faba miſſa, ignito toſta calore,

Et

Et glans occiduos Indorum lecta per agros,
Mollis Iber potus quam concinnavit in uſum:
Artibus his, tectoque dolis ſub talibus hamo
Accedet captus noſtra ad vivaria piſcis.
At quiſquis longo tibi deprendetur ab uſu
Re vacuus, metuens ſumptùs, parcenſque crumenæ,
Hic parui tibi ſit; primo quin lumine ſi me
Conſultum veniet, dic me alto ſtertere ſomno;
Si media de luce, rotundæ accumbere menſæ
Inter convivas: cauſabere quamlibet horam.
Sunt, quibus obſequium tumidæ favor altior aulæ
Conciliat, quos tutum haud eſt contemnere: verùm
Siccis elicias potius de cautibus imbrem,
Quàm ſit ab his nummos extundere: quotidie nam
Et maria, & montes ſine re promittere ſverunt,
Ornatiſque ſtudent dictis imponere: cura
Par, & idem ſtudium teneat te: ſcilicet illis
Continuò aſſurgas venientibus, effer ad aſtra
Laudibus, & verbis ſtudioſa rependito verba;
Et nuce ludifica, qui vult deludere, caſſa.
Vel ſi conficiat mæror tua pectora, vultus
Semper finge bonos, tamen illos haud mea ſemper,
Cùm me convenient, in tecta venire jubebis.
Plura monenda forent: ſed enim experientia longo
Eventu rerum deducta, tuæ addere perget
Doctrinæ momenta, popellum fallere gnaræ,
Et verſare dolos, & amicos ducere nummos.
Talibus, atque aliis cùra ſolerte peractis
Pone rudimentum: cùm tu profeceris arte
Doctus in hac, nobis apponens dulce lùcellum,
Inque mei caſtris veteranus habebere miles,
Mecum venali dabitur de lite paciſci,
Penſabitque tuum merces diviſa laborem.

De

De moribus hodiernis

SATYRA. II.

O *Curas hominum, o quantum eſt in rebus inane!*
Indignabundus clamabat Perſius olim:
Hæc bene quàm patria nunc vociferarer in urbe!
Dira lues unà cæco cum Marte vagantur
Undique, & effuſis demens dolor errat habenis:
At quid Rulla? brevem componit nulla diem nox,
Anxius extemplo quin ad ſpectacula currat,
Quæ dare comœdus, quæ pſaltria Gellia ſvevit.
Illic inſomnis, jejunus, & immemor omnium
In totam noctem naſo ſuſpenditur unco:
Non res dimoveat curanda domeſtica, non qui
Submiſſa eſuriens muſſat convicia ſervus.
Siquos forte jocos, quibus eſt nec paucula docti
Mica ſalis, pandis bibit auribus, illico plauſus
Attollit, quales Itali edere ſæpe ſolemus,
Luditur e Gallis cum fabula ſumpta Poetis:
Nos fatui, qui tantùm aliena exempla probamus!
Atqui parva foret capitis jactura puſilli,
Stultorum in numerum ſi ſolus Rulla veniret:
Publica damna queror. Tota properatur ab urbe
Mimorum ad nugas, ſacraſque Amathuntidi noctes.
Tongilius, cui vix feſtis calet olla diebus,
Exſecat aſſueto de victu particulas, &
Defraudat genium, nova quo ſpectacula detur
Viſere per nummos hac ſcilicet arte paratos.
Ruffillus, ſecreta domi quem vexat egeſtas,
A'mimis ne nocte quidem ſibi temperat una:
Quin ut in Attalica ſe conditione reponat,
Sumpti-

Sumptibus & vanam prætendat inanibus umbram,
Magnificè gradiens ſe ſpectat, & illius uxor
Procedit criſtata, velut campeſtris alauda.
At licet affectes felix, & dives haberi,
Non mihi, non populis impones : ſcit bene tota urbs
Quadrupla quæ verſis jugulent te fœnora lunis,
Qua tibi Judæus mercede locarit apella
Pallia, lenta quibus verris veſtigia : quænam
Curari elleboro dementia digna magis, quàm
Diſſimulare quod es, quod non es, velle videri?
Æmiliane tibi lacer eſt, maleſutus amictus;
Jamque propinquat hyems; mox & noliſve, veliſve,
Frigida compreſſo tibi muſica dente canetur.
Audi conſilium : tibi ſarciretur aluta
Utilius, meliuſque nates tegerentur iniquam
Contra hyemem, contra falſi dicteria vulgi,
Quàm foret exigui ſic pars peſſundata cenſus.
Nec mihi præterea ſapientum adſcribitur albo,
Qui viſit tota clamoſas luce tabernas,
Toſta ubi littoribus bibitur faba miſſa pelaſgis,
Sorbenturque nives: hæc veſtra academia nempe eſt
Patricii cives, quò veſtrum quiſque diurnus
Convenit, inſana ſpecimen de mente daturus,
Nec non de nugis ſcurrilibus. Hìc bene veſtræ
Conſultum eſt patriæ, quoties de Teutone braccas
Non bene ſuccinto, de Gallo pulverulento
Molle caput, vanas agitatis utrinque loquelas,
Regnaque dividitis ſtultis ingentia votis.
Potus interea crebri, magnoque ſequuntur
Elati clamore, inconſultique cachinni,
Pulchra velut longi traheretur pompa triumphi,
Publica vel totis errarent gaudia vicis.
Sunt qui quotidie curru vectantur aperto

Per

Per fora, perque vias, & tempora multa terunt in
Lentis quadrigis; ſunt qui profitentur amores,
Quales divini proponunt ſcripta Platonis,
Quales etruſcus Lauræ cantavit amator.
Non mihi ſed vulgo ſtudeant imponere; credant
Hoc pueri, nares qui nondum emungere norunt.
Nequicquam obtendis magnorum exempla virorum
Velamenta tuo ſceleri maleſanus amator:
Gallica, tu dicis, gens hoc facit; at quoque Gallos
Scripta juvat veterum celebrata evolvere vatum,
Mandare & ſæclis opera admiranda futuris:
Martis opus pariter juvat exercere, manuſque
Hoſtiles contra generoſum opponere pectus.
Ut vitia externæ, ſic tu quoque gentis adumbra
Virtutum decora alta: feroci prælia dextra
Conſere, qui viſa formidas myſtace diri
Teutonis, & tonitru ſimulac rumpuntur opaca
Nubila, ſollicito tremis oſſa, animumque pavore:
Hiſtorias committe, & mutis carmina chartis,
Cui penitus res eſt nec thuſca, latinaque nota;
Cui ſcalpentis humum gallinæ ſigna videntur,
Litterulæ doctas quæ diſtinxere papyros.
Abnutans ſed enim Gorgonius, ecquis, ait, nunc
Nocturnis operæ pretium impalleſcere libris
Ducat, & ingenuas velit amplius excolere artes,
Quandoquidem ſcurram magis expedit, & cinifionem,
Quàm ſcriptorem agere? innumeri quæ præmia vates,
Quæ retulere ſophi, niſi laudem, & inania verba?
Vita mea eſt igitur felicior: ilia cænis
Pinguia diſtendo ſaliaribus, otia ſomni
Longa traho, donec clarum intret mane feneſtras.
Præterea picta totam diſcurro per urbem
Quadriga, vectaſque hinc inde ſaluto viciſſim
Ma-

Matronas, ſero quæ veſpere ſæpe frequentant
Converſo orbe viam Claudi de nomine dictam.
Tædia ſiquando capiunt me, geſta revolvo
Errantum famoſa equitum, vetereſque furentis
Orlandi hiſtorias, quas ludicra pagina ponit:
His aliiſque dies juvat, & traducere noctes.
O caput auriculis dignum quod inertis aſelli
More Midæ fruticet! pulchrumne putas virtutem
Unius amplecti vili utilitatis amore,
Ipſa ſibi quando pretium eſt, ſibi præmia virtus?

In Cauſidicum

SATYRA III.

In ſummos Italicæ linguæ Antiſtites, eorumque judicia.

SATYRA IV.

ALbus Rulla comas, vaſtumque abdomen obæſus,
Anxia qui lento librat veſtigia paſſu,
Quo prodire ſolet feſtis matrona diebus,
Barbarica me carmen ait componere lingua:
Quapropter latiis mihi nunc valedicere Muſis
In mentem venit, & potius teſtudine thuſca
Dulce ciere melos. Vos ò, capita alta Senatus
Italici, quæ jura datis communia Muſis,
Igno-

Ignotam monſtrate viam, qua carmina detur
Condere, concordi quibus omnis Hetruria voto
Annuat, & puræ donet præconia linguæ.
Sic ego: conſcriptis mihi ſic de patribus unus.
Quòd te romanæ cæperunt tædia muſæ
Gratulor; Auſonidum quid enim tibi mucida laudis
Lingua feret, quam vix intelligit unus, & alter?
Idcircò ſi noſtra juvat te lingua, Pethrarchæ,
Et Dantis gemino clauſa aſſere ſcripta revolve;
Namque facit pretium veteris nota temporis aſſer,
Loraque in officio junctas retinentia chartas.
Amborum te finge ad magna exempla, & eoſdem
Uſurpare memento modos. cùm reddere lingua
Uſus erit patria *non unquam*, *unquanco*, repone:
Dic *V*, quando tibi vulgari more referre
Auſonium continget *ubi:* ſuper omnia ſcribe
Xi ſimplex, cùm res feret, & medium abiice *ſigma*;
Abiice *Jota*, vicemque fac hujus *Lampda* ſubire;
Atque ideò exemplum patria quod voce vocatur,
Paulò mutatum ſcribas ſermone paterno:
Præterea luſus iterare jubebo frequentes
Prolato *lauri*, pulchræ modò nomine *Lauræ*:
Antiquis vatum de verſibus erue voces
Ignotas vulgo, quas ſi nec percipis ipſe,
Nil refert: amplam Dantis myſteria meſſem
Sufficient, miranda ſuis myſteria verbis,
Nec quibus ipſa loqui Phœbi cortina negaret.
Talibus ille mihi: contra mihi talibus alter.
Muſarum quicumque volet floreſcere laude,
Vilia nil Dantis faciat nil fruſta Pethrarchæ;
Quin Bembi potius, Caſæque exempla ſequatur
Edico; fuit illa viris ingentibus ætas
Spectanda imprimis, atque aurea nempe vocanda.
Idcirco

Idcirco putas tornare aſſueſce loquelas
Aſſiduo cultu, ſic & diſponere verba,
Ut norma videaris eadem compoſuiſſe
Sermonem, quali poſitas quincunce colonus
Digerit incertas, & ponit in ordine plantas.
Atque hæc cura, laborque fluentes non tibi formet
Sponte ſua facileſque modos; ſed docta reſultet
Durities, atque umbra ſuis veneranda tenebris.
Nondum finierat, cum pro inus excipit unus.
O quiſquis thuſcæ caperis dulcedine Muſæ,
Horrida protentis ne ſæcula conſule barbis,
Sed potius qui nunc viget, æternumque vigebit,
Præſentem obſerva morem: noſtrum ilicet ævum
Verſus edidicit meliore includere gyro,
Deterſitque ſitum eloquii, legeſque refigens
Antiquas, italo procul ablegavit ab orbe
Olim quæ fuerant in honore vocabula, plura
Repperit, atque aliter pronunciat ordine verſo.
Inſcita ignavæ damnavit & otia nuper
Litterulæ, nullo quæ munere fungitur, & quam
Aſpirans tenui componit ſpiritus aura.
Expunxit quoque *ſigma*, & fatali omine *Theta*
Funeſtum, charta ſiquando negotium in alba,
Scribere vel patria contingit prandia lingua;
Aſperiuſque ſonans induxit *Zita*. Minorum
Corpora præterea formare tricorpora vocum
In morem gentis feliciter audet achivæ;
Et quæ jampridem longus diſiunxerat uſus,
Adverſa inter ſe committit verba: ſed ultra
Quid ſequor, aut ſimili quid te ſermone fatigo?
Hoc iterum edico, tibi ſint præſentia cordi
Tempora, momentique vetus ſit nullius ætas.
Hæc ego dicta meis, & præcepta auribus hauſi:

Sed voto huc illuc diſcorde ferebar, ut hærens
In trivio dubitat quà tendat parte viator.
Mox vaga noſtratum volventi ſcita parentum
Excuſſit tantus diſtenta mihi ilia riſus,
In denſo quantum memini me audiſſe popello,
Ad numeros catulum ſaltare docente Bathyllo.

De Poetarum ſorte

SATYRA V.

SEmper ego in patria, ceu reptile gramen, amatæ
Hærens telluri traducam inglorius annos?
Nec noſtros Arnus numeros, Tiberina neque unda
Audiet, Auſonidum dives neque cladibus Iſter?
Atqui ego: ſed celeri præſtat velocius aura
Hinc fugere, & Balbo tandem valedicere, qui me
Noctes, atque dies vexat, lectiſque fatigat
Funebri titulis in marmore deſcribendis.
Hæc ego Ventidii inculcabam nuper in aures;
Ventidii cui ſolertes prudentia mores
Fingit, & in duris ſpectata induſtria rebus:
Namque ova ingratum malè ne diſperdat in uſum,
Gallinis didicit ſupponere ſaxa rotunda;
Excoquere & feſtis quando juvat illa diebus
Utitur inducto flammarum in munera ſole.
Ergo ubi ter manibus ſcalpſit caput, & protentam
Demulſit barbam, ne te maleſana cupido
Antiquos, dixit, jubeat mutare penates:
Quòtecumque feres, vel ad ultima littora pergas,
Aſſiduus labor, & faſtidia longa ſequentur.
Quòd ſi finitimæ tactus regionis amore

In

In thuſci mavis tempe ſecedere cœli,
Fertur ubi Phæbum, & doctas habitare ſorores,
Illic ridiculis opus eſt aſſueſcere nugis,
Quas gens imprimis ſapientum etruſca frequentat.
Scilicet innumeras ſuper uno impendere Jota
Uſus erit noctes, & miris corpora vocum
Dilacerare modis, duramque recudere per vim;
Et ſi fortè quis aſſurget tentamina contra,
Continuò bellum, & vocalem indicere pugnam.
Mos erat æterna lauro donare poetas
Patribus euganeis olim, argentique talentis.
Nunc niſi fœminea modulamina rithmica voce
Semivir inflectas, verſuque canente Neræam
Confertum ſcortis doceas reſonare theatrum,
Erranti ſcribes in aqua, lateremque lavabis.
Fama eſt ſequanicum doctis ſcriptoribus orbem
Arridere, auroque illic & laude rependi
Scripta: ſed Iliadem licèt, atque Æneida vincas,
Quod poſſis ſperare tamen, nihil indè relictum eſt,
Sequana quippe ſuis tantummodo plaudit alumnis.
Talibus atque aliis ſapientis ab ore profectis
Ventidii adjunxi hæc. Quando hoc in cardine eunt res,
Vervecum in patriam, quam Rhenus inundat, & Iſter,
Unà cum Phæbo; doctiſque ſororibus ibo.
Scilicet hìc parvo conſtare negotia dicunt
Vatibus: abſimiles conjungam dummodò voces,
Septennis quo more ſolet puer, anxia quanvis
Syllaba peccet, & hìc illic luxata vacillet,
Magnus ab attonita cenſebor gente poeta.
Nondum finieram, cum ſubdidit alter. iniqui
Væ tibi ſi fieri libeat novus incola Cæli!
Te ſermo ſcaber adradet non notus achivis,
Auribus ignotus latiis; te dura manebunt

Frigora: ferventi vel curam ponet in æſtu
Invita a gelido dependens ſtiria naſo.
Adde quòd ignavas quæ vix emungere nares
Noverat, excivit ſeſe Germania: teſtes
Lipſiaci patres, qui tanta volumina, totque
Subtili olfaciunt naſo, lunaſque per omnes
Judicia impreſſis mandant animoſa papyris
Vera magis Clario tripode: hinc tibi maxima ſurgent
A bene naſuta, & metuenda negotia gente,
Nempe Syrum eloquium, pariter callente latinum,
Et grajum, nata ut mediis videatur Athenis.
Tunc ego ſubridens, ego tanti pendo parentes
Dixi Lipſiacos, quanti ſub ſole viator
Jurgia clamoſi facit importuna cuculli:
Quando tamen fatis conſultum haud mollibus ire
Nequidquam patria cenſes me poſſe relicta,
Auſcultabo libens dictis: verùm urbe moleſta
Exire eſt animus, meque abdere rure paterno;
Intempeſtivi ne me mala tædia Balbi
Occidant, luſcive dolis capiar Philomuſi;
Neu me barbarico dicat ſermone locutum
Flavus Stella ſuos, ceu pulcher Apollo, capillos.

De nonnullis Poetis recentioribus præſertim latinis judicium.

SATYRA VI.

MAnè novo in longum ducto cùm Rulla ſopore
Inſanas noctis vigilatæ ulciſcitur horas,
Adfuit interpres divûm Cyllenius ales,
Feſſus adhuc errore viæ, rapidaque procella:
Nam

Nam liquidum dum currit iter, crebro ingruit ictu
Fortè procella caput male defendente galero.
Adſtitit, & poſita, quam geſſit dextera, virga,
Te comitem adde mihi, dixit, curſumque capeſſe
Ad magnam, tumidus quam Sequana dividit, urbem.
Dixerat, elatumque humeris imponit; at ipſe
Ante dei pectus protentis pendeo plantis,
Et circùm implicito non fortiter hæreo collo.
Non aliter montanicola, arcta domi cui res eſt,
Sublatis in terga adit oppida proxima natis
Tota paraturus per brumæ tempora victum.
Ponè gravis ſubit uxor; at illi ſarcina in una
Portantur natique, lareſque, & parva ſupellex.
Ipſe ſed interea liquidi per inania Mundi
Vado ferente Deo, ſubjectaque deſuper orbis
Immenſi ſpatia, & vaſtos conſidero tractus.
At vix occidui fines penetramus Olympi,
Ecce amplas ſubitò nares mihi vellicat aura
Acrior, & mordax velut importuna ſinapis:
Idcircò cœlum impatiens tolerare malignum
Sternuo, terque caput, quater & mihi dira quatit vis.
Tum mihi ſcitanti cauſam caducifer ales.
Auſonius Gallis, & gallicus officit aer
Auſoniis pariter, gentique utrique viciſſim
Perniciosa nocet varii diſcordia Cœli;
Hinc tibi difficilis tenerum ferit aura cerebrum.
Sic ait, & parvo poſt tempore ſiſtor in urbe
Sequanica, vicos ubi deſpicit aula minores.
Aula capax, immenſa, & ſtulto impervia vulgo.
Illic cernere erat ſolio conſidere in alto
Inſignes virtute viros, quos inclyta circùm
Unà cum ſociis ſtabat Sapientia Muſis.
Illi diverſa meriti pro dote poetas

Accipiunt varia miſſos regione, locantque
Ordine quemque ſuo. Gallus ſubſellia ſcriptor,
Seu peponis foliis, ſeu cedro digna locutus
Prima tenet, nullo diſcrimine Gallus habetur.
Me, verò ancipites, qua ſiſtant parte, laborant.
Nam pars ſupremo, pars inferiore locare
Me voluere loco. Diſpar quando, adiicit alter,
Carminis eſt pretium, modò ſede moretur in ima,
Sede modò in ſumma: rata verba fuere, mororque
Sede modò in ſumma, modò [quis non rideat?] ima
Ecce autem curru in celeri Salmoneus alter
Vidius, Argiva miſſis ex Hellade centum
Adveniens portatur equis, quos alite fumo
Ambitioſus honos, & inani paverat aura.
Pone agmen vatum ſequitur, qui Tybridis undas
Hippocreneo gaudent præponere fonti:
Quotquot erant, data commendabat èpiſtola Roma:
Nil igitur mirum, loca ſi tenuere ſuprema,
Exoſis ſive anſeribus clangore moleſto,
Sintue cycnis ſimiles præſtantibus ore canoro.
Serius ingreditur notus ſuper ethera vates
Parthenopeus: eum ſacro non littera ſigno,
Non laus externi comitabat vana favoris.
Ipſe ſibi pretium virtute paraverat omni
Altior invidia: verùm lis magna coorta eſt,
Quæ ſtatio tanto foret addicenda poetæ.
Francigenæ, quia ſe jactant ſermone polito,
Et claras nitidis deſcribere carminibus res,
Non dubitant italas infra ſe ponere muſas,
Participem & fortis renuunt æqualis habere:
Ille ſed iratus probro, duraque repulſa
Verſiculum docti ſæpè inculcabat Horati
Non ſatis eſt puris verſum præſcribere verbis.

Præ-

Præterea mihi confectum eſt, ajebat, in uno,
Quod non in quinis vos Galli extunditis annis.
Contra illi tenuem Perſi objectare libellum,
Et tua ſcripta brevi tornata labore, Catulle;
Sint quales, refert, non quanti nempe poetæ.
Aſſurgit tandem chorus omnis, eumque ſupremo
Ordine dignantur, faſſi quòd imagine crebra
Vicerit, & genio, cultu licèt impare, Francos.
Scilicet ille audit Clius, Phœbique ſacerdos,
Verba decennali non qui ſtruit apta paratu;
Sed qui multa animat rerum ſimulacra, figuras
Elicere innumeras felix, & ponere formas.
Atque hæc judicibus ſolito dum more geruntur,
Oſtia neſcioqui clamant ad clauſa poetæ,
Admittique rogant; placido non more rogantum,
Sed clamore feras imitante, miniſque ſeveris;
Ut ſolet officii gens neſcia prorſus, & exlex.
Protinus exarſere patres conſcripti, & iniquam
Vim gentis validis cæpere repellere verbis,
Adiectiſque probris: niſi mox abſiſtitis, unus
Cenſorum ajebat, peracuta ego ſpicula faxo
In vos diſtringat tento Boelovius arcu,
Sectanuſque ſuo, par irritabile vatum,
Nec minus Archiloco, cùm res, & tempora poſcunt.
Scilicet inflati fumoſo ſemper jaccho,
Craſſaque diſtenti lautis abdomina cænis
Finitimo Gallis, Italiſque inhiatis honori?
Quos ego: ſed veſtro e numero diſcernere Belgas
Eſt animus: quis enim facundi carmen Heinſi
Neſciat, Hoſchiademque, & docta poemata Valli,
Et tua non unquam peritura volumina, Groti?
Plura locuturo confuſis plauſibus illi
Nonnulla obiiciunt inſignia nomina vatum,

Patria quæ gelidas invita excluſit in auras.
Ille ſed, à paucis non annus floribus, inquit,
Vernus habet nomen, nec palmite ſe probat uno
Bacchus, at innumeris ſe tantùm agnoſcit in uvis.
Dixerat. Excluſa fruſtra ringente caterva,
Una loci jungit Gallis communio Belgas
Tandem introgreſſos. Parvo poſt tempore venit
Et ſuccintus Iber, meritique æqualis honorem
Ut ſibi conficeret, curtum entymema rotabat;
Sperabatque patrum ſuffragia poſſe mereri,
Si gravibus nebulis, quas barbara repperit ætas,
Tecta Stagyrei proferret ſcita magiſtri.
At veſtras, ait unanimi clamore ſenatus,
Tantùm curamus nugas, quantùm rapidus ſol
Rauca cicadarum curat convicia: ſicca
In patria potius tales divendite merces,
Sacra vel appoſitis aperite oracula verbis,
Aut lepidum patria carmen componite lingua.
Mæſtus ad hæc repedavit Iber: tum vecte coactæ
Impediente fores: mox ſe componere quiſque
Cogitat: inde novum recitandi carmina ſignum
Editur. Huc ſcriptor convenerat ilicet omnis
Quiſque ſua ſpecimen de carminis arte daturus:
Ergo prior recitat ſublimes Vidius odas:
Namque vel invitis voluit prior eſſe magiſtris.
Quis mihi ſe parili ſperet componere cantu,
Contiguumque mihi decerpere ſperet honorem?
Centum quadriugos mihi ſervat Achaja currus,
Tercentum mihi paſcit equos, quibus invia ſupra
Aſtra ferar; cum ſole pares ego divido curſus,
Æqualeſque vias cum præpete metior anno.
Non me fatorum leges, neque jura ſororum
Imperioſa trium ſtulta formidine terrent:

Legibus

Legibus & Parcis, & habenti nubila fato,
Et mea venturis dominantur carmina luſtris.
Stupa velut nobis nubes, velut & diſploſæ
Extra veſicæ calcata tonitrua cedunt.
Ingeminatque iterum ſua carmina, fata, ſororum
Fila trium, ſoliſque vias, annique meatus,
Luſtraque, quadriugos currus, & equos bene potos
Flumine pegaſeo, paſtoſque ego grandibus addo
Gryllis, quos fatui producit inane Epicuri;
Atque redordiri crambem non ceſſat eandem,
Cantandi donec tota eſt exhauſta voluptas:
Parte aliqua plauſus, parte explodente cachinnos:
Cunctorum at feriunt repetita frequentius aures;
Quanquam dicta vigil qui pendit ſingula rhetor
Languida diſſimulat tacito faſtidia vultu.
Naquius inſequitur, cui verſus de genere omni
Sunt mille in promptu: ſi fortè epigrammata poſcas,
Ille epigramma facit, nec non heroica tinnit
Quando libet cithara, reſoniſque poemata chordis.
Idem audit lyricen, mordax ſatyræ author, & illi
Parca licèt, proprios dat habere elegia lepores.
Conſilio fidi monitus tamen ille ſodalis
Tantùm unum in medium profert epigramma, diurna
Nocturnaque politum opera; confictum epigramma
Neſcio quo de fonte, prius qui fleverat, at mox
Riſerat effuſis (quis talia concoquat?) undis.
Iſta probat tamen officioſus diſticha judex,
Et reputat nil poſſe cani felicius, atque hoc
Protinus eſt reliquis recitato epigrammate ſcriptis
Conciliatus honos, & laus pretiumque redemptum.
Reſtabat romana alter de gente (quis ille eſt,
Cui ſedet in populos promiſſum emittere carmen
Non niſi poſt viſos æterni Neſtoris annos?)

Hunc

Hunc gens ſperabat ſe tota audire canentem
Facta viri Liguris, qui trans maria ultima vectus
Ignotum latiis patefecit gentibus orbem:
Plurima ſed cauſatus, amicæ ſcilicet aulæ
Innumeras curas, & magna negotia, longum
Excuſabat opus, quod terque quaterque ſubactum
Noctes, atque dies latiali incude polibat;
An magis exſuccum cultu reddebat iniquo?
Ergo ſilet, cantuſque futura in tempora differt.
At non ulterius formoſæ continuit ſe
Parthenopes doctus, ſua quin cantaret alumnus
Carmina: ſimplicium tenues prius inflat avenas
Paſtorum, varias dein piſcatoribus artes
Indicat, atque viris bellantibus arma miniſtrat:
Martis opus, nuribus deteſtandumque latinis.
Æquales numeros, vaſti licet inſtar euntes
Torrentis, proprium qui non conſiderat alveum,
Mirantur Belgæ, miratur & Italus omnis:
Doctus Ariſtarchus, ſolis nitidos veluti qui
Suſpicit in radios, oculos præſtringitur, ullam
Nec ſignare valet tam longo in carmine culpam:
Andinæ tantùm venæ, gravibuſque camænis
Addita quod fuerit peligni copia vatis,
Dicit, & ingenua quod non brevitate regatur:
Scilicet ad laudem multum referre videtur
Scriptoris, ſi multa loquique, tacereque poſſit.
Quidquid id eſt, tanto nos gens ænotria vate
Jure triumphamus, nec ſcripta aliena timemus.
Haud vos prætercam viridis decora inclyta Pindi
(Nam vatum in numero vos & fueratis) amœni
Arni potores, quamquam non obtigit omni
Vobis parte favor: voces nempe inſolitas dum
Verſibus inſeritis, nebulas offunditis atras,

Et ſcripto, & veſtræ, ſi fas eſt dicere, famæ.
Fingitis interdum ſpatioſa vocabula, quæ nec
Ipſe redux Lauræ cognoſcere poſſet amator;
Nec qui mente prius Dantes ſtyga viſit opacam,
Ultima fortè ſibi poſt funera prætereundam:
Veſtra tamen reliquis eſt dictio purior, ut quæ
Præferat antiquum magis emendata nitorem.
Credideram Thuſcis ſuccedere, ſed ſubitò gens
Gallica prævertit recitans ſua carmina, ne me
Antè quidem admonito: non tot mea patria nummùm
Cauſidicos emunctores, rabulas, matuliſque
Enumerat medicos inhiantes nare canino,
Quot bene tornatos producit Sequana vates
Ranarum in morem, quas torrida procreat æſtas
Rarior ignito cùm labitur æthere gutta.
Argumenta fuere illis heroica, paſſer,
Muſca, culex, partu reſoluta recens gallina,
Pullus maternæ rumpenſque putamina teſtæ.
Diſpeream, ſi longa poemata pangere poſſunt,
Qualia Parthenium noſtrum ſtantem pede in uno
Fundere vicino miratur ab æquore ſyren.
Niverius tamen, Aſcræi prope quem ſenis inſtar
Occiduus colit orbis, habetque in honore, canebat
Altius elatis multò majora camænis;
Curtaque vineti tradens præcepta ſerendi
Se cultum ajebat vitis, non vina decere.
Me contra cultura ſimul, ſimul apta decebant
Vina, meo quando cantata eſt vinea verſu:
Ille ideo quia potor aquarum, oſorque beati
Nectaris, arcta nimis poſuit confinia muſis;
Pulchraque deſpiciens gentis figmenta pelaſgæ
In ſophon evaſit, qui cæperat eſſe poeta:
Aſt ego, cui venæ patrio calvere falerno,
Eſto

Eſto minus ſimplex fuerim, cultuſque, coegi
Ut mihi tota ſuis ſerviret Græcia gazis,
Miraque proferret ſæcli commenta vetuſti.
His tamen, an fortè à vero diſcedere viſis?
Non animadverſis, conſpirat in unius altas
Niverii laudes concordi voce ſenatus
Omnis, & huic partes defert, tribuitque priores.
Irati auſonidæ muſſant, & non ſatis æquum
Culpant judicium, adverſaque e parte diſertum
Parthenium opponunt, nec non producere ceſſant
Condita de vitis mihi nuper opuſcula cultu:
Quin crebro Inſubrem ſtimulant hortamine vatem,
Verſibus ut priſci venam referentibus ævi
Vindicet eloquii decus immortale latini:
Ille animos ſumens elato vertice contra
Inſurgit, verſuſque rotat nive candidiores,
Melle magis dulces, & perſpicuos magis unda
Emiſſa e ſcatebris, numeroque interna ſuavi
Subdentes lectori irritamenta: figuris
Præterea rerum elicitis e mente feraci
Donat vivacem ſenſuque, animoque poeſim:
In ventos conamen iit tamen omne, nec ulla
Judicis auſteri meruit ſuffragia: quodque
Eſt incredibile auditu, & mirabile dictu,
Nec vitio vertère illi nec carmina laudi:
Saltem converſo damnaſſent pollice, ſive
Parte aliqua damnata, aliqua quoque parte probaſſent.
Diſcordes abeunt ſtudia in contraria gentes.
Autumat invidiam ſibi pars conflaſſe, tenello
Quòd cantu reliquos fuerat præcedere viſus:
Pars, cujus non vana fuit ſententia, noſter,
In cauſa poſuit, cur illaudatus abiret,
Quòd cum bucolicis miſcens heroica, nec non
Seria

Seria ridiculis præſcripta abiiſſet ab arte:
Nam ſi ſcripta ſibi ſeponens quæque ſeorſim
Docta Syracuſiæ labra admoviſſet avenæ;
Inde tubam ſumpſiſſet; inepti ſive popelli
Tentaſſet ſale Plautino præſtringere mores,
Penè tibi dubiam feciſſet Mantua palmam,
Ipſa tibi partem rapuiſſet Sarſina laudis.
Inſuper accedit, quòd mens licet illius apta
Sit rerùm inventrix, & idonea fingere formas;
Plura tamen finxit non conſentanea vero.
Rara fides ſacris, & notis rebus habetur
More poetarum, pulchro licèt ordine, fictis.
Talibus inſtabant: ſed quin mihi mente recurrant,
Hæc mihi non prohibent, tanti modulamina vatis,
Et quædam vivis expreſſa minuſcula ſignis,
Qualia pinxiſſet rigui Sulmonis alumnus.
Hiſtoriam mihi nunc opus eſt prætexere longam;
Nempe meo hiſtoriam de cantu; utcumque mihi ſors
Principio favit, mox vultum avertit amicum.
Prima meis igitur ruris documenta colendi
Tradita carminibus plauſum meruere: ſed alta
Matris ubi cæpi Jeſſeæ evolvere facta,
Illico difficilem criſpavit curia naſum;
Quaſque mihi laudes, ſiquas dedit, exiguas, &
Dimidias invita velut dabat, Actiademque
Vatem opponebat, quem longa allambere cura
Virgineos verſus biſdena aſpexerat æſtas.
Non ego diffiteor, dixi, quin arte, ſuique
Majeſtate modi, & numeri gravitate latini
Prætereat me longa per intervalla poeta
Actiades, verùm in ſimili propè me locat albo
Fabula, & innumera diſtinctus imagine ſermo.
Præterea andini ſi non veſtigia vatis

Anxius

Anxius uſque ſequor, nec muſam illius adumbro,
Continuò vitio ne ducite; nam Venuſini
Scriptoris dictum manet alta mente repoſtum
O imitatores ſervum pecus. At ſpecimen ſi
Poſcitis, & latii ſervile imitamen Homeri,
In promptu eſt nobis, ſtudioque parabile parvo.
Saucius etheriæ jamdudum Virginis igne
Vulnus alo venis, & dulci carpor ab æſtu:
Plurima jeſſeæ virtus, magnæque recurſat
Matris bonos; hærent laudum decora alta ſub imo
Pectore, cæleſtiſque animo obverſatur imago.
Vobiſne arridet Mantoi imitator alumni?
Dicere ni vultis, quæ dulce canentis oloris
Furata eſt albas cornix æſopia plumas?
Iſte placet, puto, mos; elegos vos nempe probaſtis
Scriptoris quondam belgæ, qui fruſtula docti
Naſonis compegit, opus ceu vermiculatum,
Scribentes referens heroas, & heroinas.
Plura locuturum riſu intercepit amaro
Cenſor, & ad noſtras ne verba quidem ulla loquelas
Addidit; ingentis res eſſet quippe negotj,
Si vatum quæſtus conſolaretur ineptos
Molli reſponſo, atque liniret vulnera melle.
Adde quòd & vates quantumvis ridiculi, ſe
Magnificè ſperant ſemper tamen eſſe locutos;
Atque ideo vanis fingunt ſibi plurima votis,
Quæ malè præſumunt, ullo nec jure merentur.
At priùs emeritos quàm nos dimitteret ordo
Cenſorum, longo quæſitum eſt tempore, cui mox
De lauro contexta foret donanda corona:
Propoſita hæc fuerat ſcriptoribus unica merces.
Maxima pars tibi tanta addicit præmia, vates
Parthenopee, licèt ſua non ſuffragia gentes
Externæ

Externæ addiderint, patrii quia gloria cœli
Eſt cordi magis, auſoniæ quàm ſtirpis honores;
Quemque prius tulerant, revocantque negantq; favorem
Parthenio: ſtudio partes diſcorde feruntur,
Excuſſoque parant dum rem diſcernere vero,
Quiſque poetarum interea molimine magno
Conatur ſummo pendentem e pariete laurum
Diripere, & vacuo capiti circundare: fervens
Vidius ante alios fretus popularibus auris
Vi magna obnixus ſubeuntes reicit, & arcet:
Neſcio quis ſed enim inconſulta percitus ira
Illius impingit maleſirma in terga frequentes
Contractis ictus manibus, tumor exiit undè
Qui perdurat adhuc humeris, ſemperque manebit
Ridiculum impacti monumentum, & vulneris index.
At non elati dirimunt incæpta cachinni
Prælia: in alterius ſuccedere nititur alter
Fortunamque; locumque. Senator ut horrida vidit
Supremus, tanti certamina gliſcere belli,
Grandia per mediam jactavit pilea rixam:
Nec mora: pugnantum ſævus deferbuit ardor.
Miſſilibus longè jactis ſic nempe popellus
In trivio dirimit pugnas, ſedatque caninas.
At pugnæ in medio ut fuerat lacerata calore
Laurea, diverſis ceſſit diviſa poetis.
Magno Parthenio pars illius obtigit ampla,
Niverio paulò minor, exiguiſſima nobis;
Niverio nam ſponte boni deceſſimus: audax
Vidius auſonidum adjutus præſente favore
Raptam oſtentabat pulchris de frondibus unam:
At ſimul in læſo monſtrabat tubera tergo,
Undè ingens mixto riſus clamore ſonabat.
His, aliiſque diem ſcriptorum plurima turba
Con-

Condidimus; reditumque in patria quiſque parabat
Tecta: mihi dubio voluentem pectore triſtes
Curarum fluctus, proles Cyllenia, quid te
Angis, ait; ſi te laudum tenet alta cupido,
Lipſiacos ad cenſores tua carmina mitte;
Alter ab his Naſo, atque alter diceris Homerus.
Converſo ſed enim abnutans capite, inclyta, dixi
Malo ſalutare infligat mihi Gallia vulnus,
Lipſiacæ quàm me ulla ſcabant præconia gentis.
Hæc ego. tum me iterum geminis deus aliger armis
Suſtulit, & retulit per quas modò vexerat auras.

MARIA

MARIA VIATRIX
POEMA HEROICUM.

Editio Secunda.

Digitized by Google

Sereniſſimo Principi

Ac Domino, Domino meo clementiſſimo,

FRANCISCO I.

FARNESIO

Parmæ, & Placentiæ Duci VII.

Thomas Ravaſinus Salutem, & Felicitatem P.

ÆQuum videlicet erat, Sereniſſime Dux, ut, cui vitæ inculpata ratio, morumque ſpectata integritas communem conciliant amorem, atque obſequium, hæc poeſis etſi alioquin deſpicatu digna, ſuo tamen laudabilis argumento nuncuparetur. Reliqua ornamenta, quæ fortunam tuam extollunt, atque amplificant, in cauſa fuiſſe non poſui, cur hocce tibi opuſculum inſcriptum vellem; nam ſi eamet univerſa ad hoc me compuliſſe aſſeverarem, par eſſe quoque debuerat, ut voluminis moles amplitudini, elegantia, & doctrina, ſplendori, majeſtatique tuæ quadam propemodum ſimilitudine reſponderet. Verùm enim

 verò,

verò, cùm hæc ſingula in te cumulatiſſimè teneas, atque ideo eloquii mei tenuitate ægrè poſſint expingi, ſatius fore duxi, ſi eam mihi excolendam materiam ſuſciperem, in qua niſi carminis pondus, atque nobilitas, tituli ſaltem bonitas commendaret authorem. Non verebar tamen, quin poſitum infra tuam dignitatem libellum non fuiſſes amplexurus, ſiquidem ſumma in te humanitas eminet, atque clementia, cui nemo, niſi cui prorſus ignotus es, poterit diffidere. Solent quamplurimi, qui viris principibus inſcribunt opera, eorummet majores, qui domi, bellique rebus geſtis inclaruerunt, recenſendo, ipſorum quoque laudes efferre, longiuſque provehere: nos etſi fortiſſimos exercituum Imperatores, Sacros Eccleſiæ Proceres de re litteraria, de Republica Chriſtiana optimè meritos tuos inter atavos enumerare poſſimus, nihilominus hæc omnia decora licèt magno in honore habita, nobis conſultò viſum eſt præterire: nam quòd tales nactus ſis proavos, quales in te decus, atque ſplendorem derivare poſſunt, hoc eſt felicitatis, quod verò innocuis moribus egregiiſque dotibus ſis excultus, hoc eſt proprium virtutis tuæ bonum. Nonnulli præterea conſuevere Scriptores, multos ab externa hominum exiſtimatione, alios à conditione, plurimos ab integro vivendi tenore commendare: hæc licèt de te utpote luce meridiana clariora palam facere liceat, tantummodo tamen dicemus, te, quamvis apud præcipuos orbis ſummates maximi ſis, ideoque apud eoſdem integerrimus ſuarum cauſarum judex audias, nihil tamen faſtus, nihil ſupercilii prætendere; quamvis magis, magiſque in dies, honoris, & dignitatis tibi fiat acceſſio, magnam animi moderationem retinere; quamvis rectè vivendi populis exemplar eluceas, occulta tamen virtutum diſſimulatione ita te gerere, ut cùm dicamus reliquos cura, atque diuturno labore inſtructos, tu verò è contrario qualis, quan-

tuſque

tuſque es, ſic à natura formatus eſſe videaris. Ex his ſimilibuſque titulis magna tibi honoris momenta ſuperaddi inficias non eo: verùm pretioſior tibi laus, honorificentius tibi nomen convenit, cùm ſcilicet Patriæ Parens univerſa populorum voce appellaris. Scio aliquos viros Principes Patriæ Patres olim fuiſſe vocatos: ſed quod adulatorum aſſentatione ſibi arrogaverant decus, factis poſteà corrupiſſe compertum habemus. Tù à vectigalibus imperandis ſummoperè abſtinens, tu compoſitis in utilitatem publicam conſiliis, operibuſque in idem conſpirantibus effeciſti, ut Pater Patriæ eſſes, antequam popularis multitudinis ſuffragio deſignareris: nec id quidem pluribus argumentis adſtruere neceſſe habeo, ſiquidem ſatis ſuperque hoc à veritate quilibet non abeſſe dignoſcet, ſi ditionem tuam à propinquis bellorum flammis immunem, populos tibi ſubditos à communibus propemodum orbis ærumnis ſervatos animadvertet. Quamquàm tui regiminis norma ſumma æquitate, ſumma clementia exercita eum tibi populorum peperit amorem, ut, licèt, quæ cæteras hactenus gentes invaſerunt mala, nos peſſundarent, nihilominus eximia tanti Principis bonitate clades omnes, atque calamitates rependeremus: adeò ut ſub te, utpote Principe æquiſſimo, atque clementiſſimo, ſatius duceremus, ſi nobis infortunia expeterent, eſſe miſeros, quàm ſub alio, ſed fortaſſe minus bono, feliciores. Cùm tot igitur officiis, tot factis gentes tibi ſubjectas devinxeris, nemo abs re factum eſſe judicabit, ſi has qualeſcumque elucubrationes, tantis beneficiis adſtrictus amplitudini tuæ ſiſto. Alii gravioribus ſtudiis, atque ſcientiis, alii militari rei applicantes animum, utiljorem tibi operam navabunt: ego verò adverſa quotidie afflictatus valetudine cùm non ad ſeveriora me ſtudia convertere, omnique prorſus militari indole, atque facultate deſtitutus in hujuſcemodi munere nihil agere,

 nedum

nedum proficere poſſim, per poeſim artem quondam nobiliſſimam, nunc verò peſſimè habitam, non tàm aditum ad te mihi facere ſtudui, quàm ſymbolam quoque meam, ut aliqua ex parte tot tua benefacta cognoviſſe dicar, conferre curavi. Humili forſan, atque modeſto ſilentio meæ tenuitati, tuæque magnitudini aptius potuiſſem conſulere: ſed non injuria veritus ſum, ſi hanc ultrò miſſam facere, atque quodamodo deſpicere voluiſſem, addictiſſimam tibi mentem demonſtrandi occaſionem, ne aut incuria, aut ingrati animi vitio inſimularer; quòd quia non tam neceſſitate legum, quàm propenſo erga te amore ſubditus tibi ſum, abeſt à mea voluntate quamplurimum.

MARIA

MARIA VIATRIX,

SIVE

ELISABETH

A' B. M. Virgine viſitata.

POEMA HEROICUM.

LIBER I.

PArthenidem canæ tendentem ad limen Eliſæ,
Ternaſque hoſpitio ductas in paupere lunas
Fert animus memorare. Hominum ſpes inclyta Virgo,
Et divùm communis amor, quæ neſcia labis
Primævæ humanas potuiſti evadere leges;
Carminibus ſi rite tuos pertexere honores
Nos juvat, & parvis ultro committere chartis;
Hanc etiam, quo ſumma poli convexa ſerenas
Aſpectu, tenuis partem dignare laboris;
Jam mox advenient voluentia tempora, laudes
Cum de more tuas totum vulgare per orbem
Feſtivis numeris accingar, & impare verſu
Nota feram documenta, quibus te occaſus, & ortus
Et colat, & famulos poſthac impendat amores.
Diva fave jeſſæa, altiſque tua inclyta facta
Da verbis proferre, & digno evoluere cantu.
Ter vigiles revehens curas mortalibus ægris

Aprico rubicunda dies de colle refulſit,
Ex quo grandæva Virgo comitata Salome
(Hanc illi dederat comitem eſſe laboris Joſeph)
Nazarios fines, & amica reliquerat arva
Viſendi ſtudio Eliſaben; confinibus alti
Haud procul à pagi, ſilvis præcinctus opacis
Mons erat, innocuos ubi tecto in paupere ſoles
Eliſabe ſocio cum conjuge læta trahebat.
Huc celeres greſſus variarum parte viarum
Diva tulit: non ſumma illam juga montis iniqui
Detinuere, ſitu loca nec ſalebroſa maligno
Injecere moram. Cognata ubi limina vènit,
Continuò lacrymis media inter gaudia obortis
Occurrit longæva parens, commotaque rerum
Inſolita novitate, manuſque ad ſydera tendens,
Tune meas, inquit, fortunatiſſima matrum,
Quæ fœtum intacta cœleſtem claudis in alvo,
Tune meas igitur dignata es viſere ſedes?
Scilicet officiis genitrix me ſumma Tonantis
Antevenis, vicibuſque tui prævertis amoris.
Haud equidem tales ego ſpe metibar honores,
Nec meruiſſe reor: meus en utero excitus infans
Subſilit, & dulci teſtatur gaudia motu,
Authoremque ſuum, dominumque profeſſus adorat.
Felix ante alias mater, cui provida tanto
Credulitas pretio ſtetit; omnia quippe fidelis
Approbat eventus, quæ mox tibi rettulit uni
Eventura, ales ſuperis delapſus ab aſtris.
Virgo ſub hæc; animi mihi pectore quidquid in imo eſt,
In Domini ſeſe præconia feſta reſolvit,
Inque Deo, unde meæ ſurgit ſpes certa ſalutis,
Exultat grata tactum dulcedine pectus.
Nempe ſuam, matris nec dignam agnoſcere nomen,
Reſpe-

Reſpexit famulam ſummi moderator olympi:
Unde ſuper reliquas cœleſti ſorte beatam
Littora me dicent ſub utroque jacentia phœbo.
Muneribus qui me omnipotens cumulavit opimis,
Cujus adorato nil numine ſanctius orbe eſt;
Cujus & in totis conſtans clementia ſeclis
Proſequitur clemente pios, ſervatque favore
Patribus à primis, ad ſeros uſque nepotes.
Accinctus contra vi, fulmineaque tremendus
Majeſtate, elata animis, faſtuque ſuperbo
Eliſit capita, & ſoliis regalibus altos
Dejecit proceres, humileſque in regna vocavit,
Quoſque mala exercet rerum penuria, largis
Auxit divitiis, opibuſque reliquit inanes,
Ingenti qui magna parant patrimonia cenſu.
Polliciti demum memor, Iſacidumque ruinis
Proſpiciens, ut avis, noſtriſque parentibus olim
Fatidicùm ſacro vatum prædixerat ore,
Ipſe ſuam ſobolem dedit, admirabile amoris
Exemplum, humanis & inennarrabile verbis.
Talia dum memorat, canæ longævus Eliſæ
Exultat pariter Conjux, pariterque loquaci
Obſequium nutu teſtatur, amicaque verba
Velle loqui eſt viſus, vocis ſi ſuppetat uſus;
Dein cum virgineis patrum præſagia dictis
Committit, mirumque modum, tantique favoris
Exemplar, tanta dignum genitrice fatetur.
Atque hæc attonitis dum portenta auribus haurit,
Uſurpatque oculis animum ſtupefacta Salome,
Rerum indeprenſas ambages, altaque dicta
Secum agitat, confertque imo ſub pectore, concors
Quid gemini poſcat tituli diſcordia, virgo,
Et genitrix, qua lege hominem paritura, deumque,
Ignavæ

Ignavæ nox cæca nequit pervadere mentis:
Nondum illi excuſſa ſe verum oſtenderat umbra.
Parthenis interea, quæ ſecum inſignia dona
Attulerat, variis velamina picta figuris
Expedit; illa manu docta, dum fortè vacaret
Curando reliquas inter puriſſima templo,
Texuerat, ſimul & mira variaverat arte.
Namque roſas illic læto ſuccenderat oſtro,
Partim ſanguineo dederat rutilare colore,
Et partim nivibus ſimiles effinxerat, albis
Texens velleribus: variis myſteria rerum
Pinxerat, ignotiſque illo tum tempore ſignis.
Miratur dona Eliſabe, nec lumina viſu
Ipſa poteſt explere: dein ſuccedere tectis
Cum Maria hortatur comitem, menſiſque paratis
Inſtaurare monet vires: exponit inemptas
Ipſa dapes, & amica bono convivia vultu
Exhilarat: mox ut victu ſedata modeſto
Parca fames, plura & verbis collata viciſſim,
Nazaria in parvum conceſſit diva cubile
Defeſſos ſalebris artus, longoque labore
Compoſitura thoro: ſed operto lumine quamvis
Admittat placidos communi more ſopores,
Libera mente tamen, nec inerti languida ſomno
Percurrit cœlos animo, fruiturque beato
Cœlicolùm alloquio, & divina veſcitur aura:
Servitiique miniſterium cœleſte faceſſit
Mirandis operata modis: pennata juventus
Alligerum vacat alternis famulata viciſſim
Officiis, ſervatque fores: inſomnia vana
Non audent inferre pedem, curæque profanæ.
At non, inſueto ſcitandi ardore, ſopori
Zachariæ indulget conjux, juvat uſque rogare
Multa

Multa ſuper Maria, & ſeniorem multa Salomen
Diverſis ſuper eventis, ſpatioque locorum
Præterito. Bona dic hoſpes, cana inquit Eliſa,
Quæ veſtram rexere viam cœli omina, longum
Quàve tuliſtis iter? nam vos jam tertia vidit
Digreſſas latis patriæ confinibus Eos.
Illa ſub hæc, miros ſi te cognoſcere caſus,
Et rerum portenta animis haud pervia noſtris
Cura tenet, prius eoo caput exerat ortu
Lucifer, enumerem tenui quàm ſingula voce.
Quando tamen ſedet hæc animis audire voluptas,
Et campos ſcire emenſos, tractuſque viarum,
Incipiam. Vernus jam feſta reduxerat annus,
Quæ pagis læti Iſacidæ celebrare relictis
Urbe in regali ſuevere, dieſque precando
Claudere ſolemnes: ergo galilæus Joſeph
Cum Maria patriæ liquens natalia tecta
Carpit iter; ſimul ipſa comes ſuperaddor, & una
Ingentis Solymæ muros aſcendimus altos.
Hìc illis non cura fuit vaſta atria circùm
Errare, aut cupido vicos percurrere paſſu:
Quin ſubitò greſſus magna in delubra ferentes
Sacratas ſubiere fores, divoſque precari
Ingreſſi cœpere, Deumque in vota vocare.
Jamque ferè medium cœli lux alta tenebat,
Genſque ſacris adytis exceſſerat omnis, & ipſe
Aſſueto precibus pariter de more peractis
Seduluſ exierat Joſeph, ut plurima rerum
Curaret, ſolers vitæ quæ poſtulat uſus,
Noſque in producta templi ſtatione reliquit
Cunctantes: tamen haud Virgo jeſſæa precari
Cœleſte interea ceſſabat numen, eburnum
Flexa genu, & vultus demiſſa decenter honeſtos.
Ipſa

Ipſa breves de more preces meditata, ſuperbis
Jamdudum tecta obſervabam nixa columnis.
Et diverſarum oblectabar imagine rerum
Vicino luſtrans monumenta in pariete, ductis
Picturis variata, & fictis arte figuris.
Illic cernere erat depictum ardeſcere claro
Igne rubum, virideſque incendia mitia frondes
Lambere: inoffenſum ſervat rubus ipſe virorem
Illæſus flammis, nec damno obnoxius ulli;
Ponè modis pariter miris ars finxerat alto
Vellera cana ſuper labentem ex aere rorem.
Cœleſtis largè perlabitur imber, & ipſa
Nuſquam pervadit pluvialis vellera nimbus.
Ecce autem dum fortè oculos è parte reflecto
Adverſa, precibuſque vacantem aſpecto Mariam;
Illius immoto viſa eſt abſiſtere vultu
Aurea lux, ſcriptis quæ miro emblemate muris
Applicuit ſeſe, ſuperaſque evaſit in auras.
Obſtupui, geliduſque mihi per frigida membra
Horror iit, vix & mihi cernere vera videbar.
Talibus excelſo monſtratis æthere ſignis,
Ut rediit nobis ſeſe adjuncturus Joſeph,
Digredimur tandem templo, ſedeſque pararat
Quas bonus ipſe, ultro ſuccedimus: hic mora parva
Nos tenuit, donec feſtivis ſolibus actis
In patriam dicta prius, acceptaque ſalute
Vertit iter Joſeph, & nos exceſſimus urbe.
Flectentes greſſum in montes: per aperta locorum
Feſtino ferimur greſſu, & tranſmittimus agros
Ingentes; rara apparent magalia circùm,
Villarumque procul cernuntur culmina planis
Circunfuſa locis. Summum conſcenderat axem
Sol, & contractas admorat paſſibus umbras;

Haud

Haud reparare tamen victu membra ægra diurno
Spes erat ulla ſuper, gradiens nam virgo frequentes
Vitabat pagos, & declinare ſtudebat
Oppida cum populo, undè arctis certa licebat
In rebus ſperare levamina: feſſa labore
Inſuetaque fame, quam jam collegerat hora
Tardior, in Mariam converſa ſilentia rupi
Sic exorſa prior. Noſter quorùm indiget uſus
Ipſa vides: vaſtos nos lux videt edita campos
Jejunas peragrare, licèt devexior ire
Cogitet alta dies, nec ſpes accumbere menſis
Ulla datur, nec parva dapum pars ſuppetit ulla
Per longas perlata vias; quas pectore nutris
Fida comes, vel quæ ſpes fortè in tempora ſervas?
Illa ſub hæc; ne te male provida cura futuri
Sollicitet; viden ut ſummi rex magnus olympi
Quadrupedum generi, parviſque alimenta miniſtret
Alitibus, tenet has nec victus ulla parandi
Cura? ſuum nobis an deneget ille favorem
Cujus amica feras nunquam indulgentia fallit?
Pone metum; tibi certa animos fiducia firmet;
Haud nobis deerit Deus. Hæc effata remiſſum
Intendebat iter, parvo poſt tempore donec
Fruſtra ad pomiferæ divertimus arboris umbram:
Fruſtra; nam gemmas vix ruperat illa virentes.
Hic me nazariam reſidentem ponè puellam,
Seu languor, ſeu ſors ſuperi adduxere ſoporem,
Occupat illabens ſomnus, lapſaque recumbo
In terram cervice: extemplo incognita nobis
Apparent viſa, & frondes aperire virentes
Arbor opaca, ſimul nova promere poma videtur.
Somnus abit, preſſoque levans è gramine membra
Exurgo, frondeſque novas, nova in arbore poma
Miror,

Miror, & eventu haud caruiſſe inſomnia cerno.
Tum lætæ ignotas reflexa ex arbore fruges
Ducimus, & glebis feſſos haud mollibus artus
Ponentes, dapibus vires recreamus inemptis.
Sed quod præcipuè eſt dictu mirabile, menſas,
Fingebat quaſcunque animo imperioſa voluntas,
Arborei ſuccus fœtus referebat, ut olim
Concretum labens cœli de munere nectar
Omnigeno fertur noſtros paviſſe ſapore
Errantes per teſqua Patres. Ut corpora parco
Procurata cibo, & reparati viribus artus,
Inſtauramus iter cœptum, atque capeſſimus agros
Occiduo ſub ſole: hic forſitan ægra requires
Quo ſermone viæ leniret tædia Virgo.
Illa patris memorans opera omnipotentis, honores
Voce recenſebat ſummos, quos cœlituum Rex
Humanæ impertit nullo non tempore genti
Immeritæ. Tu nos liquidas, ajebat, in auras
Eduxti, proprioque parens complexus amore es,
Ante tibi juſſas quàm nos ſciremus amoris
Reſpondere vices; tu das ſpirabile lumen
Aeris, & tempeſtates in quatuor annum
Diſtinguis, noſtræ reſpectans commoda vitæ.
Quin imbres ſervire facis, cum lata per arva
Semina ſparguntur, molliſque regerminat herba;
Et ventos ſervire facis, ſiquando ferenum
Depoſcit denſi facies pluvia ætheris, & cùm
Expectat zephyrorum apricos planta tepores
Explicitura ſuas blanda ad ſpiramina frondes.
Quid memorem, nobis ut vitea tempore præſtes
Dona ſuo, frugeſque ſuo, ramoſque gravatos
Fœtibus arboreis curves, & denique totos
Perpetuo menſes, & luces munere ſignes?

Verùm,

Verùm, quod magnum eſt longè ſuper omnia munus
Humanos animos tua juxta exempla creatos
Sorte immortali donas, quos ætheris altis
Adſcribens regnis patrio mox axe repones,
Grande tui portentum, & magnum exemplar amoris.
Talia ſæpe via in media memorabat alumna
Cognati Joſeph, cœleſtibus, ut reor, auris
Afflata interius. Tacito properabat olympo
Veſper, & occiduo nubes de Sole rubebant.
Tum flexo in vallem greſſu devenimus ædes
Stramine contextas, quò ſe deprenſus in agris
Nocte improviſa conferre ſolebat arator,
Cogebatque greges paſtor, ſiquando procellas
Æſtivas defendere opus, pluviaſque capellis.
Hic totam feſſæ noctem tranſegimus, album
Donec luce diem retegente, aſcendimus ingens
Per ſalebroſa jugum compendia. Res quoque miro
Hic nos eventu tenuit: nam dum edita luſtra
Tendimus aſcenſu ſuperare, & prendere montes,
Obvius occurrit forma præſtante colonus,
Cujus paſtorale pedum, atque rigentia villis
Tegmina ſi geminos ſpectaſſes lapſa ſub armos,
Paſtor erat, pulchro ſi commendata decore
Corpora, dixiſſes alta de gente profectum.
Tum nos alloquitur placidis his vocibus ultro;
Defeſſæ ſiquidem curſu, & rerum omnium egentes
Denſa peragratis nemorum, quæ dulcia vobis
Liba fero, & puri ſtipata coagula lactis
Accipite, & memores ſuperi libate parentis.
Dixerat; ignotum non averſata refugit
Paſtorem, quin parva bono munuſcula vultu
Excepit virgo, grateſque rependit amanti
Cœlicolùm, atque hominum regi, qui rebus in arctis
Sem-

Semper adeſt, & certa ſui dat ſigna favoris.
Dumque ea mirantes educta ad munera dextram
Porrigimus, teneraque dapes partimur in herba,
Extrema officiis adjungens verba, receſſit
Paſtor, & occulta nemorum ſe condidit umbra.
Ut dapibus ſedata fames, iterum ardua montis
Aggredimur; tum ſive viæ nos lubricus error
Inſuetas decepit, iter vel providus alti
Sic rexit cœli genitor, per inhoſpita luſtra
Vadimus, illaqueata rubis, atque aſpera ſaxis.
Me rapidas inter rupes genua ægra trahentem
Tardat acuta ſilex, lapſuque frequente fatigant
Neſcia ſtare loco veſtigia: devia contra
Per juga fert agiles conſtans virguncula greſſus.
Quodque magis mirere, citis quà paſſibus ibat,
Si mea forte loco veſtigia figere eodem
Sors tulerat, clivus mihi ſe præbebat eunti
Plus ſolito facilem, ſalebraque ſine impare lævem:
At ſi pes aliò deerraverat, illico noſtros
Lædebant vepreta pedes, lapideſque nocentes.
Plura forent, quæ ſi longis comprendere verbis
Ipſa velim, fruſtra verbis comprendere coner.
Adde quod & ſummi medium pervenit olympi
Humida nox, ſuadetque leves luna alta ſopores.
Talibus in longum noctem longæva trahebat
Mater, & inſolitos narrabat in ordine caſus:
Cùm tandem variis functæ ſermonibus ambæ
Corpora compoſuere thoro, ſomnoque dedere.
Cœlicolùm interea regnis demiſſa ſupernis
Somnia labuntur tenui velocius aura,
Eliſabemque petunt: nigrum non illa colorem
Nocturno traxere polo, larvave doloſa
Occuluere genas: toto pulcherrima viſu

Majo-

Majeſtas vultu radiabat, & aurea nubes
Cætera conſpicuo velamine membra tegebat:
Ergo ubi Zaccbariæ ventum ſenioris in ædes,
Extemplo feſſæ, ſomnos dum captat, Eliſæ
Plurima proponunt rerum ſimulacra videri
Inſolita, & caſtæ referentia matris honores.
Propoſita illa ſuper lætatur imagine rerum
Ægra licèt ſenſus, & molli vincta ſopore.
Tempus erat, quo ſe alpino de vertice monſtrant
Prima rudimenta, & venturi exempla diei.
Protinus exurgit ſtratis Jeſſæis, & ambas
Ad cœlum tendens palmas, ardentia vota
Concipit, ingeminatque preces: ubi fulſit ab ortu
Clarior, & rebus lux reddidit alma colorem,
Continuò veterum præſaga volumina vatum
Evoluit, patrumque legens oracula, caſus
Ipſa ſuos percurrit, & admiratur honores
Largitos authore Deo: tamen haud levis illi
Corda movet faſtus, vel firmam in devia mentem
Abripit, excellens divinæ gloria matris
Virgineumque decus: tantò depreſſior ipſa
Viſa ſibi eſt, quantò illius majora reſulgent
Virtutum decora alta: animi bona cuncta ſupernum
Vertit in authorem, nec ſe cognoſcit in illis.
Haud aliter vitis, quam frondea ſuſtinet ulmus,
Summa quidem ſociæ affectat faſtigia plantæ
Alta petens, tamen ex ipſa felicia planta
Incrementa recognoſcit, ramoſque ſuperne
Elatos in humum demiſſo vertice prona
Reflectit, cohibetque premens, humilemque tenet ſe.
Nec minus Eliſabe nocturno membra cubili
Corripit, ancipitique animo indeprenſa revoluit
Viſa: nec ulla mora eſt; divinam adit illico matrem,
 Aggre-

Aggrediturque prior dictis, & molliter ambit
Talia voce movens. Nova quæ miracula nobis
Objecit ſopor, & rerum portenta retexit
Alma parens! non hæc dominæ ſine numine mentis
Eveniſſe reor: lato ſpectare videbar
In campo flores varios, plantaſque virentes:
In medio nixum thyrſo ſuccreverat alto
Lilium odorata demulcens leniter aura
Subjectas infra valles: pulcherrimus illi
Candor erat, qualem præfert nix algida, quam non
Calcavere hominum veſtigia, nec gravis auſtri
Halitus infecit; ſubitò en feralia ſerpens
Colla tumens, viridique aſperſus terga veneno
Proſilit, allapſuque terit viridaria, ſtragem
Floribus, arboribuſque ferens; non vividus herbas
Defendit color, aut nativæ gratia formæ.
Ille gradu ſuper inſultans, auſoque ſuperbus
Lethali nuper quod dente momorderat, ultro
Pomum oſtentabat, veluti fatale triumphi
Inſignis monumentum: acri dein percitus ira,
Elatuſque animos florem peſſundare certat
Liligerum, & penitus ſcelerato exſcindere morſu.
Ecce autem dum ſæva parat molimina, pulchro
Floris ab aſpectu, diro ceu vulnere, cedit
Saucius, affligitque volumina lubrica terræ,
Atque animam preſſa moribundam ponit in herba.
Altera dein iterum in ſomnis ſpectacula vidi.
Argento ſimilem, lævemque videre putabam
Chriſtallum, qua non montani purior unda
Fontis erat, nec, quam borealia frigora cogunt,
Lucidior glacies; adverſa è parte vibrabat
Sol radios, & luce vitrum penetrabat amica:
Lux ultro, citroque redit, fortiſque reſiſtit

Chry-

Chryſtallus, non ictu, aut ulli obnoxia damno.
Poſtremo nigras Cœlum ſubtexere nubes
Cernere erat, rapidoſque ſimul confligere ventos,
Infenſas tempeſtates, & dura ferentes
Bella ſolo; cum læta atris de nubibus exit
Iris, & aſpectu componens turbida miti
Tempora mœrentes terras, cœlumque ſerenat.
Miranda hæc animis hauſi ſpectacula noſtris
Alma parens; hæc, me niſi mentis decipit error,
Effinxere tuas non vana inſomnia laudes.
Virgo refert; longam nos ſæpe inſomnia ludunt
Per noctem, & noſtris imponunt turbida viſa
Senſibus: eſto tamen vera quod imagine ſomnus
Narratas laudes effinxerit, haud tamen illas
Eſſe meas reputo, in cœleſtem namque referre
Me juvat authorem, ſolique adſcribere, quiquid
In nobis viſum eſt titulum virtutis habere.
Ut fluvii loca per terrarum immenſa voluti,
In pelagus lymphas, unde accepere, refundunt.
Externis igitur non fas aſſurgere in altum,
Quæ ſolo veniunt cœli de munere, donis.
Hæc Maria. Eliſabe contra mirata modeſtos
Virgineæ matris ſenſus, humileſque loquelas
Reſtitit, & preſſo tandem ſermone quievit.

LIBER II.

ATque ea mirando penitus dum more geruntur,
Bethlemia Azarias, Beriſque è gente profecti
Paſtores, florenti alacres ætate per atra
Luſtra feras ſectantur: eos ſuper hoſpite divà
Sollicita in montes venatum miſerat altos
Eliſabe: ſaltus illi rimantur opacos,
Ingentique replent montes clamore, cientes
Quadrupedum ſilveſtre genus: penetrabile quaſſans
Azarias telum, meliorque valente lacerto,
Occulto quam forte feram conciverat antro
Inſequitur, celerique ſtudet prævertere montis
Aſcenſu; calamis pariter non ſegnior inſtat
Beris: in afractus fertur fera pulſa malignos,
Convalleſque cavas curſu tranſmittit anhelo:
Sed prior emenſus loca per compendia callis
Altior Azarias ſuperimminet, & grave telum
Conjicit: impulſas cuſpis volat acta per auras
Latura infeſto fatalem vulnere mortem;
Miſſa interveniat jaculo ni frondea quercus,
Eludatque ictus; intenſo nec minus arcu
Emittit calamum Beris, vulnuſque ſagaci
Lumine ſortitur, tamen omnis ceſſit in auras
Irrita vis; tantùm ſummos nam raſit arundo
Præteriens artus, & inania ſigna reliquit.
Deceptas ut ſpes caſu videre ſiniſtro,
Poſtque feras alias, aliaſque ſequuntur, inani
Semper & eventu eludit fortuna ſequentes,
Conſilium mutare parant, verſoque labore
Aucupium meditantur: Opaca in valle palumbes,
Multus & illicea plorabat turtur in umbra.

Primus

Primus arundineam nervo tendente ſagittam
In volucrem, occulto quæ ſtabat proxima ramo
Contorquet Beris; celeri verùm illa volatu
Eripuit letho ſe ſe, ſublataque pennis
Ipſius pariter molimina vana fefellit
Azariæ, quamvis externo cuſpidis icta
Vulnere direptas liquiſſet in aere plumas.
Fidentes nihilominus ad tentamina rurſum
Integranda animos firmant, multaque favorem
Fortunæ explorant, & vulnus in alite ſignant
Intentis oculis; ſed enim reſpondet iniquus
Exitus, & cœpto pergit ſors improba curſu:
Talia dum ſuperum eveniunt de numine, & altum
Paſtorum iniiciunt animis eventa ſtuporem,
Aliger alpinis genius qui præſidet agris
Judææ, humanos artus, mortaliaque ora
Induit, atque habitum duri opilionis amictu
Villoſo effingit, manibuſque haud lævibus aptat
Paſtorale pedum: tali venientibus offert
Se forma, dictiſque prior compellat, &, ò vos
Qui ſilvas, inquit, venatu agitatis anhelo,
Dicite, quæ veſtros excivit cauſa labores,
Quem ſpes ſucceſsùm, quem res habuere tenorem?
Rettulit Azarias. longævi provida conjux
Zacchariæ, ſiquidem patria intra tecta puellam
Exceptam, officiis certat, factiſque mereri,
Venatum nos in montes dimiſit opacos,
Ut ſi qua poſſet præda, agræſtumque volucrum
Aucupio, hoſpitii, menſæque augeret honorem:
Verùm non ullo molimina noſtra favore
Numina promovère, nec ulla eſt capta volucrum
Præda, nec ulla ſimul nobis eſt capta ferarum.
Haud equidem, Ales ait, miror; namque hoſpes Eliſæ

Corde gerens humiles ſenſus haud talia poſcit
Hæc fieri, nec amat tales ſubmiſſa paratus.
Indole præterea cum ſit clemente, ferarum
Non amat illa necem, manſuetarumque volucrum.
Ponite ſpes ideò, & vacuis deſiſtite cœptis.
Ne tamen hunc vobis fruſtra cecidiſſe putetis,
Quem toties longa inſtauraſtis luce laborem;
Præmia vos jucunda, ingentia dona manere
Edico, prius incœptus quàm verterit annus;
Donum erit, & merces qua non pretioſior ulla,
Bethlemio ætherium puerum ſpectare ſub antro.
Sic ait; & longum montana cacumina verſus
Tendit iter, contra dicta impercepta volutant
Attonitis animis paſtores; inde remenſis
Collibus, à cura ceſſantes ambo diurna
Eliſaben adeunt, & in ordine cuncta renarrant:
Illa magis ſtupet, atque magis, narrataque confert
Cum reliquis portenta, & in imo corde recondit.
Jamque omnis pleno ſe vere reſolverat herba
In flores, frugeſque tepens promoverat annus.
Eliſabe quando ipſa loci vicinia ſuadet,
Virgineæque putat ſtudio ſervire parentis,
Illam montanam deducere cogitat Hebron
Magnas viſum arces, veterum, & monumenta parentum,
Quos ipſa à longa numerabat origine virgo.
Ergo his Parthenidem dictis affatur amicis;
Alma parens, ſiquidem nos cœli invitat amœni
Temperies, nec abeſſe tuis hoc autumo votis,
Quin ſemel in virides agros ſpatiemur, & unà
Contiguam noſtris tendamus finibus Hebron?
Signa ubi tot ſuperant proavorum, multaque regum
Iſacidum, tibi quos communis junxit origo.
Haud equidem, genitrix inquit, me gloria tangit
Ulla

Ulla patrum, in ſuperum niſi fortè quòd illa redundat
Authorem; veterum nam quidquid facta parentum
Veræ laudis habent, de numine provenit ipſo.
Si tamen antiquos amor eſt accedere muros
Hebronis, priſciſque habitatas regibus arces,
Haud renuo, conſorſque viæ non ire recuſo.
Sic ait, utque diem veniens aurora retexit,
Corripuere viam, ſummos quà ſemita ducit
In montes: media inter Eliſam, ipſamque Salomem
It virgo, ambarumque ſenili accommodat ævo
Greſſus ipſa ſuos; graditur quàcumque, pudoris
Plurima ſigna ſui linquit; nam ſiquis aprico
Colle ſuper paſtor, ſeu ſors conſpectus arator
Confeſtim blandum caſtæ virtutis amorem
Illis aſpectu virgo inſpirabat amico,
Diffingens habitus animorum, cæcaque mutans
Pectora. Fortè puer pravos Alpheius ignes
Agreſtis nymphæ conceperat: huic malus error
Verterat incautam ſtudia in contraria mentem:
Namque illi non cura gregis, non cura peculi
Ulla ſuperfuerat; tantùm infelicia fata
Noctes, atque dies lamentabatur, & omne
Conſilium in nympham, vota & referebat amatam.
Sæpe etiam ſignis ut declararet amorem,
Dona ferebat, aves invita matre recenti
Ereptas nido, detracta ex arbore poma,
Sertaque texta novis de floribus; & ſimul ipſos
Tum quoque jungebat flores, cum viſa repente
Incedens tumuli ſumma de parte Maria
Extinxit veteres, flammaſque accendit honeſtas
Illius in mediis, converſo corde, medullis.
Ipſe levi allapſu, & cœleſti tactus ab aura,
Quantùm oculis poterat metiri, è vertice collis

Parthenidem obſervat gradientem, ſeque videndo
Haud explere poteſt. Parvo poſt tempore fontem
Venit ad irriguum, qui per montana locorum
Devoluebat aquas: hìc depoſiturus in unda
Perlabente ſitim muſcoſo in margine ſedit:
Ecce autem fonti dum porrigit ora, ruboris
Miratur nova ſigna genis impreſſa, pudoris
Virgineique notas, quas non illius in ore
Cernere erat, miſeros dum corde fovebat amores.
Inde magis deſideriis cœleſtibus imos
Pertentari animos ſentit: poſt ſingula ſecum
Interius confert, atque opportuna merendæ
Præteriiſſe dolet ſibi nymphæ tempora, quando
Officiis præſens poterat, gratiſque probare
Se factis; ergo calcatum à virgine callem
Signat, & opperiens ſuprema in parte moratur,
Si fors converſo referat veſtigia paſſu.
Jamque propinquabant muris, urbemque ſubibant
Montivagæ matres, cum ſe tendentibus offert
A læva variis diſcretum partibus antrum,
Exciſumque locis, hic ſaxo ſtructa cavato
Apparent ſemeſa atavùm monumenta, vetuſto
Quæ dilapſa ſitu rex inſtauraverat olim
Jeſſæus, tituliſque ſuas ſignaverat urnas,
Montanas cum forte arces ditione teneret.
Ergo pedes gaudent inferre, ſimulque propinquos
Perluſtrant tumulos, & avitis fauſta precantur
Manibus: ante alias gratum mitiſſima Diva
Officium exequitur, dicitque faventia verba.
Talia dum peragunt matres, antroque relicto
Prætereunt, patrum ſimulacra exanguia, latam
Speluncam circùm fama eſt, cineresque ſepultos
Alternis volitaſſe choris, & ovantia denſo
Agmine,

Agmine, feſtivos plauſus, cantuſque dediſſe
Teſtantes finem exilii, metamque malorum.
Ventum erat in celſis fundatas montibus arces,
Jeſſides ſuſcepti ubi quondam inſignia regni
Induit, exhauſitque mora labentia luſtra,
Ingentis Solymæ florenti donec in urbe
Imperii fixit ſedem, ſoliumque locavit.
Semiruta elapſis apparent atria ſeclis;
In medio aſſurgit tenuato umbone columna
Alta, ingens, ubi fatidicus ſuſpenderat olim
Infeſtas rex exuvias, galeamque Saulis
Vulnere perfoſſam crebro (ſic juſſerat ultor
Omnipotens) ſummas utrinque aptaverat haſtas,
Nequicquam thoraca trilicem, enſemque coruſcum.
Inſignes pariter belli teſtantia caſus,
Præſentemque Dei vario in diſcrimine dextram
Carmina ſolerti fingi curaverat arte
Saxa ſuper, quæ ſola ævo inviolata ſuperſunt;
Cætera nam ſecum tulit invidioſa vetuſtas.
Interior ſed enim ſolymæi regia vatis
Everſis veteres etiamnum oſtentat honores
Molibus. Antiquis monumenta inſignia formis
Miratur divina parens, miratur Eliſa,
Et ſecum reputant tacitæ, ut mortalia perſtent
Nullo certa loco, utque ingentia nomina regum
Cum regnis pariter ſoles prædentur euntes.
Talibus, atque aliis in celſa Hebrone peractis
Sollicitæ referunt matres veſtigia, primam
Inſtaurantque viam: repetentes patria tecta
Colle ſuper puer Alpheus prior occupat, & ſe
Ipſo in conſpectu ſiſtit, dein plura modeſto
Signa prius vultu prætendens, talia fatur;
Vos curſu feſſæ exacto per iniqua locorum

Jeju-

Jejunam ſors lucem, & tempora ducitis ægra:
Quare agite, & ſiquidem occiduas ſol vergit in undas,
Vicino vobis libeat ſuccedere tecto.
Haud equidem tales auſim præſumere honores,
Si tamen hoſpitium voſmet juvat, haud mihi derunt,
Quæ facilis parcos natura miniſtrat in uſus.
Dixerat. Eliſabe contra ſic orſa; diurnum
Nos nec iter, nec communis penuria victus
Exercet, ſpatium nam non immane viarum
Montanam noſtris diſiungit ab ædibus urbem:
Sollicitum non hæc ideo te cura fatiget:
Sat tibi ſit voluiſſe. Iterum puer excipit; ullis
Veſtra mihi quando haud ineunda eſt gratia factis,
Hos ſaltem noſtri flores leve pignus amoris
Accipite, & flores proponens talia dextra
Tendebat, variiſque ornabat munera verbis.
Ingenio pueri, & ſimul indole ſimplice capta
Porrectos flores non dedignatur Eliſa,
Acceptoſque manu extendit Jeſſeida verſus.
Ipſa humilis violas humiles è faſce recenti
Purpureis manibus decerpit: nec mora facto
Ulla intervenit, quin ferre per avia greſſus
Pergunt, & patrias feſtinant prendere terras.
At paſtor ſubito diſceſſu mœſtus in antra
Seceſſit nemoroſa, novis ubi tempora curis
Impendens, ſtudio caſti indulgebat amoris,
Ducebatque dies vitæ integer, invida donec
Mors in primævo decerptum flore, piorum
Miſit in optatas ſedes, & amœna vireta.
Poſtquam illæ haud multos patria intra tecta receptæ
Exegere dies, partùſque extrema vehentes
Momenta, adventare horas jam ſenſit Eliſa:
Continuò tendens ambas ad ſydera palmas

Æter-

Æternum precibus numen vocat, atque ita ſatur;
En tandem pater omnipotens, rerum alma poteſtas,
Tempus adeſt, quo partu uterum felice reſolvam;
Teque ſimul doni authorem, natique parentem
Agnoſcam; nam dulce mihi promittere nomen
Quid poteram lætæ, niſi te tribuente, parentis?
Quod te unum obteſtor, votiſque frequentibus opto,
Sis bonus ò, faveaſque tuis, nec rebus in arctis
Nec longo tua nos clementia deſerat ævo.
Dixerat, & parvi media in penetralia tecti
Deceſſit, geminanſque preces, & Numen adorans,
Fœcundam mirante polo, mirante ſenectam
Natura, puerum dias in luminis oras
Edit. Eo teneræ ſubeunte ad limina vitæ,
Exultans genitor, cui vocis ademerat uſum
Difficilis monitis animus cœleſtibus, imum
Lætitiam in tacitam pectus, mentemque reſolvit
In ſuperi laudes genitoris, opuſque recenſet
Altum, ingens, tanto perfectum authore, beatum
Spes undè eventum, & certam communia vota
Invenere fidem. Rebus tum fortè gerendis
Ædibus in mediis jeſſæa puella vacabat,
Cognatæque vices ultro ſenioris obibat.
Nec longum in medio tempus; canam illico matrem
Gaudia prætendens vultu tranquilla reviſit,
Et gratata Dei donum omnipotentis, amico
Multa ſuper nato, ſuper ipſo numine multa
Effatur: mox lacteolis puerum extulit ulnis,
Et formoſa genis dedit oſcula, plurimus undè
Additus infanti decor eſt, decor additus ori
Fulſit, & acceſſit puerili gratia formæ.
Interius ſed enim ſumma divinitus aura
Tacta parens Virgo, puerum dum ſpectat, iniquas
Ærumnas, duroſq; Deo monſtrante labores, Quos

Quos illi luſtris labentibus advehet ætas,
Perlegit in tenera venturi præſcia fronte.
Namque videbat, uti vix prima ætate peracta
Per ſilvas erraret inops, deſertus, egenam
Victu infelici, traheretque per aſpera vitam,
Arboribus nunc mella cavis ſilveſtria ducens,
Nunc rimis ſaxorum altas trepido ungue locuſtas
Eliciens: modò Jordanis prope flumina cernit
Perlabentem undam palmis haurire ſupinis,
Et modò terrenos æterni numinis ortus
Ad circunſtantis narrare cacumina ſilvæ.
Parte alia vertente ævo, & jam firmior annis
Zaccharides ſuper unigenam ſobolem ætheris alti
Luſtrales invergit aquas. Diſcreta ſupernas
In partes ſummi ſedes aperitur olympi
Prodigiale tonans. Pater alba in nube coruſcans
Veſtus adeſt, diaque affirmat fulgure lucis
Ipſe ſuam ſobolem, & patrium teſtatur amorem.
Sed curis divæ pectus percellit amoris
Altera quæ rerum facies ſubit: ilicet illum
Regis idumæi thalamos, vetitoſque hymenæos
Aſpicit increpitantem, & plurima voce monentem
Nequicquam: furit aſper, & acri percitus ira
Inſurgit, vatem neque regius audit adulter.
Ecce autem immerita caput à cervice reciſum
Apparet, diſcoque (nefas!) portatur in aureo
Infamis pretium choreæ, vafræque puellæ.
Ipſa oculos pietas ſcelus averſata nefandum
Declinat, caſuque themis perculſa ſiniſtro
Cœlicolas vocat ultores. Effundere fletus
Tum quoque viſa fuit Virgo; ſed triſtia ſigna
Mœroris cohibens premit altum corde dolorem;
Præſcia ne divûm videatur munere, neve
Ante diem miſeræ moveat faſtidia matri. LI-

LIBER III.

HEbronem interea, & montana cacumina linquens
Diverſa molitur iter regione viarum
Fama loquax: non huic comitem temerarius Error
Addiderat ſeſe, ficto aut mendacia vultu.
Cana fides, vafroque dolo inſuperabile Verum
Greſſus adjunxere pares, delapſaque cœlo
Lætitia antevolat, quæ mœſtas illice vultu
Exhilarat terras, & nubila pellit olympo.
Illa per aerios tractus allapſa volatu
Nazaridum terris ſtetit, omnipotentis amoris
Mira canens portenta, & verſa lege refixos
Naturæ mores; gentes tum didit in omnes,
Ut puer è ſterili naſcens emerſerit alvo,
Utque fidem eventu, & cœleſtia dona probante
In vocis primos muta ora reſolverit uſus
Feſtivus genitor; caſus miratur Idume
Arcanos, ſimul attonitus miratur Joſeph,
Rerumque authori grates, & verba rependit
Obſequium teſtata Deo. Condicta citato
Attigerant curru revoluti tempora ſoles.
Extemplo jubare exorto galilæa per arua
Ille viam carpit, monteſque intendit in altos
Haud celeres greſſus: auditaque mente revolvens
Æſtivos fallit ſoles, & longa viarum
Tædia. Jam ſpatium confecerat alma diurnum
Lux, ſpatiumque ſuum tranſegerat aurea Phœbe.
Ipſe æſtu, heſternaque die defeſſus, euntes
Irrigui prope fontis aquas in margine ſedit
Herboſo: tum bis circum caput egit honeſtum
Um-

Umbroſos nemorum tractus miratus, & imas
Deſpicens valles frigus laudabat opacum.
Ecce autem culti Jonathas ditiſſimus agri
Digreſſus patrio de colle ſupervenit, & ſe
Præſentem in medio ſiſtit, mox multa profeſſus
Vultus ſigna boni dictis ita mollibus infit.
Dic bone, dic qui te nemorum per confraga curſus
Huc tulit, aut cœli quod te perduxit amici
Saltus numen in hos? nam te ſine numine cœli
Nec tentaſſe viam reputo, nec ego quoque fruſtra
Obvius hic adſum: nam cur mihi pectora motus
Ignotus pertentat, amoremque injicit ipſe
Conſpectus, facieſque licèt non nota ſedentis?
Quare agé, ſollicito ſi corpora fracta labore
Procurare juvat, noſtris haud tædeat uti
Officiis, noſtræque in ſortis parte reponi.
Ille ſub hæc; lux nazariis prope tertia terris
Digreſſum videt his veſtigia tarda trahentem
Montibus, & bona jam pars eſt exhauſta viarum.
Nil ideo moror auxilii, hoſpitiumve requiro,
Extremo quando verſantur fine labores.
Namque huc languorem placida poſiturus in umbra
Acceſſi, gelidaque ſitim extincturus in unda.
Sic ait, & preſſis ultroque citroque loquelis,
Puros delibat latices, hauſtuſque frequentans
Miratur quianam liquidum ſapor advena fontem
Verterit; indeprenſus aquæ nam acceſſerat alter
Indole mutata ſapor. Attonito Jonathas tum
Subjicit; Hæc morem tibi quæ tranſcendere viſa eſt
Unda ſuum inſueta penitus novitate, ſtuporem
Injicit hæc animis eadem haud mihi cognita noſtris.
Adde, quod informes limo prius humifer amnis
Verſabat lymphas, at nunc, ut cernis, & ipſo
Purior

Purior argento, electroque ſimillimus errat.
Margine præterea in viridi non amplius audent
Florentes herbas pecudes tondere, nec altis
Poturæ ripis accedere: ſunt quoque triſtes
Qui referant tacto morbos poſuiſſe fluento:
Quæ rapidæ vetus ingenium mutaverit undæ
Cauſa latet: forma fama eſt præſtante puellam
Hac tenuiſſe viam (nunc tertia luna recurrit)
Virgineiſque fluentem amnem guſtaſſe labellis,
Atque illo verſas tum primùm tempore lymphas.
Dixerat, & taciti repreſſis vocibus ambo
Arcanas nequeunt latebras pervadere, rerumque
Ambages mirantur: agros mox alter avitos,
Hebronis montes alter, pagumque petivit
Feſtinans: audita ſeni obverſantur eunti
Prodigia, atque oculis fontis portenta recurſant
Uſurpata ſuis. Noctem ducebat opacam
Veſper, & occiduo nubes ſplendore rubebant.
Cum tandem Eliſabis ſubit avia tecta, novaſque
Ingreſſurus agit grates, tibi maxime divum
Rex, jam confecta totius parte laboris
Lætior. Occurrit venienti, ac talibus infit
Hoſpitis adventu inſolito lætatus amici
Zaccharias. O Iſacidum juſtiſſimus unus,
Cui varios libuit caſus perferre viarum,
Ut poſt innumero converſas ordine lunas
Expectatus ades! tum dicere plura parantem
Occupat Eliſabe jam partu libera, jamque
Functa puerperio, & ſeniorem affatur amicis
Vocibus: alloquia intercedunt plura viciſſim,
Et gratis bonus officiis reſpondet Helides.
Poſtremo vultus Virgo demiſſa modeſtos
Proceſſit, flori ſimilis, qui ſponte per agros

Pro-

Proveniens, decora oſtentat pulcherrima formæ
Nullius aucta manu, nec procurata coloni
Arte: ſuas ſic illa in cultu ſimplice dotes
Monſtrabat, propriique decoris laude nitebat.
Vix incedentem pius ante affatus Joſeph
Aſpexit Mariam, ſubito cùm apparuit ipſa
Alvum fœta gravem, inſuetaque excedere viſus
Mole uterus: primò attonitus ſtupet ille, nec audet
Inſolita novitate ſuper prorumpere verba,
Vixque oculis fidit: mox neſcia pectora veri
In partes varias rapit, atque per omnia verſat.
Qualis in alpino conſurgens vertice quercus,
Si fors hinc rapidus notus, illinc turbidus evrus
Ingruat, ancipiti fertur diſtracta tumultu
Huc obverſa, atque huc, dubitatque cacumine moto
Cui parere velit: diverſo talis Helides
Impulſu curarum ægram in contraria mentem
Dividit; ipſe tamen pura de virgine fingit
Nil deforme, feritque pios reverentia ſenſus.
Plurima dum ſecum ſuſpenſa mente volutat,
Occurrens tecti ſecreta in parte Salome
Adventu lætata facit bona verba, deinde
Magnum aliquid viſa eſt voci comittere velle;
Tum ſic orſa loqui. Longis narratibus hora
Si modo tempeſtiva foret, vel idonea fando
Tempora, colloquiis quot te, verbiſque tenerem
Alme ſenex! nam ſi verbis detexere vellem
Quæ mihi, quæ Mariæ ſunt viſa occurrere campis
In mediis, ſilviſque, prius me longa peracto
Deficiat curſu nox, excipiatque loquentem
Orta dies, verbis quàm cuncta evoluere poſſim.
Adde quod in ſpatio ſæpe evenere viarum,
Quæ noſtros fugiunt ſenſus, & vix ſatis ipſis
Perci-

Percipienda oculis; modò nam monſtrabat ituris
Prævia lux iter, & ſignabat limite ſulcum
Flammifero, ſocios modo ſe adjunxere viarum
Ignoti, nec lapſa mihi per tempora viſi
Paſtores; quodque ipſe magis mirere, inopinum
Illorum haud renuit conſpectum exterrita Virgo:
Quandoquidem reliquos alia in regione colonos
Vitabat; plenaſque vias, pagoſque frequentes.
Quin etiam haud ceſſant vel in his contingere tectis,
Quæ ſi conſuetos ad rerum admoveris uſus,
Vix reperire fidem poterunt: ſenioris Eliſæ
Sæpe recens natum video inter brachia luſus
Zachariden exercere, & canæ, ut ſuus eſt mos
Lacteolis pueris, blandiri murmure matri;
Aſt illum placido contra ſi blanda Maria
Extulit amplexû, puerilis protinus ipſe
Indolis oblitus, nova ceu reverentia menti
Venerit, obſequio cognatam ambire puellam
Velle videtur, & elatas adrepere in ulnas
Allapſu timido, ſolito nec ludere more.
Plurima præterea ſuperant, quæ fortè loquenti
Nec mihi ſuppeditant, nec fas proferre ſub auras.
Talibus excepit Joſeph. Quæ maxima rerum
Effugiunt animos etiamnum abſcondita noſtros
Omnipotens retegat pater, & dextro omine firmet
Oſtenſa auguria, aut ſi fors quid triſte minantur
In melius referat, caſuſque refingat in æquos.
Haud equidem cœleſti utcumque authore cadent res
Æquanimis ſubiiſſe negem. Nec plura locutus,
Nox ſiquidem medium cœli intempeſta tenebat,
Membra thorô permiſit; adhuc ſed fluctuat ægra
Mente, mari ſimilis, quod nunc ſpiramine blando
Demulcet zephyrus, modo miſcet aquaticus auſter.

 Tempus

Tempus erat, quo ſub dubiæ confinia lucis
Sera quies membris allabitur, imaque mulcet
Pectora ſollicitis per noctem exercita curis.
Cùm ſummis ecce ante oculos delapſus ab aſtris
Viſus adeſſe illi juvenis, cui pulchra fluebant
Avratæ per colla comæ, geminoſque per armos
Candidulæ placidis trepidabant motibus alæ.
Tum ſic affari ſeniorem, & demere curas
Vocibus his. O Jeſſidis ſate ſanguine Joſeph,
Quid te ignota adeo rerum miracula turbant,
Ut vitæ ſociam dubites adhibere Mariam,
Conjugiumque ſacrum illæſo celebrare pudore?
Pone metus, nam quo tumuerunt viſcera, fœtus
Cœleſti ſe authore probat, caſtamque parentem
Omnipotens dia complevit ſpiritus aura.
Utque ea non vanis poſſis dignoſcere ſignis,
Facta modis retegam miris, tenebraſque reſolvam,
Quæ cæcos hebetant mortali in corpore ſenſus.
Sic ait, & denſum ex animis mirantis Helidis
Velum diripuit, nebulis involuere mentes
Quod ſolet humanas, & nube obducere verum:
Ille (incredibile auditu) caligine puris
Diſcuſſa radiis, obtutu cernit in uno
Ætherii facta alta patris, matriſque verendum
Partheniæ decus, & virtutum nomina mille,
Geſtaque præterea ſub vaſti exordia mundi,
Et longis quæ ſera ætas mirabitur annis.
Namque videbat, utì primo prognata parente
Culpa, manu tendens ferali uxoria poma,
Sævarumque trahens ponè agmina dira ſororum
Nativum allineret virus mortalibus ægris:
Integer haud quiſquam tantæ contagia labis
Evaſit; totam primæva ab origine gentem

Infecit

Infecit ſuneſta lues. communibus una
Inviolata malis virgo illætabile peſtis
Elidit caput, atque inſultans deſuper, iras
Deſpicit attollentem, & ſe in ſua membra plicantem.
Nec minus ætherias ſimul ac emerſit in auras
Diva parens, cunctas divina acquirere in horas
Dona videt, ſemperque novis virtutibus auctam
Ad cœlum ingentem meritorum attollere molem.
Partem quæque ſuam vitæ momenta fluentis
Adjungunt, cumuloſque alios ſuperaddere pergunt.
Non tot nocturnus numerat labentia mundus
Sydera, nec fœcunda novis tot frondibus arbor
Veſtitur, molli cum ver ignava tepore
Virgulta increpitat, pratiſque inducit honorem.
Non ſi longa virùm, quam ſecula priſca tulere,
At quam ſera ferent coeat gens omnis in unum;
Quotquot & ingreſſi Garamantum littora, duros
Diſſinxere animos divinis vocibus, & qui
Sanguine quæſivere æternæ præmia palmæ,
Virgineæ equales ſperent aſſurgere matri.
Parte alia occurrunt, quos poſtera dicet honores
Conſpirans ſtudiis ætas communibus, aræ
Innumeræ aſſurgunt, fundata & marmore templa
Intactæ genitrici, occaſus certat, & ortus
Illius in laudes, & mille volumina, mille
Illius innocui narrant præconia vates.
Languentum pariter turbam ſe exſolvere voto
Aſpicit, & lætos mariana ad limina nautas
Felici pictas ſuſpendere clade tabellas,
Thuriferoſque focis myſtas incendere odores.
Miratur ſenior decora inclyta, magnaque cœli
Vix portenta capit, nec tanta conjuge dignum
Se probat. Immenſum radiis detexerat orbem

Poſtera lux: ſtratis extemplo languida membra
Corripit, & monſtrata novis miracula ſignis,
Curarum tandem diſcuſſa nube revoluit.
Qualis ubi nebula, & caligine conditur atra
Mœſta dies, læva ſi fors de parte ſerenus
Aſpiret Zephyrus, clementi & flamine nubes
Differat, expulſis ſubito lux emicat umbris,
Et facies roſei placidiſſima ridet olympi;
Talis deterſa liber formidine, triſtes
Componit motus animorum, & gaudia vultu
Tranquillo præfert mœrore levatus Helides.
Ut primùm virgo, & tenera cum virgine Eliſa
Joſippo occurrere, alta divinitus avra
Perculſæ, heſternæ viſum mirabile noctis
Aſpectu agnoſcunt primo, recluſaque tandem
Prodigia, illius pacata in fronte tuentur,
Ceu ſpeculo ſimulacra ſolent interprete cerni;
Haud tamen alloquiis inſtant, ſed pura fatentur
Gaudia jucundis lacrymis, udoque viciſſim
Lumine reſpondet perſuſus cana pudore
Ora ſenex Jeſſeus: amico numine rebus
His ita compoſitis, patrias jam cogitat ædes
Virgo ſimul, conjuxque ſimul, cognataque tandem
Hoſpitia, & celſas meditantur linquere terras.
Ergo ſupremo ritè ut comitetur honore
Digreſſum Mariæ, & gratum teſtetur amorem
Zaccharias, menſis ſtudio ſolerte paratis
Concelebrare diem parat. Æqualem ſimul ævo
Haud procul umbroſo degentem in monte Manaſſem
Cui dulces cantus, & plectra loquacia cordi,
Advocat: ille humeris citharam ſuſpenſus eburnam
Lætus adeſt, moduliſque hilarat convivia feſtis.
Non parcas epulas inter commixta cachinnis
Verba

Verba exaudiri, ſtrepituſque ad plena vocantum
Pocula convivas: regina modeſtia vultu
Virgineo inſidens menſæ dat jura, neque illam
Gaudia vana movent, aut abripit ardor edendi.
Ut dapibus compreſſa fames, vulgata Manaſſes
Facta, quibus veterum cœlo ſe gloria tollit
Iſacidum, diverſa per intervalla recenſet
Alternans cithara cantus: ſuper omnia vatis
Jeſſæi decora alta canit, genus unde parentis
Divinæ, & magnæ ſtirpis regalis origo.
Quippe canebat, uti magno, licet impare fretus
Robore, componens ſeſe, occurrenſque giganti
Fuderit hoſtilem dextra victrice cruorem.
Hic vaſta aſſurgens in membra, & acinace longo
Incinctus puerile auſum aſpernatur, & amplo
Proterit inceſſu, ſubjectaque deſpicit arva.
Ille hilari contra vultu, nec inania jactans
Verba, caput circùm ter agit valido impete fundam
Armatam ſaxo, & fatalem ſoluit in ictum.
Aerius fertur lapis, atque in tempora vaſti
Semiferi vi magna impingitur, interiuſque
Conditur; ipſe gravem moribundo corpore pulſat
Tellurem plantæ ſimilis, quæ flantibus euris
Huc, illuc impulſa, ſibi parit ipſa ruinam
Mole ſua, laceraque cadens dat rupe fragorem.
Confeſtim Goliæ fulgentem deripit enſem
Nequidquam accinctum lateri jeſſæjus heros,
Inviſumque caput Solymis obtruncat, iniqua
Nuper in iratos vibrans convicia divos.
Præterea cantu varios deducit in hoſtes
Davida, poſtque diu exhauſtos noctuque labores,
Regnantem ſolymorum auguſta ſiſtit in urbe.
Nec non mirandum ſæclis Salomona futuris

Dantem jura facit, populique ingentis habenas
Ordine flectentem immoto: producta ſub auras
Addit templa, avroque; & ahæna luce coruſca,
Centumque elatis in cœlum fulta columnis.
Plurima quin etiam commiſſa emblemata chartis
Illius enarrat, repetitque ignarus honores
Virgineos, quibus arcanas induxerat umbras,
Signis alludens Salomon, variiſque figuris.
Scilicet excelſo ſurgentem vertice cedrum
In ſilva dicit libanitide, & inde cupreſſum,
Inde addit palmeta Cades; nec dicere ceſſat
Signatum, qui culta rigat viridaria, fontem,
Et circumpoſitis concluſum ſepibus hortum,
Singula quæ vates latebris abſconderat altis:
Ipſe tamen pulſis ſocians concordia neruis
Carmina non noto recinit ſalomonia ſenſu.
His, aliiſque moræ ſpatium lenibat, & æſtus
Tædia ſic bonus hoſpitibus minuebat amicis
Plectra movens fidicen; pulſa cùm nocte refulſit
Altera lux: tum fœcundæ tecta hoſpita Eliſæ
Complexus caros inter, lacrymaſque rogantum
Deſeruere parens Virgo, & longævus Joſeph,
Patriaque emenſos petierunt tecta per agros.

DE ARTE AMANDI
B. MARIAM VIRGINEM
LIBRI II.

LIBER PRIMUS.

DEpoſita nuper meditabar arundine carmen,
    Et grave tentabam dicere Martis opus.
Utque animum cura ponebam totus in illa,
    Omnis in incœptum muſa vocata meum eſt.
En mihi pro muſis pueri venere vocatis,
    Quorum alter longus pes, brevis alter erat.
Ut patuit formà vultùs, atque impare paſſu,
    Hæc elegum nobis obvia turba fuit.
Nec mora: mæonio nudant mihi crura cothurno;
    Ad nova nam ſumptus cœpta cothurnus erat.
Sacraque diripiunt cingentem tempora laurum:
    Impoſitis lauro pro viridante roſis.
Quid mihi tunc animi fuit imo in pectore? qui me
    Terruit à turba circumeunte timor?
Ecce autem è numero puer unus pulchrior omni
    Ad me facunda talia voce dedit.
Pone metum vates: quotquot modò cernis adeſſe,
    Nos tua cura, tuum nuper eramus opus.
Nos elegi gens nota ſumus latioque, tibique;
    Dilectum muſis, innocuumque genus.
Tunc ego, vos noſtri pars ulla laboris eratis,
    Cùm mea parthenium muſa moveret opus.
At quoniam andino modo tempero pectine carmen,
    Nil mihi cum veſtris eſt modo blanditiis.
Ille ſub hæc: liber non eſt tibi carminis uſus,
    Iſta nec arbitrio res peragenda tuo eſt.
Bella alii, regeſque canant, & prælia regum:
    Tu poſthac ſacri ſcriptor amoris eris.
Si quis adhuc ſuperam non novit amare Mariam,

Digitized by Google

Te legat, & ſcriptis diſcat amare tuis.
Siquis erit pariter qui dudum novit amare,
Te legat, & cœpta pergat ut ante via.
Artificem te Virgo ſuo præfecit amori,
Unus in hac aliis arte magiſter eris.
Dixerat, & tenues ſubito deceſſit in auras,
Aſtabat lateri quæ modo turba meo.
Virgo parens, qua nil dilecta dulcius eſſe,
Et qua nil dicta dulcius eſſe poteſt:
Tu dicenti animos, & amanti ſuffice vires;
Rite fac ut titulos ſuſtineamque duos.
Carmine formandis pariter lectoribus adſis:
Æqua velis cauſis diva favere tribus.
Auguror: exemplo cùm ſis clementior omni,
Eventu facies vota beata ſuo.
Principio quicumque mea fingendus ab arte es,
Ante tuos animos ad mea dicta para.
Duritie cultus qui non admittit amicos,
In fruges non eſt ingenioſus ager.
Dein ubi pars noſtri fuerit tibi lecta libelli,
Incipe præceptis pronior eſſe meis.
Quid minus expoſci poterat, quàm prona voluntas?
Imminet hinc capiti nulla ruina tuo.
Nec miſeras clades, nec jurgia ferre, nec imbres,
Aut ſoles jubeo, ſcythoniaſque nives.
Hæc ferat idalii qui jura cupidinis audit,
Qui dedit infami colla terenda jugo.
Illum perpetuus cruciet dolor, improbus illum
Alterna vexet nocte, dieque labor.
Deliciæ te mille manent, & gaudia mille;
Pluraque cum tuleris millia, mille feres.
Nec ſatis eſt ſacro te velle ardore peruri:
Quin deſideriis addere facta velim.

Utque

Utque ſua incœptis accedant pondera factis,
Fac prope ſis dominæ par, ſimiliſque tuæ.
Qua tu parte potes ſimilis: nam effingere, Virgo,
Quis poterit dotes, parve referre tuas?
Purior illa fuit: tu purior eſſe labora
Perſpicua, quæ de pumice manat, aqua.
Se domini famulam illa ſui, ancillamque vocabat:
Te famulum illius, mancipiumque voca.
Illi non animum faſtus movere ſuperbi:
Ipſe tuæ nec tu laudis amator eris.
Nonne vides quos unus amor tenet, una voluntas
Eſſe ſimul ſimiles, ingenioque pares?
At contra, quos nulla tenet concordia morum,
Servare in longos fœdera nulla dies?
Nec tantùm mores, ſed & ipſas exprime curas
Mœſta quibus Virgo, quando dolebat, erat.
Eſſe tuum reputa caſtæ quicumque Mariæ
Perculit infandus triſtia corda dolor.
Si quis cum noſtris lacrymas conjungat amaras,
Nil queit in noſtris dulcius eſſe malis.
Quis dolor heu matris tum debuit eſſe, rigere
Cùm vidit puerum frigore penè ſuum?
Cum mœſta ſuperum miſerabere matre puellum,
Quem natum Boreas, quem fera læſit hyems.
Quin ſpatia ætatis propter diverſa querere,
Officii quod ſit copia dempta tui.
Copia brumales arcendi dempta rigores
A puero, grata ſedulitate, Deo.
Obſequii quæ non poteras dare ſigna, fuiſſet
Si tibi forte datum vivere tempus idem?
Sollicitæ curam pariter meditabere matris,
Cùm Pharios loca per vaſta petebat agros.
Ah quoties ſtetit audito ſuſpenſa fragore!

Et

Et fragor hic venti ponè ſtrepentis erat.
Ut cæſos verò pueros ante ora parentum
Audiit, & longas ire cruore vias,
Quamvis pro ſalvo quæ non ſuſpiria nato
Edidit? elapſis palluit uſque malis.
Nec minus illa tibi ſuccurrat cura doloris
Quem tulit amiſſo ſedula Virgo Deo.
Ter formoſa dies ſe primo oſtenderat ortu
Cùm puer in nulla parte repertus erat.
Per fora, per vicos illum quærebat, in omnì
Præteritus matri non fuit urbe locus.
Inſuetæ te finge viæ comitemque, ducemque,
Et ſtudium ſimilis dulce laboris habe.
O ego ſi dominæ potuiſſem dicere noſtræ
Hac tuus, aut illa in parte moratur amor,
Quæ non detecto petiiſſem præmia nato,
Quæ ſperanda mihi gratia matris erat!
Sed tibi triſtitia non eſt majore dolendum,
Quàm cùm ſuſpenſus de cruce natus erat.
Quanta tulit Jeſus ferali in ſtipite fixus,
Dum Jeſum aſpiceret quanta Maria tulit!
Virginis in pœnas, in nati vulnera, tanti
Vota fac in partem poſſe venire mali.
Vota fac ærumnas, & fata ſubire, levatus
Ut nece ſit natus, ſitque dolore parens.
Sed ſatis indultum eſt lacrymis: nunc læta Maria
Gaudia ſunt animo concipienda tuo,
Infantem peperiſſe Deum, vidiſſe Sabæos
Ante ſuos reges procubuiſſe pedes,
Et puerum reperiſſe, & quæ dicere plura ſuperſunt,
Lætitiæ dominæ cauſſa fuere tuæ:
Lux quoque divinæ quæcumque dicata parenti eſt,
Eſt tibi præcipuos inter habenda dies.

He-

Heſterna quin luce tibi ſit maxima cura
Apponi ſolitis abſtinuiſſe cibis.
Nec tantùm ſolitis, quantùm ſuper omnia gratis
Prandia, erit laudis velle carere loco.
Poſt ubi partheniæ matri ſacra fulſerit Eos
Tunc jubeo obſequii prodere ſigna tui.
Tunc opus eſt miſeris larga ſtipe ferre levamen,
Tunc opus eſt celeri templa ſubire pede.
Eſt aliquid cauſſa divinæ matris, eadem
Penſa die famulis demere longa tuis.
Tu ſine parthenia requieſcat luce colonus,
Tu ſine parthenia luce quieſcat humus.
Plurima quin etiam marianis erue faſtis,
Quæ teneant animos, afficiantque tuos.
Virginis eſt natalis eos? tu mente revolve,
Quam felix hæc ſit jure vocanda dies.
Cœlicus in lucem nondum foret editus infans,
In lucem ſi non edita Virgo foret.
Conjicere inde potes, quantùm fuit utile naſci
Illam, communis prodiit unde ſalus.
Proſpera lux oritur, qua pura emerſit ab alvo
Humana genitus conditione Deus?
Tum geminam caſtæ laudem gratare Mariæ,
Maternam pariter, virgineamque ſimul.
Cætera cum reliquis communia forſan haberet,
Quamquam inter reliquas maxima Virgo foret;
Sed peperiſſe Deum laus unica virginis hæc eſt:
Hoc bona de tanto ſingula fonte fluunt.
Nec tibi luſtratæ ſunt prætereunda parentis,
Quæ ſol hybernis feſta reducit equis.
Illam communi purgatam lege recenſe
Quamquam nullius conſcia labis erat.
Forſitan omnis eam, quæ venerat obvia turba

Vi-

Viſere, dedecoris credidit eſſe ream.
Ætas ſi tali me tempore priſca tuliſſet,
Meque ſacrum in templo detinuiſſet opus
Ipſa ego, Diva, tui dixiſſem aſſertor honoris,
Non mater, qua vos lege putatis, ea eſt.
Purior electro eſt, & aqua ſaliente, nitenti
Siquid & electro purius eſt, & aqua.
Parva loquor: nigræ ſol nocti eſt concolor, ipſum
Siquis ei ſolem compoſuiſſe velit.
Hæc ego, vel non his certè diverſa dediſſem:
Hæc quoque vel non his diſſona vota face.
Fertilis annus adeſt: hac tempeſtate Maria
Viſere cana tuos ivit, Eliſa, lares.
Ergo Parthenidi per inhoſpita mentis eunti
Felici fauſtam voce precare viam.
Sic tibi dic, genitrix, ſolis vis ignea parcat,
Uda tibi calidas ſic levet avra dies
Sint tibi vota rubos, lapſoſque repellere ramos,
Ne pedibus rami, ne noceantve rubi.
Quamvis officii non Parthenis hujus egebat
(Præſtitit officium cœlica turba ſuum)
Hæc animi ſunt ſigna tamen gratiſſima noſtri,
Et deſideriis gratia ſæpe ſua eſt.
Poſt lux virginei ſuccedet læta triumphi
Qua fuit in ſuperos Virgo recepta polos.
Cœlicolùm qui plauſus erat, qui cantus ovantum,
Virgine cœleſtes ingrediente plagas?
Hæc ego ſiquando ſolerti mente revolvo,
Perfundunt mentem gaudia nota meam.
Cernere jeſſæam videor ſuper æthera matrem
Nube die medio lucidiore vehi.
Aligerumque omnem venienti occurrere pubem
Pulſantem auratæ fila canora lyræ.

Pars

Pars canit, & curvum circùm glomeratur in orbem,
Pars canit, & laudes Virginis ingeminat.
Non, quod materna ſine labe emerſerit alvo,
Ediderit puerum quòd ſine labe ſuum;
Dicere non ceſſant quibus eſt ſpectabilis ipſa,
Et quibus eſt ſummo carior una Deo.
Hæc, & plura potes tibi fingere, quando perennis
Hæc, & plura tibi ſuppeditabit amor.
Officiis quoque perpetuis, ſtudioque diurno
Nomina ſunt dominæ rite colenda tuæ.
Inflexo procumbe genu, ſiquando Mariam
Accidet in taciti parte vocare loci.
At rerum ſi conditio, tempuſque vetabit
Tunc deſiderium, quo prohiberis, habe.
Sunt quibus eſt juſto reverentia mixta timori,
Diaque, vix audent dicere, mater ave.
Et tantum meminiſſe juvat, jucundaque geſtant
Nomina in occulto nocte, dieque ſinu.
Sunt quos læta tenet tantæ fiducia matris,
Et Virgo eſt titulis blanda vocata ſuis.
Nam quid dulce magis dicta, gratumque Maria,
Aut quid in attenta lenius aure ſonat?
Si doleas, triſtes vox mitiget illa dolores,
Si plores, lacrymas leniat illa tuas.
Temperet eventus clamata Maria ſiniſtros,
Hæc ſit in infeſtis certa medela malis.
Ipſe ego dum taciti traduco per otia ruris
Tempora, ferventes decipioque dies;
Sæpe altos feror in colles, jugaque ardua montis,
Lenis ubi acceptos duplicat aura ſonos;
Atque voco repetens, iterumque, iterumque Mariam,
Illius ut nomen concava ſaxa ſonent.
Namque meam vellem dominam levis aura referret,
Mo-

Mobilis argutis unda referret aquis,
Pulſaque continuis clamarent vocibus antra,
Clamaret motis arbor opaca comis,
Ut quocumque oculos, cita vel veſtigia ferrem,
Nomen dulce meis auribus acciperem.
Illius ut nomen, ſic picta colatur imago
Luminibus ſimul ac viſa erit illa tuis.
Nec ſigna obſequii quin prodas plurima, plenæ
Detineant populo prætereunte viæ.
Detecti eſt facilis capitis reverentia, nemo
Dicere ſubmiſſa voce vetatur, ave.
Bernardus ſuperam juſſit ſalvere Mariam,
Per loca dum cœptum nota ferebat iter.
En quoque Bernardum juſſit ſalvere Maria
Reſpondens gratas officioſa vices.
Quis Bernarde tibi fuerit tum ſenſus, inanis
Cura foret verbis velle referre meis.
Credibile eſt blandæ tactum dulcedine vocis
Cor tibi laxatis ſubſilviſſe fibris.
Donatumque ultro divina a matre favorem
Ex oculis lacrymas elicuiſſe tuis.
Quidquid id eſt, certè non ulli nota tuliſti
Gaudia, mortali non referenda ſono.
At ſi ſecreta continget parte videre
Picturam dominæ, ſeu ſimulacra tuæ,
Tunc ego nec legem votis, nec tempora verbis,
Nec tibi præſcripto limite pono modum.
Submiſſo poteris dare cultus poplite ſigna,
Oſculaque in medio figere crebra ſolo.
Teque omni indignum prorſus ratione vocare,
Quod tantæ famulus ſis, & amator heræ.
Luſtra quoque ætatis relegens elapſa, dolebis
Tempora ſervitii ſera fuiſſe tui.

Ah

Ah cur, dic, lapſos nequeo revocare tot annos,
Et tot præteritos te ſine, Virgo, dies!
Sed quid ploro dies tranſactaque luſtra? dolori eſt
Ducta procul ſignis quælibet hora tuis.
Talia dicenti ſuccurrent plurima, lingua
Invenietque novos facta diſerta modos.
Verùm perpetua memor ut ſis parte diei
(Eſſe licèt nequeat non memor omnis amans)
Effigiem tecum parvam geſtare jubebo
Parthenidis, cujus factus amator eris.
Ut quocumque pedes, oculoſque adverteris, illa
Sit quocumque oculis tempore viſa tuis.
Nil tibi conſpecta jucundius eſſe Maria
Dans operam monitis experiere meis.
Eſt aliquid picta, libeat modò, lumina diva
Paſcere, & aſpectu cor hilarante frui.
Et voces illi ſubmiſſas dicere, tanquam
Reſponſura tuis vocibus illa foret.
Caſta nec in patrio deſit tibi picta cubili,
Quotidie quam tu devenerere, Parens.
Vix igitur vigili deterſo è lumine ſomno
Mane novo illius vota fer ante pedes.
Et felix, dic, mater ave, cui plena favoris
Divini pleno copia fonte fluit.
Omnipotens tecum eſt ſummi moderator olympi,
Eſque inter reliquas una beata nurus.
Et pariter ſacer ille tuus, pariterque beatus
Eſt fructus ventris, mater amata, tui.
Sancta parens, divina parens, cui ſingula natus
Utiliter mundi in commoda poſſe dedit.
Nos tueare, poli blanda dum veſcimur aura,
Et nigra cùm veniet, nos tueare, dies.
Has illis & junge preces. Regina ſuavem

Quæ

Quæ titulum matris commiſerantis habes,
Salve orbis regina potens, ſalve unica noſtræ
Dulcedo vitæ, noſtraque ſpes, & amor.
Ad te primævæ ſoboles miſeranda parentis
In miſera profugi vociferamur humo.
Irrequieta tibi ſuſpiria mittimus ex his,
Triſtis ubi degit cura dolorque, locis.
Eja igitur mundi ſolers patrona labantis
Huc oculos, huc ò verte benigna tuos.
Et nobis poſt exilium duroſque labores
Oſtendas uteri pignora cara tui.
O clemens, o dulcis in ore, & corde Maria,
Da mihi te laudes poſſe referre tuas.
Atque tuos, hoſteſque meos da vincere poſſe:
Illa, vel illa tui cauſa favoris eget.
Sunt qui jæſſei recitant ſuſpiria vatis,
Sunt quibus è varia nexa corona roſa eſt
Sunt qui verſiculo complexi ſimplice, laudes
Parthenias recitant, ordine quamque ſuo.
Atque ajunt, o ſpes noſtris certiſſima rebus
Ultorem nobis flecte Maria Deum.
Illius es nempe alma parens. Smilique ſequuntur
Ordine, conſuetas continuantque preces.
Talibus implorare potes, divamque precari,
Cùm ſol purpureum monſtrat ab axe diem;
Et cùm nocturnus procedit veſper, & ante
Quàm ſubeas munus quod tibi ſorte datum.
Forſan tota tibi commiſſa domeſtica res eſt,
Et domus arbitrio eſt emoderanda tuo.
Singula quæ facies, adſit licèt altera cauſſa,
Reſpectu ſuperæ virginis illa face.
Illius & cauſſa perages quæcumque capeſſes,
Pars operis pretio ne vacet ulla ſuo.

L Sol-

Sollicita miſeros defendes voce clientes?
    Hæc defendendi ſit tibi cauſſa rei.
Reſpecta mediis pietas ſuccurrat in armis
    Virgine, cui martis res peragenda manu eſt.
Pharmaca ſi miſces, hac tantùm pharmaca miſce,
    Hac adhibe medicas mente, animoque manus.
Flore ſeris vario fœcundos ruſticus hortos?
    Hos tibi, dic, flores candida Virgo ſero.
Populeam riguum plantam ſi ponis ad amnem,
    Si ſalicem gelidas, villice, propter aquas,
Utraque, dic, mater grato tibi ſerviet uſu,
    Fiet ubi exemptis fiſtula corticibus.
Fiſtula juſſa tuas ad ſilvas dicere laudes,
    Et tua per totum nomina ferre nemus.
Imprimis quibus eſt facundæ gratia vocis,
    Et felix dulci copia fonte fluit;
Ingenii vires impendat, & ora reſolvat
    Eloquio dominæ conveniente ſuæ.
Et cum plurima dicat, adhuc ſupereſſe queratur
    Plurima, quæ linguam, defficerentque diem.
Quin deſiderio, quod non datur ore referre,
    Suppleat, & partes vota loquentis agant.
Vos quoque gens ſummo, vates, gratiſſima cœlo
    Parthenidem veſtris concelebrate modis.
Nec vobis ullo ſit carmine ſcripta papyrus
    Quin ſit de veſtra ſcripta decenter hera.
Ampla manet merces veſtros, pretiumque labores:
    Matris erit merces virginis ampla favor.
Olim palladia fuerat cultiſſimus arte,
    Arte puer cultus, ſed pietate magis.
Hic ſervire ſuo muſas faciebat amori:
    Hujus amor ſuperi caſtaque mater erant.
Et ſi qua heroo condebat digna cothurno,

Illi

Illi erat herois dicta Maria modis,
Seu blandis elegis ludebat, & impare verſu,
Illius eſt elegis innuba dicta parens.
Præterea reliquos ſcriptis & voce colebat
Cœlicolas, magnus quotquot olympus habet.
Ecce autem juveni primævo in flore juventæ
Injicit audaces mors inopina manus.
Ille tamen media ſuperos vel morte canebat,
Albus ut in medio funere cantat olor.
Cùm regnis divina parens delapſa ſupernis,
Et cum divina ſacra parente cohors,
Aſtitit, atque hilari vultu ſolata clientem eſt,
Mox ſecum ætheria vexit in aſtra via.
Jeſſæus vates aderat, citharæque canoræ
Pulſabat docta garrula fila manu.
Mulcebatque polos reſoni dulcedine cantus,
Quà felix liquidum turba ferebat iter.
Si mihi pars tanti contingeret ulla favoris,
Ultima cùm fati venerit hora mei,
Doctrinæ pretium quàm dulce magiſter haberem!
Nulla mihi prior hac gloria laude foret.
Non tantùm ſuperæ laus, & decora alta parentis,
Cura tui calami, curaque mentis erunt:
Sed quoque laudandæ vertes in Virginis uſum
Diſſona propoſito ſcripta aliena tuo.
Parthenidem veterum facito monumenta loquantur,
Quamvis illa tuam nulla loquantur heram.
Phyllida cum Nemeſi, cum Lilla expunge Neræam:
Deleat idalios crebra litura jocos.
Proque jocis levibus, nymphiſque repone Mariam:
Addita ſint tali, plurima dempta modo.
Hoc erit è triſti legere attica mella veneno,
Hoc bona de mediis carpere nata malis.

Unde mihi, tu dic, ſit ſcripta Maria requiris, *Elegia propertiana ad argumẽtum ſacrũ traducta.*
Mollius unde meo carmen in ore ſonet?
Non hoc muſa mihi, non hoc mihi dictat Apollo:
Ingenium nobis ipſa Maria facit.
Namque decus formæ læta ſi mente revolvo,
Totus de formæ laude libellus erit.
Sive verecundi ſubeunt exempla pudoris,
Materies numeris eſt pudor apta meis.
Sive juvat reliquas animo percurrere dotes,
Miror, ut innumeris aucta ſit illa bonis.
Cunctaque dum facili conor comprendere verſu,
Invenio cauſſas mille, novoſque modos.
At cùm maternæ meditor præconia laudis,
Quæque illi eſt genito gloria parta Deo,
Tum verò longo producimus orſa labore,
Tum vero ingentem condimus hiſtoriam.
Denique quidquid habet, quod mens de Virgine fingat,
De ſupera magnum Virgine ſurgit opus.
Quod mihi ſi tantùm bona numina, Vrgo, dediſſent,
Ut poſſem heroo claudere verba pede;
Non tenui carmen meditarer arundine, molli
Non elegos cantu ludere cura foret.
Sed natum altiloquis celebrarem verſibus, & tu
Eſſes ſub nato cura ſecunda parens.
His ita ſuppoſitis, veterum diſſingere ſcripta,
Aut hac, aut ſimili tu ratione potes.
Forſitan eveniet cùm non ſermone diſertus,
Pieriæ nec tu laudis amator eris.
Siqua nequis, reliqui ut præſtent, ſis maximus author,
Promiſſis illos, conſilioque juva.
Facundos hortare viros, hortare poetas,
Ut celebrent dominam voce, canantque tuam.
Certè ego virgineæ vellem quod gloria matris

Iret

Iret ad eos, iret ad heſperios.
Nullaque pars terræ laudum non plena Mariæ,
Et pars immenſi non foret ulla maris.
Imprimis magni reges, proceresque ſenatus
Innocua populos qui ditione regunt;
Cives incendant monitis, atque inſuper addant
Implenda exemplo mollia juſſa ſuo.
Quis vetat hos ſuperæ cultum condicere matri,
Cùm ſol neſcio quos portat ab axe dies?
Quis negat è pariis delubra attollere ſaxis,
Divæ ubi perpetuus rite feratur honor?
Non hos formandam prohibet res arcta Mariam
Credere apelleæ, mentoreæque manu.
Et variare auro, gemmiſque ornare tabellas,
Quæ tantùm magna perficiuntur ope.
Virginis ad laudes hilari quin voce canendas
Invitent calamo qui meliore valent.
Vocibus invitent, & ditia præmia ponant,
Cui laudata magis, cui bene mater erit.
Hei mihi primores inter qui talia curet,
Si procerum explores limina, nullus adeſt.
Nec lætos addunt animos inſignia regum
Munera, nec muſis ullus habetur honos.
Sed plauſus alios populorum, & mobilis aura,
Et merces longo parta labore juvet.
Sat tibi ſit, quicumque canis, celebraſque parentem,
Si tua ſcripta parens, ſi tua dicta probet.
Teque inter caſtos numerent ventura poetas
Sæcula, nec pereat nomen in orbe tuum.
Ipſe ego cantata tantùm de Virgine ſacrum
Innocui vatis nomen habere velim.
Ut cùm poſteritas leget hoc ſtudioſa volumen,
Hic ſuperæ, dicat, matris amator erat.

Cùmque meis veniat qui conferat alter amores,
  Componatque meis caſibus ipſe ſuos;
Quis ſcit, an arte mea ſi quis bene diſcet amare,
  Fauſta meo cineri carminibuſque roget?
Et tumulo gratos ferali inducat honores
  Triſtia jactatis ante ſepulcra roſis?
Hęc mihi contingat: quodque opto, ſit alter, & alter
  Qui noſtro Mariam carmine doctus amet.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

PErgite compoſitis elegi deſcribere verbis,
Quot caſto varii ſunt in amore modi.
Nec vobis varias ſubeat prætexere cauſſas,
Quò minus incœptum perficiatis opus.
Ne tenues vatis vires prætendite, ne, quòd
Militia ſtudium verterit ille ſuum.
Hei mihi quod marti dedit ille invitus equeſtri
Nomina, nec durum ſponte ſubivit onus.
Omni ſit potior titulo cantanda Maria,
Materiem veſtris luſibus illa ferat.
Quod ſi quis veſtrùm ſtudio ſolerte requirat,
Addatque inventis ulteriora meis;
Quæque magis dominæ ſunt convenientia noſtræ
Docta per ſolitos efferat arte modos;
Illum ego quo potero cultu decorabo latino:
Cum latio ornatu mixtus achivus erit.
Et compta inſignem faciam procedere forma
Solis ad eoas, occiduaſque domos.
Illius & textis præcingam tempora ſertis:
Textis de viola, purpureaque roſa.
Et dono citharæ, donoque dabuntur eburna
Plectra, quibus varium temperet arte melos.
Sed quod ſollicitis magis eſt optabile votis,
Et quo nil ultra gratius eſſe poteſt,
Ille meæ dominæ mittetur nuntius, ille
Interpres noſtri lectus amoris erit.
Orabitque meam coram ipſa virgine cauſſam:
Hic illi eveniet me tribuente favor.
Eja agite, incœptum juvet inſtaurare laborem,

Et præcepta brevi claudere longa pede.
Plura licèt tulerim documenta, & plura ſuperſunt,
Quæ tamen haud opis eſt commemorare meæ.
Ordine quippe ſuo ſi ſingula dicere vellem,
Iliadi prope par conficeretur opus.
Idcirco reliquos jubeo te evoluere vates,
Qui dixere ſuo carmine, quid ſit amor.
Illorum nempe in ſcriptis, variiſque libellis
Invenies calamo fortè relicta meo.
Ipſe ſuos elegis tibi narret Deslius ignes,
Baldæus lyricis, bucoliciſque ſuos.
Rapinus ſacros calamo tibi cantet amores,
Herois Frizon præcipiatque modis.
Aurea præcipue ſed ſcripta legantur amantum,
Publica quos pietas, relligioque colit.
Illic innocuæ cœleſtia ſemina flammæ,
Plùraque comperies uſibus apta tuis.
Nec tantùm documenta leges, ut deinde capeſſas
(Quamvis lecta tibi perficienda velim)
Sed titulis etiam, lectoque parentis honore,
Ut paſcas animum, perlege ſcripta, tuum,
Lætitiæ tibi ſint præconia lecta Mariæ,
Audita ardores promoveantque tuos.
Laus accepta mihi nulla eſt de virgine, nulla
Eſt mihi de domina pagina viſa mea;
Quin ego feſtivo genialia gaudia corde
Concipiam, mediis comovearque fibris.
Et ſi quos video me verſu anteire poetas,
Parthenidem caſtis qui cecinere modis;
Invidiæ ſtimulis ego tunc inſontibus uror,
Et facio ingenio jurgia dura meo.
Carminaque andinas opto ſuperantia muſas,
Carmina mæoniis & meliora modis.

Quam-

Quamvis cùm melior faciat me cauſſa poetam,
Non opus eſt verſus arte polire meos.
Nec docta cantus opus eſt dulcedine, verùm
Nativi ut placeam ſimplicitate modi,
Ut de parthenio ſcriptum videatur amore,
Sponte ſua celeri carmen iiſſe pede.
Nam præcepta aliis qui mollia tradit amandi,
Ipſe ſua dictis demit ab arte fidem.
O utinam ductus laudatæ à virginis uſu
Sit mihi mos, aliis qui ſolet eſſe labor.
Verbaque muſarum dum legibus apta requiro
In numeros veniat ſponte Maria meos.
Hæc ego: vos pariter ſimul hæc optate, parentis
Cura quibus laus eſt, & marianus amor.
Parva nec edoceo quæ vos documenta, putetis:
Parva dedit flammis ſæpe favilla viam.
Sæpe facit rivos imber collectus in unum;
Attamen imbre levi quid minus eſſe poteſt?
Vidi ego de rivo ſua nomina flumen habere,
Undarum quamvis rivus egenus erat.
Adde quod hæc aliis, aliis ea forte placebunt,
Illa meum ingenium res decet, iſta tuum.
Qui calamo meliore valet, de Virgine ſcribet:
Illius laudes, qui valet ore, canet.
Dives amator erit? donaria ponet ad aras,
Qualia, cui rerum eſt copia multa, decet.
Res premet arcta domi? vultu mala longa ſereno
Suſtineat, dominæ devoveatque ſuæ.
Quæque odio reliquis ſunt duræ incommoda ſortis,
Jeſſeæ cauſſa virginis illa ferat.
Illi perpetuos agreſtis verna labores
Offerat, atque ſuis hinc bona ſperet agris.
Martis opus miles ſequeris, funeſtaque caſtra?

Auſpice

Auſpice belligerum matre ſequaris opus.
Auſpice virginea percurres æquora matre,
Virginea longas auſpice matre vias.
Quolibet à titulo, quovis in munere, & omni
Tempore patronam demereare tuam.
Quin etiam tibi nulla oculis ſint obvia, quæ non
Argumenta novi ſint in amore modi.
Omnibus è rebus pariter, rerumque figuris
Per varios diſces ſemper amare gradus.
Signatus toties tibi fons ſuccurrat, in agris
Fontanas quoties ire videbis aquas.
Concluſus ſubeat, ſimul hortum aſpexeris, hortus;
Et viſæ ſubeant de Jerichunte roſæ
Contigit ut curva ſit viſa in valle cupreſſus?
Viſa ſit umbroſis cedrus opaca comis?
Has pulchras arbuſta voca ſuper omnia plantas,
Non quod perpetuo frondis honore virent;
Sed quia partheniæ præconia laudis adumbrant,
Sed quia virginei ſigna decoris habent.
Nec te prætereat, quod ſignet oliva Mariam,
Quando oculis arbos obvia pacis erit.
Si qua ſuas platanus prope fontem porrigat umbras.
Laudandæ titulos virginis illa notet.
Spectabis rutila cœlum ſpargentia luce
Sydera, mutatas ire redire vias?
Stella maris, dices, & matutina vocatur
Illa, cui vitæ tempora duco meæ.
Te memorem faciat divinæ luna parentis,
Cùm luna in tacitis ſuſpicietur equis.
In mentem tibi ſol marianum inducat honorem:
Virgo fuit nam ſol, dictaque luna fuit.
Vere novo flores emittit virga recentes
Arboris in ſummis nata cacuminibus,

Et

Et gratis teneras demulcet odoribus auras,
    Spemque facit fructum tempore ferre ſuo?
In mentem veniat tibi tunc jeſſæja virga,
    Cui non ulla pari fertilitate ſubit.
Pene tibi numero poſſem caritura referre,
    Ni foret admiſſis currere tempus equis.
Aſpicies verno ſurgentes tempore flores,
    Quos ſcripſit variis fabula græca jocis;
Luſibus expunctis, quos finxit Græcia mendax.
    Succedat titulis ſcripta Maria ſuis.
Singula Parthenidis ſtudioque, animoque colendæ
    Cernere luminibus, fingere mente potes.
Ante tamen, quàm vela legam hoc te audire jubebo
    (Quamquam vix qui fors hoc imitentur, erunt)
Ut verum elicias ſummæ virtutis amorem,
    Unde ſolet reliquis cauſſa venire mali.
Occurrent pretioſa tibi, tibi pulchra videnda;
    Horum aliquos fallax fortè tenebit amor.
Hæc quia pulchra, tibi ſint viſa referre patronam,
    Et quia præ reliquis ſunt pretioſa, tuam.
Forte aliquis vultus capitur præſtantis honore,
    Seminaque ardoris concipit alta ſui.
Quolibet è viſo capies exempla decore,
    Quæ facer ipſe tuis uſibus aptet amor.
Si tanti, dices, hæc forma decoris abundat,
    Integra quo vultu debuit eſſe parens,
Quæ magnum ſummis numen deduxit ab aſtris,
    Corporis innumeris freta, animique bonis?
Hæc ubi præſtiteris, tum rite merebere dici
    Omnibus à titulis ingenioſus amans.
Tunc nec conſilii, nec præceptoris egebis;
    Ipſe tibi hortator, ipſe magiſter eris.
Tum reliquas toto mittes de pectore curas,

Im-

Immemor ipſe tui, parthenidiſque memor.
Longaque flebilibus committens vota querelis
Heu ſpatia exilii longa querere tui.
Quid? quod nocturnus te ſomnus amare vetabit,
Ipſe tibi ſomnus cauſſa doloris erit.
Et quidquid dederis genio, placidæque quieti.
Lugebis pretii tempus inane ſui.
Quod poteris, cupies de Virgine ſomnia mitti;
Quod cupies, votis evenietque tuis.
Nam modò ſpectabis caſtam per viſa parentem
Vibrantem toto è corpore dulce jubar,
Et roſeam nitido redimitam ſydere frontem,
Seu potius niveis, purpureiſque roſis,
Et modò ferre preces, & blanda videbere vota,
Qualia per longos mos tibi ferre dies.
Nec tantum in ſomnis, vigili ſed mente revolves
Parthenidis vultus, parthenidiſque decus.
Pluraque concipies feſtiva gaudia mente
Effingens animis ora decora tuis.
Sæpe mihi exemplum formæ propono pudicæ,
Quale reor dominam poſſe decere meam.
Sic nitor in vultu eſt, ſic fulgida lumina ſplendent,
Hæc ornat roſeas gratia, dico, genas.
Et non aſpectæ delector imagine formæ,
Ceu foret ante oculos candida imago meos.
Quod mihi ſi longùm duraret amabilis error,
Qui me jucundis paſcit imaginibus,
Non ego ſollicitis ultra perquirere votis,
Aut cupido vellem fingere plura mihi.
Ampla foret nobis, dum ſtaret vita, voluptas
Ante oculos dominam ſemper habere meam.
Forſitan eveniet, tibi cùm fiducia ſurget
Patronam utiliter poſſe rogare tuam.

Eſt

Eſt qui fallaces aulæ ſuſpirat honores,
    Qui famam à ſcriptis optat habere ſuis.
Hìc petit infeſtos à ſe depellere morbos,
    Jugerave exculti multa tenere ſoli.
Non ego diffiteor, quin tu quandoque Mariam,
    Quæ leve vulgus amat, multa rogare queas.
Nam faciles dabit illa aditus ad limina regum,
    Scripta dabit ſera poſteritate legi.
Languenti triſtes avertet corpore morbos,
    Prædiaque immenſi proferet ampla ſoli.
Sed majora tibi ſunt caſta à matre petenda,
    Quæ tibi, quæ rebus ſunt potiora tuis.
Auxilio ut veniat, cùm ſerior hora vocabit,
    Virgo ſit in timidas ſæpe vocata preces.
Ultima ſi caſu maleverterit hora ſiniſtro,
    Quid tibi vanus honos, divitiæque ferent?
Te ſummi juſta non judicis eximet ira
    Gloria ab innumeris parta voluminibus.
Nec favor infidæ tua crimina diluet aulæ:
    Admiſſi numen criminis ultor erit.
At patrona tuæ ſi venerit obvia cauſſæ
    Alma parens, tibi ſpes certa ſalutis erit.
Et quis patronam non ſperet adeſſe Mariam,
    Cujus erat, ſua dum vita manebat, amans?
Illa modis quot ſit ſolata in morte clientes,
    Dicenti mihi vox, deficeretque dies.
Cur aliquis tulit è ſtygio prædone triumphum,
    Cùm ſtygio fuerat juſtus ab hoſte timor?
Cur aliquis placido ſua lumina condere ſomno
    Æternùm condens lumina, viſus erat?
Scilicet infernum bona Virgo coercuit hoſtem,
    Dulciaque in media gaudia morte dedit.
Quin ſi quis deſertus, inops languebat in ipſo

Fu-

Funere, ſubſidio protinus illa fuit.
Fortè ſuper ſtrata paleis tellure jacebat
Ægra, ſuo conjux orba relicta viro.
Quodque magis fuerat triſti miſerabile morbo,
Nullus, qui ferret mite levamen, erat.
Omnia ſuſtulerat, quæ flagitat uſus, egeſtas;
Unica virgineæ ſpes ſuperabat opis.
Nec ſpe luſa ſua eſt: nam ſummo ex æthere lapſa
Parthenis auxilio venit, opemque tulit.
Et blandas voces, & conſolantia verba,
Triſtia quæ poterant corda levare, dedit.
Utque ægræ ſudor de corpore frigidus ibat,
Terſa eſt virginea frigida gutta manu.
Nec prius officio bona virgo deſtitit, ægræ
Quam foret exuto corpore tuta ſalus.
Blandius ulla ſuæ faceret quid nata parenti,
Quid faceret natæ blandius ulla parens?
Nec ſatis hoc; liquidas ubi vita receſſit in auras,
Deſinit humanæ fœdus amicitiæ.
Virgineus poſt ipſa favor te fata ſequetur,
Immemorem nec ſe tum ſinet eſſe tui.
Nam ſi luſtrali te flamma piabit in igne,
Numinis & partes illa furentis aget;
Diva tibi placidis ardores leniet auris,
Contrahet & pœnæ tempora longa tuæ.
Quot verò ſupera maneant in ſede receptum
Gaudia, quanta tui præmia amoris erunt:
Non mihi carminibus mens eſt comprendere, namque eſt
Humanis impar viribus illud opus.
Quam tu nunc votis numquam ceſſantibus ambis,
Quam geris in tacito nocte dieque ſinu:
Illam oculis, illam certo ſine fine videbis,
Viſaque letitiæ ſemina ſemper alet.

Tunc

Tunc te non curis timor exercebit amaris
    Ne tuus incœpto fortè deerret amor.
Neve parum ſtabilem Virgo averſetur amorem,
    Neve tuas ſurda reſpuat avre preces.
Tempora ſepoſitis duces placidiſſima curis,
    Gaudia ſepoſito percipieſque metu.
Jamque opus exegi, quod ſi probet innuba mater,
    Nil prece, nil votis amplius opto meis.
Nec me vana movent præconia: ſat mihi laudis.
    Si dicar ſacri ſcriptor amoris, erit.

ECLOGÆ.

Editio Quarta.

REVE-

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

TYRSO GONZALEZ

SOC. JESU PRÆPOSITO GENERALI.

Agricolis ea officiorum viciſſitudo cum plantis intercedit, Reverendiſſime Pater, ut illi ſuis quidem laboribus, ac ſtudiis plantarum incrementa provehant, & ubi adultior ætas acceſſerit, ad fœcunditatem laceſſant, illæ verò impenſo ſtudio facilè obſequentes opulenta colonis reſpondeant ubertate: verùm irritus cùm labor agricolas, tùm plantas conatus fruſtraretur, ni quidquid molitur ſolertia, aut meditatur natura, perficeretur à ſole. Uſque adeò illud orbis vitale jubar inferiora omnia recreat, atque alit, ut quanta flores venuſtas, & quantacumque fructus commendat jucunditas, ab inexauſto lucis fonte corrivetur, illique debeatur. Nos abſimili haud planè ratione adoleſcentiæ noſtræ primitias tibi offerimus, ſed informes adeò, ac mendoſas, ut injuria potiùs, quam adeptæ fertilitatis laude cultores viderentur afficere, niſi à Te plurimum decoris, & maturitatis eſſent aſſecuturæ. Sanè pudet me Patres Societ. Jeſu ſolertiſſimos juventutis meæ inſtitutores, tàm exiguo proventu, ac propè nullo eluſiſſe: at acceſſionem gloriæ hoc faciet, illiſque dandum erit laudi, quod contumacis pervicerint arbuſculæ ſterilitatem, atque in hos qualeſcumque fœtus erudierint. Haud me latet cumplures non defuturos, qui hæc tenuia non dicam munera, ſed obſtricti animi monumenta infrà Te, ac tuam dignitatem prorſus poſita eſſe arbitrentur: ve-

rùm cuinam potiori titulo poëſim latiali cultu elaboratam, quàm inclytæ Jeſu Societ., &, quod caput eſt, Tibi, qui tanti, atque adeò ubique terrarum præclariſſimi Ordinis ſummum ſumma cum laude diù tenes regimen, dicatam vellem? Nemo, ſi à tuis diſceſſero, aut ferè nemo impenſius nativum Latii ſermonem colit, atque amplificat; quo planè nomine univerſus orbis à barbarie vindicatus vobis plurimùm debet; imprimis autem Italia, ubi vernacula adeò dialectus invaluit, ut niſi veſtra obſtitiſſet ſedulitas, latinum idioma, aut indecorè obſoleviſſet, aut propè in ſitu jaceret. Reliqui carminum ſcriptores non tàm me voluminis mole, quam dictionis elegantia longo poſt ſe relinquent intervallo: tametſi hoc uno eos mihi deceſſiſſe gloriabor, quod nec patronum aliundè ſuis operibus adſcitum, aut humaniorem optaverint, aut illuſtriorem promeruerint. Et ab ipſo quidem argumento ea mihi imponebatur neceſſitas, ut caſti luſus Viro integerrimo, ſacri Religioſiſſimo, ſuoptè titulo commendabiles heroi virtutum omnium genere ornatiſſimo, nuncuparentur. Quod ſi juſto fidentiùs tantum mihi adſciſcam Mecœnatem, id tuæ potiſſimùm benignitati, R. P., tribuendum eſt, quæ faciliorem ad Te mihi aditum fecit. Vale, & totius orbis chriſtiani, & clariſſimæ Jeſu Societatis, cui præes, bono vive.

Addictiſs. Humillimus, & Obſequentiſs. Servus
Thomas Ravaſinus.

ECLO-

ECLOGA I.

Parthenici Clientis felicitas.

INTERLOCUTORES

Meliſeus Vinitor, Syncerus Olitor.

MIrabar Syncere tuo dum nuper in horto
Manè vagor, parteſq; oculos dimitto per omnes,
Occurrant veris ſi fortè exempla futuri,
Undè novus difflaret odor, redolenſque tepentis
Spiritus halaret Zephyri; quæ florea, dixi,
Inſinvata meis blanditur naribus aura?
Ecce repercuſſo patefacta roſaria ſole
Ante diem proprios formæ excellentis honores
Extulerant, & (quod miror magis) apta creandis
Temperies aderat nondum mitiſſima rebus.
S. O Meliſee, Parens nobis hæc tempora fecit
Parthenis, hos poſtquam ſuperæ ſacravimus hortos
Parthenidi, rigidi mos invariabilis anni
Vertitur, invitaſque hyemes clementior æther
Prævenit; illa meis avertit floribus iras
Ventorum, illa meis indulget floribus omnes
Veris divitias, cœli, terræque ſavorem.
M. Scilicet illud erat, dominam quòd nuper in urbem
Venales primo flores ſub manè ferebas;
Pallentes violas, pictos lugubre hyacinthos,
Purpureaſque roſas: hinc eſt quòd divite cunctos
Proventu ſuperas, quot habet vicinia campos:

Hinc te nulla fames, aut nulla exercet egeſtas,
Quæque ſolet reliquos mala ſors vexare colonos.
Noſtra (fatebor enim) vix nobis rura per annum
Sufficiunt alimenta; mihi porrecta per ingens
Excurrunt ſpatium vineta; incommoda fœtus
Pampineos ſed quanta manent! nebulis modò primi
Depereunt flores, modò ſpem mentita retortos,
Uva in capreolos tranſit, ſæpe humida cœli
Temperies, improtectis ſæpe officit uvis
Æſtivus vapor, aut iſtas ſi evadere clades
Contigerit, quandoque ruens rupto æthere grando
Corripit à ſero quidquid ſperavimus anno.
S. Ante ingrata meo viridaria ſæpe labori
Optatis fuerant malè reſpondere; novelli
Prodierant flores? flores riguere: recentes
Prodierant gemmæ, variaque ex arbore frondes?
A glacie frondes, ſunt gemmæ à frigore læſæ;
Omnia deluſis ibant contraria votis:
At ſimul ac ſtellis morem, ventiſque protervis
Impoſuit Virgo, contractum ſupputat annus
Menſibus hybernis ſpatium, veſtitaque vernis
Ridet hyems violis, nec ſe cognoſcit in illis.
M. Haud equidem invideo, potius cœleſtia miror
Hæc horti portenta tui; tibi ſed favor undè
Tam facilis divùm, & ſuperæ indulgentia matris
Tam ſtudioſa tuis ultro ſuccurrere rebus?
S. Imprimis quaſcumque novi clementia veris
Protulit, inſtructis Divæ ſuſpendimus aris
Primitias, quas conſuetas prævertere lunas
Aſſiduo cultu, atque impreſſis urgeo raſtris.
Nullus abit menſis, quin ullo munere pactum
Affirmem obſequium; quantumvis parva, tamen ſunt
Munera grata illi: primo cum nuper eoo
Quinque

Quinque roſas læto depictas murice, puro
Quinque alias candore, aliaſque colore rubentes
Sanguineo, caſtæ ferrem Genitricis ad aras;
Illam ultro noſtris, vultu arridere ſereno
Muneribus vidi, vel me vidiſſe putavi.
Eſto quòd eludens oculos deceperit error,
Ex illo tamen, inſolito mihi pectus amore
Carpitur, & flammis cor a cœleſtibus uror.
M. Fortunate puer, pretium cui tale laborum,
Nec minor optatis ſors contigit; ò ego tantùm
Si Virgo ſperare tuo de munere poſſem,
Nulla prior nobis foret iſto cura labore.
S. Ne metuas, tua quin vultu dignetur amico
Parthenis officia, ingenuus modò candor, & inſons
Officiis accedat amor; non illa coloni
Pauperis obſequium, aut inopis munuſcula vernæ
Deſpicit: aſſiduo quoque tu cognoſcere cultu
Ne dubites, & virgineam precibus Genitricem
Conciliare tuis, pro talibus illa rependet
Plus ſolito faciles lunas, ſine nube ſerenos
Autumnos, ditemque novis proventibus annum.
M. Una mihi reliquas inter lectiſſima vites
Eſt Apiana, minùs Domini quæ fallere ſvevit
Vota ſui; Octobrem cum ſerior advehet annus
Hanc ſimul, atque hujus teneram ſacrabimus uvam
Virgineæ matri, pignuſque ſit iſta deinceps,
Ut nos ſemper amet, nam ſemper amabitur illa.
Ite procul reliquæ quot habent vicina puellæ
Rura, Nape, Phyllis, Galatæa, Nigella, Lycoris;
Nulla meos poſthac ex vobis ſperet amores,
Sola meos Virgo ſibi nam modò poſcit amores.
S. Quàm tibi luce dies fuit hæc felicior omni,
Qua primùm caſto Divam cognoſcis amore:

Non favère tuis magis unquam numina rebus;
M. Non ſi me bifero vitis fœcunda bearet
Palmite, tanta meum pertentent gaudia pectus,
Quanta mihi manat cœleſti ab amore voluptas.
Talibus agricolæ prono jam ſole cadentem
Detinuere diem, quin plura iterare parabant:
Cùm tandem extremo rubicundus Veſper olympo
Fulſit, & optatam nox abſtulit invida lucem.
Illi converſo parva ad magalia greſſu
Per calles iter, & compendia nota ferebant.

ECLOGA II.

Parthenii erga B. Virginem amoris certamen.

Lyſias Olitor, Alcon Vinitor.

VItreus herboſos quà præterlabitur agros
(1) Cingulus, & media (2) Theliorē interluit unda,
Conſtiterant olitor Lyſias, & vinitor Alcon;
Florentes annis ambo juvenilibus, ambo
Experti dulces jeſſææ Virginis ignes.
Cum Lyſias; ut me ſuperæ ſacer ardor adurit
Parthenidis! mihi quàm cor æſtuat! excipit Alcon.
Ille iterum: vix flamma locum, quò creſcere poſſit
Hæc habet: & noſtro vix eſt in corde relictum
Alter ait, tanto, quò progrediatur, amori.
Talia dum crebro jactant ſermone viciſſim,
Et voces iterant varias, ſuſpiria miſcent
Vocibus, alternique pari certamine cantus
Vir-

[1] *Apennini torrens.* [2] *Villa ad Apenninum ſita.*

Virgineam geminata vocant in vota Parentem:
Hæc Alcon; his eſt Lyſias Alcona ſecutus.
A. Dulce mihi illæſas nebulis, gelidaque pruina
Adſpectare ſuas lentis in vitibus uvas:
Dulce ſed à flammis magis eſt cœleſtibus uri.
L. Me, fateor, variis oblectat floribus hortus,
Quique odor aprico veniens aſpirat ab horto;
Plus tamen oblectat ſuperæ me Virginis ardor.
A. Qui volet inſomnes animo dimittere curas,
Lætaque tranquillæ producere tempora vitæ,
Ille amet, ille tuum, Virgo, experiatur amorem.
L. Qui volet aſſiduis ingratos condere ſoles
Ærumnis, mœſtiſque animum tabeſcere curis,
Non amet ille, tuos nec, Virgo, curet amores.
A. Non ita ſuſpirant gelidos viridaria rivos,
Cùm parcus tacita ſe ros ſuſpendit in herba,
Ut mea te longis ſuſpirant pectora votis.
L. Non ita poſt madidos imbres, auſtroſque tepentes
Vinea purpureis recreari ſolibus optat,
Ut deſideriis expoſceris unica noſtris.
A. Carior una mihi, mihi gratior omnibus una es,
Nam te nobilior, nec te præſtantior ulla
Viſa, nec ulla tuæ viſa eſt accedere formæ.
L. Communes in te ſola es quæ vertis amores,
Nam nil dignius eſt, nec amari dulcius uſquam
Orbe patet toto, cœloque quod imminet orbi.
A. Quidquid habet pulchri, quidquid natura decoris
Uni prima tuæ cedit præconia laudi.
L. Nec quæ verſicolor nubes diſcriminat Iris,
Nec cùm manè rubet tibi par aurora videtur.
A. Qui te Diva Parens nocturnis comparat aſtris,
Fallitur, es nitidis nam tu ſpecioſior aſtris.
L. Qui tibi naſcentis componit lumina ſolis,

Errat, enim eſt roſeo major tua gratia ſole.
A. Ferreus ergo foret, qui te cùm poſſet amare
Nollet, & ipſe ſuos aliò converteret ignes.
L. Stultus & ille magis, qui à te cùm poſſet amari
Maluerit verſis aliò deflectere votis.
A. Felix qui primis tibi ſe devovit ab annis
Impendens famulam longæva in tempora vitam.
L. Infelix nocuos qui ver ætatis in uſus
Tranſtulit, atque tuos cognoſcere noluit ignes.
A. Quid te blanda Parens ſit amare, expertus amorem
Antè tuum niſi ſit, nemo eſt qui dicere poſſit.
L. Quid verò ſit amari, & te quoque rurſus amare,
Expertus vel ſit, nemo eſt qui dicere poſſit.
A. O utinam tantus me ſenſim abſumeret ardor,
Dulcè foret tali paulatim ardore perire.
L. Aut vivam, aut moriar (ſic tu mea vota ſecundes)
Te ſine Diva mori, ſine te nec vivere detur.
A. Spiritus hæc dum membra reget, nil præter amare
Succurrat noſtris, queat aut contingere votis.
L. Aut mihi non ullæ rapiant præcordia flammæ,
Aut mihi ſola tuis urantur pectora flammis.
A. Cùm mihi non reliquis fuerit prælata puellis
Tunc gravibus nebulis, & iniqua grandinis ira
Vapulet autumnus, commiſſaque ſemina terræ
Non reſponſuri culpent mendacia ſulci.
L. Immemori tunc te deponam Partheni mente,
Cùm flores autumnus, hyems cùm torrida ſpicas,
Ver dulces uvas, mites feret æſtus olivas.
His, & mille aliis implentes aera dictis
Agricolæ caſtos lamentabantur amores:
Audiit, & fundo vitreum caput extulit imo
Volvere pænè ſuas oblitus Cingulus undas.

ECLO-

ECLOGA III.

Virginis patrocinium implorant.

Menalcas, Demætas vinitores.

M. ILla ruens gelidi nuper de vertice Spurni [1]
Grando fuit noſtris innoxia vitibus: almæ
Gratia Parthenidi, cujus tutela favorque
Siquid triſte parat, ſiquid malè cogitat æther
In melius vertit, vel ab his eliminat oris.
D. Nil magis illius quàm nos cuſtodia præſens
Soſpitat, ærumnis nos hæc communibus una
Vindicat: è patriis veniens modò villicus agris
Narravit Lycabas, ſua quamvis proxima noſtris,
Sic vineta ferox quod aduſſerit aeris ira,
Ut ſibi nil, præter lacrymas, mœſtoſque dolores,
Et vanum deſiderium, curaſque ſuperſit.
Addidit impacta decuſſas grandine vites
Subjectos propria campos ſtraviſſe ruina,
Qualis prima ſolet ſub acutæ tempora brumæ
Squallida deciduis ſubſterni frondibus arbor.
M. Haud equidem miror, ſuperùm contemptor & æqui
Eſt Lycabas: non ut reliqui ſuevere coloni
Votivis cumulat donis altaria: tantùm
Cœlicolas curat, quantùm vineta pruinæ,
Aut quantùm rigidas cautes alpina pruinas.
D. Scilicet hæc illi pro talibus æqua rependit
Numinis ira: ſuis ultores flectere poſſet
Officiis, facileſque ſibi promittere divos:
Ipſe ſed inverſam ſtudia in contraria mentem
Divi-

1 *Apennini mons.*

Dividit, & nocuos aliò traducit ad uſus,
M. Adde quod inſidos vafræ profitetur amores
Phyllidis, illam omni facilem ſibi reddere cura,
Illam omni ſtudio, cultuque laborat, & arte
Conciliare ſibi: quis te malus error adegit
Infelix Lycaba? proh quàm fælicior eſſes,
Si quæ ſilveſtrem fruſtra conſumis amando
Phyllida, Parthenidi ſacrares tempora, qua non
Dignior ulla coli, nec amari dignior ulla.
D. Quas velit ipſe ſuas (curam hanc dimitte) puellas.
Depereat Lycabas; nobis ſuperam Genitricem
(Quando operas lux excuſat modò feſta diurnas)
Cura ſit interea ſubmiſſa in vota vocare,
Aſſiduaſque preces, ut quæ ſperavimus apto
Impleat eventu, ſemperque facillima, vena
Continuet cœleſtem indeficiente favorem.
M. Æquum eſt Demæta tibi me parere; feramus
Suppliciter junctis, & vota, & carmina palmis;
Carmina, Diva quibus mage ſe cognoſcat amari,
Vota quibus tantos Divæ mereamur amores.
D. Primus ego incipiam, tu deinde ſequere Menalca.
M. Incipe, & alterno reſpiret fiſtula cantu.
D. Alma Parens uno quæ quamvis maxima Nato,
Es minor, æterno prope par ſortita Tonanti
Imperium, ſi rite tuis abſolvimus aris
Vota ſuam jam nacta fidem, noſtrique vovemus
Ruris primitias, placido nos aſpice, quali
Nubes aſpectu, tempeſtateſque ſerenas,
Bellaque componis ventorum, atque aera placas.
M. O quæ communes mundi famulantis honores,
Quæ cœli totos in te convertis amores,
Si quidquam de te facilis ſuccurrere Virgo
Nos ſperare jubes, nec ſpes deludis inanes,

Siquis

Siquis honos noſtris, vel ſiqua eſt gratia donis,
Accipe ſilveſtri deductum carmen avena.
D. Te promiſſa ſalus hominum, columenque precamur,
Invideat lentis ne viribus horrida longæ
Vis brumæ, ne diſcedens infeſta relinquat
Signa gelu, primove rigens ſub vere pruina
Detineat reſides inopino frigore gemmas.
Vinea floruerit? ſit flos immunis iniqua,
Auſpice te, nebula: teneri de flore racemi
Prodierint exempla? novis aprica racemis
Temperies faveat, nec ramos turbidus eurus
Deturbet teneros, & nondum obſtare paratos.
M. Ipſa potes cœlum Zephyris aperire ſerenis,
Ipſa potes cohibere uno, atque emittere nutu
Cœruleos imbres, nocuos arcere vapores,
Et calidas lenire dies: ſi parva minore
Quàm decet obſequio tibi munera vovimus; aras
Ante tuas ſi primitiis quandoque dicatis
Acceſſit mala mens, ſceleris nec pura voluntas,
Da veniam noſtris ultro mitiſſima culpis.
D. Officium tibi ſit superùm Regina, tuoque
Sit Nato nobis per te indulgere parato,
Siqua manent veteris delere piacula noxæ;
E nobis duras ne ſumat deplua pœnas
Grando, nec offenſi partes ulturus olympi
Eludat ſterilis promiſſum pampinus annum.
M. Quòd niſi tu noſtros fortunes Virgo labores,
Fruſtra pampineis vites deponimus agris,
Fruſtra depoſitas cultu exercere frequenti
Nitimur, aut tenui raſtro, validoque bidente
Duratum renovare ſolum: ſine te ſua vota
Paſtores, miſeros ſua decepere colonos.
D. Non ultra nobis inſomnes pectora curæ

Solli-

Sollicitent, quæ frugiferi ſpem provehat anni
Cœli temperies, mœſto quid cogitet ortu
Sol, quid nocturnæ moneant diſpendia lunæ
Alternas ſortita vices, pro ſidere quovis
Diva erit; hæc toti leges imponet olympo.
M. Si volet illa, ſuos dediſcent aſpera mores
Tempora, ſi favet hæc, injuſſa meſſe virebit
Terra, comis arbor, nemus arbore, floribus hortus.
D. Quin etiam Zephyro, modò juſſerit illa, tepenti
Spiritus alter erit, ruri decor alter, apricis
Altera vinetis facies, non uva ſaporem,
Mitia non ſuccos ſervabunt poma priores.
M. Sed prius occiduis ſolem deponet in umbris
Sidereus veſper, tenui quàm ſingula voce
Commemorem; non tot mora perficit annua fœtus,
Prodiga quot nobis diffundet munera Virgo.
D. Parthenidis ſiquis vellet percurrere dona,
Arboreis idem numerum ſubducere tentet
Frondibus, aut variis quas ventilat eurus ariſtis,
Cùm diſcluſa novo ſe tollunt hordea folle.
M. Quod ſupereſt, unum hoc ſupplex te Parthenis oro
Finibus his gentem pellas (quænam fuit illa
Gens fera, neſcioquo nuper quæ venit ab Iſtro,
Hyberniſque plagis) mala parturit omnia nobis.
Quæcumque illa eſt, & pariet quoque plura deinceps
Non ignara mali ni tu ſuccurrere Mater
Approperes: hinc nos miſeros, rerum omnium egenos
Dura tributa premunt, hinc æra injuſta jubemur,
Pro quibus è domina creber venit urbe ſatelles
Caſtigatque moras, modò rapto ab ovilibus agno,
Sæpe etiam abductis queis vertimus arua juvencis:
Adſis, & duris mitiſſima conſule rebus.
D. Ipſa vides quàm nos variis ſors improba verſet
Caſi-

Caſibus, & quales extrema per omnia clades
Afficiant: repetita hyberni incommoda vexant
Militis, ipſe etiam mutatis moribus æther
Aſperior noſtris ſe denegat uſibus, ipſa
Anni ſpem tellus mentiri aſſuevit, & omnes
Fruſtratur fœtu non reſpondente labores:
Alma fave, & deſideriis ne deſice noſtris.
Finierant: tremulum viſa eſt agitaſſe cacumen,
Sub qua conſtiterant paſtores innuba fagus;
Fagus, quæ ſuperæ nuper devota Parenti
Amborum inſcriptos trunco ſervabat amores,

ECLOGA IV.

Deipara in Cedri flore Virgo, in ejuſdem fructu Mater adumbratur.

Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano. *Eccl. cap.24*
Flores mei fructus honoris, & honeſtatis. *Ibidem.*

Alcimus, Jonathas.

Fortè ſub occulta Libani convalle ſedebant
(Quandoquidem arboreas Phœbus contraxerat umbras)
Alcimus, & Jonathas; patrii ditiſſimus ille
Ruris, & iſte gregis; ſilveſtribus aptus uterque
Verſibus: hic preſſo calamum percurrere labro
Doctus, & ille habiles animare in carmina buxos.
Ergo per umbroſas dum captant frigora ſilvas,
Et calidas vitant dum ſol attollitur horas,
Ruſtica ad argutam modulantur carmina Cedrum;
Virgineam Cedrum, qua non formoſior ulla,
Æthereum florem, qua non fœcundior ulla

Di-

Divinum teneras fructum produxit in auras.
A. O nitidis formoſa comis, ſpecioſa pudico
Flore, ſed æterno fœtu ſpecioſior arbor,
Deſeſſis faveas paſtoribus, & tua ſemper
Umbra juvet pecudes, pecudum juvet umbra magiſtros.
J. Deſeſſis faveas paſtoribus, & tua ſemper
Umbra juvet pecudes, pecudum juvet umbra magiſtros,
Arbor, ab emotis quæ dulcia frigora ramis
Leniter indulges, tu nos reficiſque, foveſque,
Tu facis, ut ſilvas, ut amemus rura, tuaſque
Deſeſſum ſomno caput acclinemus ad umbras,
A. Tu facis, ut ſilvas, ut amemus rura, tuaſque
Deſeſſum ſomno caput acclinemus ad umbras.
Tu dulce es pecori æſtivo ſub ſole levamen,
Tu molles Zephyros vicino è colle reducis,
Ipſaque blandiris, cum ſis blandiſſima, nobis.
J. Tu molles Zephyros vicino è colle reducis.
Ipſaque blandiris, cum ſis blandiſſima, nobis.
Te ſine deterior, graviorque exæſtuat aer,
Tecum frigidior, leviorque ſubæſtuat aer:
Te ſine triſte mihi, quod in æſtu eſt dulce, videtur,
Tecum dulce mihi, quod in æſtu eſt triſte, videtur:
Tantùm alias ſuperas cedros pulcherrima, quantùm
Molle ſiler myrtus, myrtum peneja laurus,
Et laurum quercus, quercumque idæa cupreſſus,
Et quantùm ſuperat pinus fœcunda cupreſſum.
A. Autumni placidos arbor ficulnea menſes
Proventu ditat bifero, ſed nulla futuri
Demonſtrat fructus præmiſſo inſignia flore;
Tu flores uno quo fructus tempore geſtas,
Autumni te laus, laus te manet unica veris.
Vivite felices divino pignore flores.
J. Vere novo cùm ridet ager, cùm mitior annus
Ver-

Vernat, & innumeras tellus abit omnis in herbas.
Omnigeni erumpunt flores per rura, ſed illos
Nulla ſecuturi comendat gloria fructus:
Tu flores, fructuſque geris, nec te viget ulla
Floridior, nec te viret ulla feracior arbos.
Creſcite Virgineo fructus data præmia flori.
A. Quid nive candidius, preſſoque in vimine lacte eſt,
Concretaque euro glacie, teneraque pruina?
Attamen in tanto ſi ſpectes ſingula flore,
Flos nive candidior, preſſoque in vimine lacte eſt,
Concretaque euro glacie, teneraque pruina.
Vivite felices divino pignore flores.
J. Sunt quibus arrident nativo illuſa colore
Perſica, & hyblæas imitata cydonia ceras.
Si videas, quibus eſt arbos uberrima, fœtus,
Pendula nil proprio mirabere picta colore
Perſica, nec flavas imitata cydonia ceras.
Creſcite virgineo fructus data præmia flori.
A. Lilia virgineis lactentia junge liguſtris
Lacteoliſque roſis ſtellantia junge liguſtra;
Si flores videas, quibus eſt ſpectabilis illa,
Lilia cum niveis jurabis nigra liguſtris,
Pallenteſque roſas, maculiſque infecta liguſtra.
Vivite felices divino pignore flores.
J. Conſita fert uvas bene culto vitis in agro,
Punica ſpes implet fœcundo malus in horto.
Fertilis exculto cedit tibi vitis in agro,
Cedit & ipſa ſuis tibi punica malus in hortis.
Creſcite virgineo fructus data præmia flori.
A. Sic tibi nulla tuos nebulæ vis improba flores,
J. Nulla tuos lædat venti vis aſpera fœtus.
A. Sed quid ego hęc voveo: *J.* cur hęc verba inſuper addo?
A. Nulla tuos flores, quamvis, jurata nocere

Aura,

Avra, *J.* nec ulla tuos poterit vis lædere fœtus. (illa
A. Flore quidem pulchra es, *J.* fructu es fœcunda, *A.* ſed
Quæ laus nobilior. *J.* vel quæ tibi gloria major
A. An florere magis? *J.* magis an producere fœtus?
A. Magna erit intacto tibi laus pubeſcere flore,
J. Magna erit æthereos tibi laus emittere fœtus.
A. Si tamen à fructu ſunt ulla pericula flori
Dum ſerves florem, non ſis fœcunda, pudicum.
J. Non ſunt à fructu metuenda pericula flori;
Servabit florem quamvis fœcunda, pudicum.
A. Dum non Virgineos amittas veris honores
Maternæ cures nil fertilitatis amorem.
J. Non illa innocuos deponet veris amores,
Fœcundos quamvis autumni curet honores.
A. Florida ſis ergo, quamvis ſis fertilis arbor,
J. Sis ergo fœcunda, & ſemper florida cedrus.
A. Cedre decus nemorum, libanitidis unica ſilvæ
Gloria, idumæos inter celeberrima lucos,
Florida de violis ſtatuam tibi ſerta quotannis,
Sertaque de calthis, & pallidulis hyacinthis;
Submittenſque genu dicam, qui ruſtica vovit
Munera, cum donis animum quoque vovit & ipſum.
Vivite felices divino pignore flores.
J. Ipſe quoque umbroſa decerpam ex arbore poma,
Primitiaſque legam ruris, quas educat annus
Frugifer, & lectas quovis ſacrabimus anno.
Creſcite Virgineo fructus data præmia flori.

ECLO-

ECLOGA V.

Anemon Flos.

In Anemone flore hyberno, candidi & purpurei coloris
non niſi vento flante ſeſe aperiente
Jeſus puer hyberno tempore naſcens,
diviniq; Spiritus afflante aura conceptus adumbratur,
juxta illud. Cantic. cap. 2.

Ego flos campi

& cap. 5. *Dilectus meus Candidus, & rubicundus.*
Alluditur etiam ad illud, quod Anemon ab
ÅNEMΩΣ unde & nomen ac-
cepit, flos venti dicatur.
Ad A. R. P. Franciſcum Grandium è Societate Jeſu
olim in Rhetorica facultate præceptorem meum.

Mopſus, Lygdon, Mæris Olitores.

M. UT mihi poſt varios caſus, poſt publica ruris
Vota inter reliquos flos o pulcherrime flores
Expectate venis! ſed quæ tibi cauſſa ſerenos
Invidit ſoles, & aprici tempora veris,

Ut mala te rigidæ ſubeuntem incommoda brumæ
Aſpicerem? ah te ventoſi ne turbida cœli
Temperies, ah ne rapidum te frigus adurat.
O ſi qui placida genuit te ſpiritus aura
Læta mihi ſacris afflaret pectora flammis,
Quas non feſtiva laudes meditarer avena
In tua vicinas animans præconia rupes!
Sed cùm non auſim tantum ſperare favorem,
Et ſenio deſint vires in corpore, veſtra
Cura ſit alterna Lygdon, & Mæri camœna
Inclyta Jeſſæi natalia dicere floris;
Floris, tranquilli cui præſtant nomina venti.
Dixerat: Interea Lygdon, Mæriſque ſedentes
Innuba quà patulas lavrus diffuderat umbras,
Diſſimile agreſti variabant carmen avena.
L. Naſcere virginei flos inviolate pudoris,
Florida virginitas, concluſi filius horti,
Innocuus florum candor, pulcherrimus inter
Diverſos, Anemon, quot habet natura colores;
Naſcere: naſcenti conſuetos bruma rigores
Ponet, & ipſa tuos miteſcere diſcet in uſus.
M. Siſte, quid infidis audes te credere nimbis
O Anemon, roſei flos intemerate ruboris?
Purpura pratorum bicolor, prænuncia veris
Iris, & hyberni riſus vegetabilis anni.
Ne te naſcendi ſub iniquo ſydere fallax
Tangat amor, ſoles nondum adduxere ſerenos
Tranquillæ ventorum animæ: crudelis ubique
Sævit adhuc Boreas, rigiduſque iraſcitur aer.
L. Naſcere, quid patrio dubitas te fidere cœlo,
Vitaleſque havrire dies. tibi prodiga lætos
Terra ſinus aperit, famulari ſedula certat
Officiis natura ſuis, tibi blandior ultro

Servit

Servit hyems, poſitaque minas effœminat ira.
M. Siſte, quid inviſa properas erumpere terra
Unica Jeſſææ ſoboles, & gloria Virgæ?
Nec te triſte gelu, nec inofficioſa moratur
Aura hyemis, nocitura tuis natalibus aura?
L. Eja age rumpe moras, quid amantum crebra fatigas
Vota, quid optati differs genialia veris
Gaudia? te noſtræ ſuſpirant Floſcule valles,
Ipſi te colles, ipſa optavere vireta;
Te ſine nulla fuit deſerto gratia ruri,
Omnis erit tecum formoſo gratia ruri.
Rumpe moras; non hoc de te ſperare jubebant,
Prævia qui veteres cecinere oracula vates.
M. Ne juſto citius flos formoſiſſime naſci,
Ne properes: properata nocent natalia ſæpe
Floribus, hæc certè tibi nunc properata nocebunt.
Vidi ego ſurgentes alieno tempore flores
Vitalis dubias exire in luminis auras;
Mox rigida afflictos glacie, vitreaque pruina
Non potuiſſe brevis ſpatium durare diei.
Ne tanti quæras, non eſt tua tuta voluntas,
Ne tanti quæras, flos o pulcherrime naſci.
L. Nil eſt quod timeas: ſi te penetrabile frigus
Uret, te nimio defendam à frigore; ſi te
Aeris afficiet violentia, mitiòr aer
Arte mea fiet, ventoſque & frigora contra
Straminis injecto, paleæque tegeris amictu.
M. Ah flos, ah formoſe, nimis ne crede ſerenis
Solibus, incerto nimium ne crede favori
Aeris; ictu oculi citius mutatur in horas
Sæpe aer, verſoque facit mendacia vultu;
Tutius ad molles poteris florere tepores,
Maternæque latens imo ſub viſcere terræ

Securas tolerare moras, mitiſſima donec
Temperies verni conatus adjuvet anni:
Quàm vereor ne te affectum glacialibus euris
Invida mortalis rapiant diſcrimina ſortis.
L. Pone metus Anemon: tibi non metuenda ſuperſunt
Siqua manent gelidæ ſuſpecta pericula brumæ:
Hæc alii timeant flores, communis origo
Quos tulit, & vili tellus produxit abortu:
Semine naſcentem è ſupero te Dia fovebit
Roribus irriguis, placidiſque teporibus aura.
M. Felices Zephyri, quorum de munere tellus
Floret, & aprico recreantur rura ſereno,
Nimboſas lenite dies, ne triſtia cœli
Tædia, ne flori noceant mala frigora noſtro.
Fallor ego, anne meas Zephyri audivere querelas?
Aſtra favent, precibus ſubſcribunt mollia flecti
Numina: non ultra vobis ſpem ponite brumæ
Crudeles, rigidæque nives, canæque pruinæ.
Mop. Hactenus o ſocii tenues inflaſſe cicutas
Sit ſatis: excelſi jam ſolem abſcondere colles
Incipiunt, noſtriſque diem ſubducere pagis:
Nos quoque tempus erit feræ decedere nocti:
Cras iterum (feſtiva dies nam craſtina) blandis
Cantibus, & vario dicetis carmine florem.

ECLO-

ECLOGA VI.

Lygdon, Mæris, Mopſus.

Ad eundem.

LÆta quieturis invexerat otia pagis
Poſtera lux; feſtum pubes agreſtis agebat
Aſſiduiſque operis, duroque ſoluta labore
Ruſtica gens feſſis requiem condixerat agris.
Pacem campus habet, non ſtivæ innixus arator
Dividit everſas impreſſo vomere glebas,
Aut motam reſupinat humum; non falcifer inſtat
Vinitor, aut viduis connubia cogitat ulmis.
Quid vacuus curis feſtiva per otia Lygdon,
Quid ſolers faceret Mæris? nec vaſta licebat
Arva, nec incurvis curare ligonibus hortos.
Ergo ſuper molli verbis Anemone reſumptis
Præteriti repetunt ſtudia intermiſſa diei,
Heſternoſque iterant cantus; cum judice Mopſo
Omnis erat circum mixti vicinia ruris:
Hæc Lygdon, ſimul hæc repetebat in ordine Mæris.
L. Aſpicis ut tenerum intacta tellure cacumen
Exerat, & ſuperas Anemon ſe attollat in auras
Dein rima faciente viam diſcludat inertis
Emergens calatho violata repagula follis?
Talis ab eoo ſe promit lucifer ortu,
Talis nocturnis intermicat heſperus umbris.
M. Concha virens foliis ſupra tornata rotundis
Oſcitat, & patulo diducitur intus hiatu
Creſcendi ſpatium, libertatemque datura

Purpureo calyci, labroque virente tuetur
Veris opes: ſimili quis dives dote colorum
Flos ita laudari, magis aut mereatur amari?
L. Veſtra minor violæ, minor eſt tua forma hyacinthe,
Veſter honos minor eſt, qui ſuavi murice menſes
Pingitis æſtivos immortales Amaranthi:
Ipſa minus varios tulipa exeris aurea vultus,
Verſicolor verni tulipa aurea proteus anni.
M. Ipſa tibi primas formæ Clytie aurea partes,
Ipſa tibi primos, Anemon, concedit honores,
Florida caltha, ſui quondam Narciſſus amator,
Pratenſes caſiæ, nardi fragrantis ariſtæ,
Et quæ pro vario traxit cognomina vultu
Innumerabilium pubes pulcherrima florum.
L. Lactea virgineus commendat lilia candor,
Candidulum lacteſcit ebur, lacteſcit & illa,
Quænam eſt nocturnum via, quæ diſcriminat orbem?
Cum tamen aſpicio te floſcule, lilia ſordent,
Candidulum vileſcit ebur, vileſcit & illa,
Quænam eſt nocturno quæ ſemita lucet olympo?
M. Pace tua, roſa pæſtani pulcherrima veris
Filia, puniceo quamvis te purpura fuco
Veſtiat, & rari laudent exempla decoris,
Pace tua noſtro cedis me judice flori.
Nec fruſtra roſa cedis, habes quò cedere poſſis;
Namque meo flori rubor eſt divinitus, at te
Improba laſcivo violavit ſanguine Cypris.
L. Ne primas oculo ſperes à judice laudes
Stare loco impatiens convoluole, ne tua jactes
Ora levi riſu, dulcique natantia lacte;
Major ineſt noſtro candoris gratia flori:
Flori, cuius honos, & gratia creſcit in horas,
Ut ſolet eoo lux creſcere ſolis ab ortu.

M. Sy-

M. Syderei fruſtra ſol alter diceris horti
Caryophile, decus vernantis nobile ruris,
Nympharum communis amor, celeberrima veris
Gloria, & auricomæ regalis purpura floræ.
Has Anemon tantum nativo murice laudes
Exſuperat, quantùm roſei ſilveſtria flores
Gramina, plebeos quantum aurea lilia flores.

L. Aſpicis excitos, quos mollis Amygdalus edit
Adventu veris calyces exire, ruboris
Pulchra quibus dos eſt, ſed plus candoris abundat?
Vernantem ſpecies Anemonem pulchrior ornat.
Plaudite virgineo, mea plaudite carmina flori.

M. Vidiſti ſubito mutari poma colore
Autumno redeunte, una quæ candida parte,
Oppoſita quoque parte rubent? majore meus flos
Aſpectu, pulchraque magis ſe luce colorat.
Plaudite purpureo, mea plaudite carmina flori.

L. Dicebam, viridi ſiquando in ſepe liguſtra,
Cana liguſtra, vel albentes ſuper arbore flores
Contigit aſpicere, atque diu obſervare tuendo,
Dicebam, proh quale decus, proh quanta venuſtas!
At poſtquam noſtris Anemon inolevit in hortis,
Cætera mirari vernæ ſpectacula pompæ
Miſimus, & reliquum ruris laudare decorem.
Plaudite virgineo, mea plaudite carmina flori.

M. Vere novo, primoque anni ſub limine gemmas
Educit roſeas, olim ſua poma futuras
Perſicus, ignitoque rubet magis ebria fuco
Punica quæ prodit ſe per ſua fragmina Malus;
At ſimul ac noſtris Anemon ſeſe addidit hortis,
Non me forma movet tua Perſicus, aut tua Malus
Punica, nil pulchri, quo nos capiamur, habetis.
Plaudite purpureo, mea plaudite carmina flori,

L. Pura nitent lactis ſtipata coagula, lacte
Pura magis nix eſt, tepidi cui fervida veris
Temperies, Zephyro nondum redeunte, pepercit:
Fallor, an iſta tui flos eſt candoris imago?
Plaudite virgineo, mea plaudite carmina flori.
M. Incultas propter ſepes naſcentia fraga
Dulce rubent: livet nitidos imitata pyropos
Turgida quæ gravidis ſuſpenditur uva racemis;
Fallor, an iſta tui ſunt flos exempla ruboris?
Plaudite purpureo, mea plaudite carmina flori.
L. Creſce anemon: tua ſic divino imbuta tepore
Incrementa juvet tellus: tibi frigidus aer
Jucundos ſoles, tibi ſol penetrabile frigus
Temperet, & placidi ſemper concordia cœli
In tua perpetuo conſpiret commoda vere.
Parcite virgineo mea plaudere carmina flori.
M. Tempus erit cùm de noſtro donaria rure
Floribus inſtructas tibi ſuſpendemus ad aras,
Officiique memor paſtorum ruſtica pubes
Vota tibi ſolvet, meritoſque indicet honores.
Parcite purpureo mea plaudere carmina flori.
Mop. Mæri tuo, pariterque tuo nil carmine Lygdon
Dulcius eſſe poteſt; gratæ ſitientibus undæ,
Grata quies feſſis, mihi veſtræ cantus avenæ:
Quas ergo vobis laudes, quæ dona rependam?
Sunt mihi contexti diverſo ſtamine flores,
Arte laborati flores, quos nexuit olim
Mollibus inſertis vario de vellere filis
Silveſtres inter Crotale doctiſſima nymphas:
Intactos hos jamdudum ſervavimus, iſtos
Eſſe damus, qui ſint merito pro munere, veſtros.

ECLO-

ECLOGA VII.

Adoleſcentibus profano amore captis Virginis amor proponitur.

Daphnis, Melibæus.

D. Dicebam, tenera dum ſe monſtraret in uva
Spes anni, læto arridens ut vinea flore
Præmiſit fructus felicia ſigna futuri!
At nunc, ut video, me ſpes ignava feſellit,
Votaque deſtituunt vacui, ſterileſque racemi:
Aut aliquid cœlo malè nos aſpexit ab alto
Numen, vel rabidus livor, vel theſſala noſtras
Fœmina devovit cantato carmine vites.
M. Neſcis pampineos quæ vis tibi faſcinet agros
Inconſulte puer: tu fons, & cauſa doloris
Ipſe tui es; nihil eſt cur provida Numina culpes,
Fortunæque vices, ſagæque venefica verba.
D. Scilicet eventu quæ nobis dira ſiniſtro
Sors tulit, autumni quidquid ſpem corripit, in me
Vertis, & ingrato quidquid peccatur ab anno?
M. Hiſce meis, quæ forte putas mendacia, dictis
Hæc facient exempla fidem: jam florifer annus
Venerat, atque ſuos repetebat quiſque labores
Vinitor: infidæ tibi tunc Amaryllidis una
Cura fuit, quando reliqui vicinia ruris
Tondebat vineta, aut longè à matre petitam
Pampineam viduas ſobolem attollebat ad ulmos.
Inte-

Intèrea labor, & votorum ſumma tuorum
Hæc erat, alta ſequi ducentem armenta puellam
Per jūga, quàque moras ſuerat traducere longas
Ire, redire; nec in tenera tibi vite reciſa
Sunt ſarmenta, prius quàm verno è palmite gemma
Ruperit, & feros falcis damnaverit uſus.
Dic mihi, quæ levitas, vel quæ dementia major?
I nunc, atque tuas in Numina conjice clades.

D. Si tibi primævo vernaret flore juventa
O Melibæe, mihi non hæc verba aſpera, nec tu
Tanta ſuper noſtra faceres commenta puella;
Sed tibi dum frigent exanguia corda, nec iſtud
Dulce potes læti cognoſcere nomen amantis,
Turpe mihi ducis, tua quod non ſuſtinet ætas.

M. Dulce mihi annorum quoque ver effloruit, at non
Qualis es, ipſe fui; mitte hæc, & proſpice rebus
Conſilio meliore tuis: vindemia tota
Jam ferme exacta eſt, & adhuc in vite legendæ
Arbitrio reſtant ventorum, & grandinis uvæ?
Daphni cave tibi ne mora longior obſit: iniquum
Sæpe ſub autumnum, cùm jam nil tale veremur:
Hyberni venit ira Jovis, malus ingruit auſter,
Et nocuæ ſubeunt nebulæ: ſi fertilis anni
Spes intercipiat de tot modò cladibus una,
Quo ſtudio miſeræ poteris ſuccurrere ſorti?
Scire licet variæ quàm nos longo ordine vexent
Ærumnæ, poſtquam longinquo miles ab Iſtro
(Aut Iſtro, aut alio veniens è littore) noſtris
Finibus inſedit; longum eſt memorare, quot illa
Gens tulerit clades: hinc nos penuria rerum,
Hinc maleſuada fames, graviorque obſedit egeſtas;
Et quod triſte magis nunquam contingere poſſet,
Sæpe aliquis titulo cauſas ſibi quærit ab iſto

Æra

Æra extorquendi miſeris impune colonis.
Et tu Daphni potes tantorum oblite malorum
Ludere feſtivos imperturbatus amores?
D. Si mea dimiſſa ceſſarent damna puella
Nulla prior noſtris eſſet ſolertia curis:
Sed quando urbanis (queis nil crudelius) eſſet
Non ideo dominis minor inclementia, nec res
Parcius exacto melius procederet ære,
Quid mihi deſerta prodeſſe Amaryllide poſſem?
M. Certa meæ pariter foret hæc ſententia menti,
Si quo te ditat proventu frugifer annus,
Cuncta tibi proviſa forent, nec larga ſuperbæ
Munera deferres dominæ, patrimonia parva
Abſumptura mora: nec tu me vana locutum
Eſſe putes: patulis (ego poſt viburna latebam)
Auribus his hauſi, quæ tu modò crebra puellæ
Verba dabas: mihi cras urbs eſt adeunda ſub ortum;
Dicebas, Amarylli, novi quid ab urbe reportem?
Anne colum, qualem Phyllis, croceoſve cothurnos
Afferri tibi vis, quales formoſa Lyconis
Uxor habet? num pileolum, qui ſi malus aer
Ingruat, à pluvia, ſi ſol, defendat ab æſtu?
Plura feram quoque, ſi qua velis tibi plurima ferri.
Ah miſer, ah malecaute! levi nec fronde capellæ
Nec tymbra ſaturantur apes, nec rore cicadæ,
Nec queit ulla datis expleri fœmina donis.
Cum malè ſic fuerit tibi pars conſumpta peculi
Quid facies, repetet cùm juſſa tributa ſatelles?
D. Scilicet adverſis ſemper jactabimur? at non
Hoc placitum eſt ſuperis, ut nos æterna malorum
Affligat ſeries, forſan ſors aſpera verſis
In melius diſcet poſthac miteſcere fatis:
Interea blandas dilectæ Amarillidis inter

Illece-

Illecebras, gratos pergam traducere ſoles.
M. Quis furor incœpta per tot diſcrimina velle
Ire via? rabidos imbellis cerva leones,
Agna lupum, pavidæ miluum fugere columbæ,
Nec tu veſanæ fugies hoſtilia nymphæ
Blandimenta, tuæ tantùm nocitura juventæ?
Quære alias curas, Amaryllida deſere paſtor.
D. Suavius aſpicerem læſas à vindice fruges
Grandine, quàm lacrymas deſertæ Amarillidis: ingens,
Quid mihi proſit ager, quid felix copia rerum,
Si noſtri vidui ſine luſibus ibitis anni?
M. Cum tibi nulla prior, non altera præter amare
Cura ſuperſit, ama; ſed te novus ignis amantem,
Et melior totas accendat flamma medullas:
Quandoquidem primos malè ſic impendis amores,
Utilius poteris non ullo ardore peruri.
D. Seu roſeos vultus, rarive exempla decoris,
Singula ſeu mirer quibus eſt mirabilis illa,
Quæ magis ulla coli, magis aut mereatur amari?
Non huic ſe Nice, quamvis pulcherrima Nice,
Pace tua Corydon, non ſe componere poſſet
Pace tua Meliſæe, hyrſuti filia Mopſi;
Una habet, una meos Amaryllis habebit amores.
M. Tu modo ſydereæ noris decora inclyta formæ
Pulchra quibus ſpeciem Virgo ſupereminet omnem,
Non te, crede mihi, vanas ſpreviſſe pigebit
Illecebras, verſis quin in contraria votis,
Serò nimis dices fuit hæc mihi cognita, & illa
Tempus ad hoc fuerit cur non dilecta, quereris:
Verte alio tua vota, Amaryllida deſere Paſtor.
D. Ut volucris, quæ lentatos circumlita viſco
Impediente pedes, poſitas in vimine fraudes
Fruſtra jactatis evadere nititur alis,
Sic mihi fœmineas, quamvis exire parato In-

Inſidias, certæ ſpes non eſt ulla ſalutis.
M. Illicitis modò, Daphni, velis deſiſtere cœptis
Non tibi libertas, non eſt erepta facultas:
Ulterius ne tende tuis obtendere culpis
Velamenta, unum hoc ſubeat tibi perdite Paſtor,
Dum ſuperæ præfers Genitrici Amaryllida, triſtes
Pro violis ſpinas dulci pro melle venenum,
Ingratam voluiſſe tibi pro matre novercam.
Iſta niſi accepto te munere novit amare,
Muneris illa ſuos ſine ſpe largitur amores;
Iſta tibi varios caſus, fata aſpera; lætos
Illa tibi ſpondet tranquilla per omnia ſoles.
Ipſe vides geminæ quæ ſint diſcrimina ſortis.
D. Hei mihi difficile eſt, ubi longo indurvit ævo
Flectere ramoſam curvato ſtipite quercum.
Difficile eſt ubi fax antiqui crevit amoris
Velle novis veteres flammis extinguere flammas.
M. Quid magis eſt durum ſaxo, quid ſurdius unda,
Rupibus aſperius, fœta truculentius urſa?
Da celeres undas, da ſaxa, moveret amore
Blanda Parens, fœtam manſueſcere cogeret urſam,
Et dociles traheret rupes; tu ſævior iſtis
Durus es ad ſacros, ad iniquos cereus ignes?
D. Da veniam faſſo Melibæe; haud luſibus apta
Cum veniet, ſiquidem eſt nobis ventura ſenectus,
Tunc ſtudia in melius verſa ſequar altera mente;
Ætatis mihi nunc liceat decerpere primos,
Sera prius quàm nos prævertant tempora, flores.
M. Hactenus ut video nulla ſanabilis arte
Eſt furor iſte tuus: fruſtra medicina paratur,
Cui non grata ſalus, nec cura ſalutis amatur:
I cœpta maleſane via, tibi cognitus olim
Forſan erit, ſerò licet, irreparabilis error.

ECLO-

ECLOGA VIII.

In auguſtiſſima Jeſu, & Mariæ Nomina.

CARMEN AMOEBÆUM.

Corydon, Amyntbas.

C. ELoquar, an ſileam? jubet hoc timor, imperat illud
Dulcis amor; magis anne timor, magis anne timori
Anteferendus amor? timor omnis cedat amori:
Eloquar, & Pueri, ſuper aſtra feremus [at ipſa
Verba labant, ſubitaque mora intercepta laborant]
Eloquar, & Pueri nomen ſuper aſtra feremus
Dulce mihi nomen, venerabile Nomen Jeſu.
A. Eſſe quid hoc dicam, quòd te pulcherrima Virgo
Conatur liquidas dum vox proferre ſub auras,
Tunc vi neſcio qua, ceu compede vincta, volentem
Dicere deſtituit, mediiſque in faucibus hæret?
Eſſe metum credamne? metum ſed vincat amantis
Officioſus amor: Divæ ſuper aſtra feramus
Suave mihi nomen, nomen mihi dulce Mariæ.
C. Cum tua blande Puer ſubeunt mihi nomina, quanta
Tunc ſubeunt animo mihi gaudia! gaudia quæ non
Enumeret mea vox, nec mens conprendere poſſit,
Nec ſatis ipſa ſuis capiant præcordia flammis.
A. Cum ſubit illius mihi nomen amabile, totos
Cujus in obſequium vitæ devovimus annos,

Cum

Cum ſubit illius mihi nomen amabile Matris,
Lætitia tremulæ ſaliunt in pectore fibræ.
C. Grata mihi Zephyri venientis ſibila, grata eſt
Quæ levis argutos interſtrepit unda lapillos,
Sed vox grata magis, quæ te compellat Jeſu.
A. Suave canit philomela, virente ſub arboris umbra
Suave gemit turtur; ſed Partheni, ſuavior illa
Pervenit ad noſtras quæ te vox indicat aures.
C. Cùm te luſtra voco per opaci confraga montis,
Luſtra repercuſſas aſſueta remittere voces,
Nil te viſa mihi eſt retuliſſe libentius echo.
A. Frondoſo cum te nuper de colle vocarem,
Fallor, an ipſe ſonum te, Diva, vocantis amabat
Qui mea frondoſus repetebat carmina collis?
C. Cum tua vicinæ narro præconia ſilvæ,
Verticibus leviter motis alludere ſilva
Velle videtur, amica noti quaſi ventilet aura.
A. Heſterna cùm luce tuas, quà Cingulus errat,
Agreſti laudes meditarer arundine, viſus
Ipſe fuit lætis applaudere Cingulus undis.
C. Arboribus ſcriptam delebo Amaryllida, & Illum
Expuncta patulis inſcribam Amaryllide fagis.
A. Partheniis animata notis hæc ſaxa loquentur,
Quæ prius inſanos referebant Phyllidis ignes,
C. Nec ſatis hoc; patulis non illum inſcribere fagis,
Pectoribus potius, mentique inſcribere vellem.
A. Nec ſatis eſt illam duris incidere ſaxis,
Quin foret in noſtro quoque mens incidere corde.
C. Quid metuis nebulas infelix villice? Natum
Implores Mariæ, & nebulæ timor omnis abeſto.
A. Frigora cur aliquis formidat vinitor? ille
Imploret te Mater, & horrida frigora parcent.
C. Si qua malè eveniat, Pueri dic nomina: dictum,

Quàm

Quàm citò nomen erit, citò tam mala ſingula cedent.
A. Ipſa licèt fueris nobis nocitura, vocato
Parthenidis titulo fies innoxia grando.
C. Illius audito deponet nomine prædam
Immitis lupus, & ſecuro parcet ovili.
A. Audiat: æſtivas non uſſerit auſter ariſtas;
Audiat: irriguas non Sirius uſſerit herbas.
C. Te clamem, ſuprema meos cùm finiet annos
Hora, nec officio mea vox ceſſabit ab iſto.
A. Cùm vicina mihi mors vocis ademerit uſum,
Cor mihi languentis ſupplebit munera linguæ.
C. Cùm neque vox poterit, neque cor ſua dicere verba,
Halitus extremæ te languidus innuat auræ.
A. Quin, niſi ſpes tanti nimis eſt temeraria voti,
Cura erit una tuas ſuper aſtra retexere laudes.
C. Finiturus eram, de ſe ſed plura repoſcit
Cæleſtis Puer, atque ſuo de nomine dici.
A. Pæne ego finieram, de ſe ſed plurima dici
Alma Parens Pueri, Jeſſæia Virgo repoſcit.
C. Sed mihi ſat dixiſſe, mea es ſpes unica Jeſu.
A. Sat mihi ſit dixiſſe, mea es ſpes una Maria.
C. Dicere plura velim, ſed dicere plura volenti
Non niſi dilecti nomen ſuccurrit Jeſu.
A. Plura ego dixiſſem, dicturo plura ſed ipſa
Non niſi ſuccurrit toties mihi dicta Maria.
Carmine dum tali ſilvas, vicinaque ſilvis
Flumina mulcebant Corydon, & pulcher Amyntas;
Neſcio quis mediis viſus fuit Aliger umbris
Attentas præbere novis concentibus aures.
Quis ſcit an æthereo paſtorum vota puello,
Quis ſcit an illorum laturus vota Mariæ?

ECLO-

ECLOGA IX.

Parthenios amantes, nec in ſomnis ab amore vacare.

Manaſylus, Jolas.

M. DIc mihi, quid felix adeò tibi contigit, ut te
Securum mala tantùm angant præſentia, quantùm
Dura movere ſolent alpina cacumina venti?
Si vacuos curis, & ab omni parte beatos
Copia nos ingens rerum ditaret, ab iſto
Parta tibi titulo jurarem gaudia, ſed cùm
In pejus verſis cernam ruere omnia fatis,
Haud mihi ſat conſtat, cur tam læteris Jola.
I. Cum ſubit heſterni ſpecies pulcherrima ſomni
O Manaſyle, mihi tanta eſt meminiſſe voluptas
Quanta foret, ſi res diis noſtra faventibus iret.
M. Perge, age, rem totam (potes hic conſidere mecum)
Da mihi paſtor, adhuc multùm ſupreſſe diei
(Nondum longa jugis ſe porrigit umbra) videtur.
I. Nocte ſub extrema, dubio cùm ſubrubet ortu
Lux ventura, ſopor me matutinus habebat:
Ecce mihi ante oculos viſa eſt conſiſtere amata
Parthenis: attonitum primò me perculit horror,
Mox flexis in humum genibus procumbere, blandas
Dein adhibere preces, atque ambas tendere palmas
Velle videbar; at aerea velocior aura
Quàm citò viſa fuit, citò tam me Diva reliquit,
Vel potius ſomni me grata reliquit imago.

O Quid-

Quidquid id eſt, ut me claro jam lumine ſtratis
Proripui, ſurrepta oculis ſpectacula noſtris,
Et mecum, quod non veniſſent ſæpe, querebar.
M. Quando tibi memor, ut nobis fas credere, mens eſt,
Qua tibi ſe Mater ſpecie Jeſſæa videndam
Obtulit, aut qualis nocturna apparuit umbra?
I. Talis erat, qualem, ſi quando inviſimus urbem,
In tabula ante ſuas depictam aſpeximus aras.
Nil eſt quod verbis, aut pluribus addere dictis
Ultra habeam: quæcumque minor de Virgine vox eſt;
Nulla referre queunt cœleſtem exempla decorem.
M. Virgo licèt titulo ſit inenarrabilis ullo,
Non deſunt tamen ante oculos quæ ponere noſtros
Parthenias valeant laudes: ſic dicimus illam
Ingenti reliquas inter præcellere forma
Ut ſtellas inter præcellit luna minores.
Sic ubi virgineum mens eſt laudare pudorem,
Lilia cum nivibus ſæpe uſurpare ſolemus;
Si matrem memorare libet, tunc concha vocatur
Quæ nullo peperit divinam ſemine gemmam.
Sin magis externas placeat percurrere dotes,
Auroræ minor eſt per opaca crepuſcula fulgor,
Nec ſic exorti jucunda eſt gratia ſolis
Aureola dubios cùm luce repercutit agros.
Hæc, & plura potes de Virgine dicere Matre.
I. Non ego diffiteor, quin caſtam multa Parentem
In mentem revocare queant, ſed vocibus ullis
Quidve opus eſt verbis; melius facunda loquentur
Vota, mihi ſat erit divino ab amore peruri,
Sat quoque ſit Divæ ſi nos amor illius urat:
Quandoquidem donare illi nil præter amorem
Paupertas ſinit, uſque adeo nos torquet, & angit.
M. Quidquid adhuc nobis veluti mirabile quoddam

Longo

Longo circuitu, & verborum ambage dediſti,
Nocturni luſus, inſomnia vana fuere:
Non ea me narrata movent, nam quiſque quod optat,
Aut peragit, ſibi fingit idem per viſa; ſopore
Vinitor in medio ſturnis iraſcitur, umbris
Frondator, ſulco convicia dicit arator:
Quæ tibi luce, eadem in ſomnis quoque imago recurrit.
I. Sed tamen hoc melius quàm ſi nox invida nobis
Objecta noſtros aliqua violaſſet amores
Phyllide, ſive alia nimpharum è gente puella:
Hoſtibus hæc potius contingant ſomnia noſtris:
M. Eveniat potius tibi ſors, quæ contigit illi
Quiſquis erat, Dominæ qui captus amore videndæ
Uno ſponte tulit privari lumine, viſa
Mox capto meruit donari lumine Diva
Si talis noſtro ſors arriſiſſet amori
Mille oculos, & mille genas quoque; plura dediſſem
Membra, mihi felix quævis jactura fuiſſet.
I. Haud tali agricolas dignari ſuevit honore
Parthenis, hos miſeros cùm ſpiritus exuet artus
Forſan erit tanti nobis data copia voti.
M. O Utinam deſideriis bonus annuat æther:
Sed vereor ne longa nimis patientia duris
Victa malis nos invitos in crimina cogat:
Indignos ideo ſuperæ Genitricis amore.
I. Sperandum eſt: non ſemper erit, quam cernis, iniqua
Hæc rerum facies: forſan nos tempora ſervat
In meliora Deus; dabit his olim quoque finem.
M. Cras melius ſemper fore dicimus, & tamen omnis
Irrita ſpes abit, & ſemper pejora ſuperſunt.
I. Hoc commune malum; non eſt cur noſtra queramur
Damna, cuique ſuis vita eſt exercita curis.

ECLOGA X.

In diem Virginis natalitium.

EX ITALICO SANNAZARII,

Argumento profano in ſacrum verſo;

Paucis demptis, pluribus additis, aut mutatis, prout res exigere videbatur.

a FOntis ad herboſam nemora inter frondea ripam
Conſtiterat cana frontem præcinctus oliva
Paſtor; eum patulæ ſub tegmine vidimus orni
Octavum menſis qui octobrem prævenit, alto
Concelebrare diem ſub prima crepuſcula cantu:
Ille ut erat roſeum ſolis converſus ad ortum,
Arborea volucrum cœtu plaudente ſub umbra,
Non reſponſuris narrabat talia ventis.
Pande fores, nitido ſurgentem profer eoo
Sol formoſe diem; cœlo diffunde ſereno
Phrpureos lucis radios, varioque colore
Finge novam blandi ſpeciem pulcherrime veris.
Illa dies hæc eſt, tua quam prævertere tarda
Nocte ſoror, quam tu longo producere debes
Emenſus ſpatio ſupremi culmen olympi:
Nam, meminiſſe potes, ſolymeo te quoque dicunt
Produxiſſe diem populo dum vinceret hoſtem;
Quantò major erit producta gloria luce,
Nazariam placidas quæ Nympham eduxit in auras?
Umbri-

a *Sanna. in Arca. Ecloga Tertia.*

Umbriferæ valles, voſque alta cacumina rupes
Frondentes alni, piceæ, mœſtæque cupreſſus,
Siquis ineſt ſenſus vobis, vel ſiqua voluptas
Allicit, ad noſtros aures advertite cantus:
Fraudibus à furum procul, inſidiiſque luporum
Lanigeris teneri ludant cum matribus agni;
Antiqui redeant mores, aſſueſcat amœnas
Ilex ferre roſas, ad duros pendeat uva
Capreolis ſuſpenſa rubos, ſe frondea quercus
Ignotis ſtillare favis miretur, & ipſa
Lactis eant roſeis ſervitum flumina pratis.
Non flores hortis, non campis mollia deſint
Gramina, non apris ſubeat, non triſtibus urſis
Cædis amor; puer avulſis cytherejus alis
Extinctis facibus, pharetra exarmatus, & arcu
Ereptas naſcente ſibi Jeſſeide vires
Lugeat: at contra laudes ſuper aſtra puellæ
Virginis attollant, paſtorum nec minus omnis
Turba ſoluta operis teſtetur gaudia plauſu,
Et plauſu, & vario ductis circùm orbe choreis.
Lætitiam quoque prata, ſuam quoque vitrea prodant
Flumina, ſit facies cœli tranquilla, nec ullas
Cernere ſit ſupra montana cacumina nubes.
Hac primùm tepidas in luminis exiit oras
Luce Parens, hac immenſum naſcente per orbem
Invenit ſedem virtus, humanaque corda
Virgineæ pulchro calverunt laudis amore,
Quem malus averſæ mentis proſcripſerat error:
Hujus in ingentes arbor mihi plurima laudes
Cortice cæſa ſuo eſt, ut non declivibus ilex
Germinet ulla jugis, aut frondeat ulla cupreſſus
Quæ non dilectam compellet ſcripta Mariam;
Quæ curas mihi ſola poteſt lenire, Mariam,

Quam noſtri gemitus, mea quam lamenta, ſuiſque
Noctes, atque dies ſuſpirant pectora votis.
Dum rabidi celſis errabunt montibus urſi,
Pinus acuta comas dum tendet in æthera, vivi
In mare dum querulo labentur murmure fontes,
Dum ſpes, & caſtos timor exercebit amantes,
Illius in totis noteſcent nomina terris,
Qua ſine triſte mihi fuerit deducere longos,
Qua mihi dilecta dulce eſt producere ſoles.
At tu quæ ſuperam cecinisti carmine Divam
Supplicibus votis ſilveſtris muſa precare,
Fauſta ſit illa dies, roſeoque innubila vultu.

ECLOGA XI.

In adverſis, cœleſtem opem eſſe implorandam, nec implorata deſperandum.

INTERLOCUTORES.

Mycon, Tityrus Aquatores.

M. AUdieram qui veſtra ſolet percurrere fontem
Prædia, mutato ſolitarum errore viarum
Nunc domini urbanos perlabi Daphnidis hortos:
Ni mendax tulit hæc rumor, quo numine fretus,
Quo ſtudio poteris ſiccis avertere pratis
Æſtivi quæ ferre ſolent incommoda menſes?
T. Audieras, & vera Mycon pervenit ad aures
Fama tuas; ego non unquam magis anxius ulla
Tempeſtate fui, quàm nunc, ubi ductilis unda
Æſtivo

Æſtivo teneris ſub tempore deficit herbis.
M. Non ſatis eſt quod primitias ſibi fertilis anni,
Hordea prima, recèns lectas in vitibus uvas
Vindicet, ipſe ſuos Daphnis niſi vertat in uſus
Servitum veſtris quæ flumina vallibus ibant?
T. Illum ego crediderim nobis irata dediſſe
Numina: ſed cœptas præſtat revocare querelas,
Nam ſi reſcierit, nos in mala vincula coget
Illius ad nutum venturus ab urbe ſatelles.
M. Perge, quid abſentis formidas Daphnidis iram?
Perge tuum quæſtu, verbiſque levare dolorem.
T. Illum ego crediderim nobis irata dediſſe
Numina, qui partes agat ulciſcentis Olympi,
Inque malam verſos Amaryllida plectat amores,
Suetave continuum patrari furta per annum;
Qui brumæ, nebulæque vicem impleat, & ſubductis
Fontibus æſtivi diſpendia duplicet anni.
M. Cùm mala te diverſa premant, cur una querela,
Et vox de raptis ſuccurrit Tityre rivis?
T. Cœtera continuo patimur quæ damna tenore,
Sæpe dolis, vafra quandoque eludimus arte:
Sic cùm tempus adeſt fœcundæ pendere meſſis
Primitias, vacui ſecernimus hordea follis,
Et ſparſa mollimus aqua, quò creſcere poſſint
Mole nova, & numero menſuram æquare minore:
Juſſa prius diram quàm muſta vehantur in urbem,
Plurima purpureis ſuperadditur unda racemis,
Et ne degenerem abſimilis color arguat uvam,
Mentimur viridi preſſum de vite liquorem
Sanguineis ebuli baccis, moriſue cruentis:
His, & mille aliis Daphnim fruſtramur avarum:
Quod tamen à ſolito fraudatis flumine pratis
Nos angit, ſtudio damnum eſt reparabile nullo.

M. Quis vetat obſcura intempeſtæ noctis in umbra
Exiguam fluvio partem deducere, campis
Qua poſſis, bibuliſque ſitim reſtinguere pratis?
T. Hinc quoque nulla mihi ſupereſt ſpes; Daphnide miſſus
Nuper Ventidius vigilem noctesque, dieſque
Impendit curam, campo ne forte ſuo quis
Inducat facili deductam tramite lympham;
Crinitoque invectus equo, quem ſignat inuſtus
Flos quidam, variam quà vitrea labitur unda
Itque, reditque viam, neque nimbis turbidus æther,
Nec ſolis fera vis, noxue intempeſta moratur:
In proprium clam ſiquis aquam diverterit hortum,
Aut ſua per multos redimet tentamina nummos,
Aut ſi parva domi fuerit res, carcere longo,
Aut tortore dabit pœnas ſublatus in altum
Fune; mala hæc nobis, plura & ferus ille minatur.
Illum ego (quod primo lux craſtina portet eoo)
Si procul in ſolis poſſim deprendere ſilvis
Num mea ſe manus, aut mea num ſe temperet ira
Quin ſumam juſtas, aut cæde, aut verbere pœnas?
M. Mitte hæc, & poſita nil proficiente querela
Urbano potius fer munera larga miniſtro;
Nam vel fallor ego, aut ſulmonis dicere ſuerat
Paſtor, quòd placent homines data dona, Deoſque.
T. Hæc quoque viſa fuit nobis ſententia, & illi
(Quod malè ſit) cum matre bimeſtrem miſimus hædum,
Sed vel parva nimis fuerint, ingratave dona,
Et miſſo cum matre nihil profecimus hædo:
Illius eſt auro nempe exſaturanda cupido.
M. Parte tibi nulla cum res bene cedat, ad aures
Daphnidis, experiare tuæ quid cantus avenæ
Poſſit, erit forſan facundis gratia muſis.
T. Indignor, dum noſtra jubes per carmina tutum,
Inſo-

Inſolitum quod nempe foret, ſperare favorem:
Tantus honos latiis hac tempeſtate camœnis,
Quantus calcatæ per devia littoris algæ.
M. Quod nequit attentam labor obtinuiſſe per artem,
Forſitan optatis cœlum feret: aſpice ut atra
Circùm fagiferos glomerentur nubila colles?
Quis ſcit an effuſus deſcendat ab æthere nimbus.
T. Certè ego ſacratis vovi donaria templis,
Accendique aris faculas, ſuper omnia mitem
Parthenidem ſupplex iterata in vota popoſci
Innocuos orans æſtus, pluviaſque ſalubres.
M. Dum pede res ibant facili, tibi nulla ferendi
Cura preces erat, at poſtquam fortuna noverca
Deſtituit, te Parthenidis reverentia cæpit.
T. Ut fatear, levis ac nobis jactura fuiſſet,
Daphnidis imperio nil flumina verſa morabar;
At ſimul ac vidi nativo humore carentes
Pratenſes nimio fundos areſcere ſole,
Conſilio meliore novas dimittere cœpi
In curas animum, & toto conamine niti
Siquà infelicem potuiſſem evadere caſum:
Sors tamen eventu ſemper reſpondit iniquo:
Nil ratus humanis tandem confidere poſſe
Viribus, oravi te candida Partheni, velles
Deteriora bonis, & triſtia vertere lætis.
M. O utinam mala ne longè graviora ſuperſint:
Nuper iit nam rumor, adhuc pro Teutone poſci
Dura tributa: quid eſſe putem, quod nos etiamnum
Relliquiæ vexent taciti, monumentaque belli?
Scilicet ad patrium quamvis remeaverit Iſtrum
Solum aliis abiit, nobis gens barbara reſtat.
T. Fata videns retro in pejus ſublapſa referri,
Irraſcor, fractam ærumnis furor, iraque mentem
Abripit,

Abripit, & variis interrogo ſæpe querelis
Quos habeo placidos non ullo tempore divos.
M. Quid juvat inſano divina laceſſere quæſtu
Numina? virgineo potius fer vota Puello,
Illius caſtæ potius fer vota Parenti;
Innumeris nec cede malis; Puer, & bona duris
Virgo aderit rebus, nec ſpes ſinet eſſe caducas.

ECLOGA XII.

Amans Parthenius juxta cor Virginis.

INTERLOCUTORES

Chromis, Lydorus.

Ad A.R.P. Virumque eruditiſſimum P. Benedictum Bacchinum Monachum Caſinatem.

Verſibus expreſſos ſuperæ tibi Matris amores
Mittimus; averſo miſſos ne deſpice vultu
Magnus honos, Bacchine, & noſtri gloria cœli:
Sed puto virginei dabitur mihi nomine vatis
Conciliare tuum, nulla licèt arte, favorem.
Non titulo poterant noſtræ, non præſide muſæ,
Aut meliore legi, magis aut ſapiente probari.

Hortus erat; riguo Chromis, & Lydorus in horto
Compita purgabant raſtris, duroque ligone
Noxia per teneros vellebant gramina bulbos:
Hos ego cum tumulo reſiderem deſuper alti
Collis,

Collis, ab emenſo cùm ſol deflecteret orbe,
Audivi poſitis frondente ſub ilice raſtris
Matre ſuper tales Jeſſæa dicere verſus,
Inque vicem ſumpta intermittere carmen avena.
C. Mutat terra vices, nec vultus ſervat eoſdem
Annus, & inſolitum variat natura tenorem:
Idem ego ſum caſtus fueram qui nuper amator.
L. Creſcendo primis noſter deflexit ab orſis
Ardor, nec vultu ſemper procedit eodem
Qui novus innumeras prope creſcere novit in horas.
C. Abſolvit cœptum ſub veſpere quiſque laborem
Frondator poſita, poſita quoque falce putator;
Non requies erit ulla meo, nec finis amori.
L. Infames veneris qui caſtra ſequuntur amantes
Oderunt proprio, comiteſque in amore recuſant;
Vellem ego, quòd totus te, Partheni, mundus amaret.
C. Me nulla anxietas, nullus me turbat amaror;
Sola mihi mœſto ſedet hæc in pectore cura,
Num tu Virgo ſatis, minus an mihi forſan ameris.
L. Te mihi dilecta nihil eſt jucundius, ingens
Sed mea ſæpè dolor cruciat præcordia, quod non
Es magis in cunctas, nec Partheni culta ſat, horas.
C. Quo me cumque feram, quocumque ego lumina vertam
Invenio cauſas, & amandi mille figuras.
L. Tot mihi terra novi argumenta miniſtrat amoris,
Totque mihi cœlum, quot ſunt vaga ſidera cœlo.
C. Lilia ſi ſpecto nativo candida lacte,
Caſta tui nobis offert ſe forma pudoris.
L. Picta colorato ſi ſpecto roſaria fuco,
Hæc dico Dominæ ſunt grata *Roſaria* noſtræ.
C. Concluſus quia tu quoque diceris hortus, in horto
Dum vagor, in mentem ecce venis pulcherrima Virgo.
L. Cernere ſi fontem mihi contigit, audit, & ipſa,
Pro-

Protinus exclamo, ſignato à fonte Maria.
C. Quid miſer imploras ledæos navita fratres?
Stella Maris potius tua, navita, vela gubernet.
L. Ut ſubeas mihi, Diva, ſuo non cypridis aſtrum
Nomine, *ſtella* mihi ſed *matutina* vocatur.
C. Oblectant me ſiqua tuos imitantur honores,
Et quæ pulchra magis, quia tu quoq; pulchra, probantur.
L. Sæpe ego conſpectis ſoleo deducere gemmis
Quantùm magna tui præſtent exempla decoris.
C. Parte aliqua viſis ſoleo comprendere ſtellis,
Quàm ſit imago tuæ, præclaraque gratia formæ.
L. Arridet mihi ſol, arridet candida luna,
Luce ſua nam te mihi viſus uterque referre.
C. Ver alii, atque hyemem Zephyris, vel frigore ſignant;
At nos partheniis ſignamus tempora faſtis.
L. Principium gelidæ tunc dicimus affore brumæ,
Quando Parens ſummum peperit Divina Tonantem.
C. Tempora floriferi tunc dicimus affore veris,
Nazariam petiit cùm nuncius Aliger ædem.
L. Quo caram Eliſaben inviſit dia Viatrix,
Ille mihi æſtivum menſis prænunciat annum.
C. Haud procul autumnum fore nobis proſpera monſtrat
Lux, quæ Parthenidem teneras eduxit in auras.
L. Quin etiam curis mihi cor tabeſcit iiſdem,
Quas fovit liquidas dum Virgo duceret auras.
C. Nec minus ipſa mihi perfundunt gaudia pectus,
Diva quibus lætata olim Jeſſæja fertur.
L. Ah quoties mœſta timeo cum Matre, pruina,
Neve recens natum lædat grave frigus Jeſum.
C. Lætitiæ contra mihi cauſam dona miniſtrant,
Dona trium eoo venientum à littore regum.
L. Indolvi quoties, quia tu quoque Virgo dolebas,
Dum cura amiſſi te ſollicitaret Jeſu!

C. Lætor

C. Lætor ego quoties, ſiquando recogito, lætum
Quando tibi invento cor exultabat Jeſu!
L. Sed numquàm major carpit corda anxia mœror,
Quam cùm pænarum ſuccurrit fertilis hortus.
C. Noſtra quoque in tenues vaneſcunt gaudia ventos,
Cùm ſubit illius mœſtiſſima noctis imago.
L. Angebant quæ te Mater Jeſſæa videntem,
Afficiunt animos eadem ſpectacula noſtros.
C. Invenere tui ſolatia nulla dolores,
Invenient quoque nulla mei ſolamina luctus.
L. Quæ non immiti facio convicia turbæ,
Injecit nodoſa tuo quæ vincula Nato?
C. Quid prolem ſpectante trahis Genitrice ſatelles?
Pone modum pœnis, & in una parce duobus.
L. O' mihi fas eſſet tecum mœſtiſſima Virgo
Partiri triſtes, ſi non tibi demere curas.
C. Improba ſpina, meæ monumenta perennia culpæ,
Pectora quid Mariæ, quid tempora figis Jeſu?
Me me adſum qui feci, in me tua ſpicula verte.
L. Ah ne vulnificis nil tale merentia flagris
Membra feri Iſacii turba implacidiſſima vulgi,
Si neſcis, miſeræ pars eſt quoque Matris in illis.
Plura locuturos dolor intercepit, & humor
Ex oculis ſubjecta tepens manabat in ora:
Ipſi ad ſingultus, & lamentabile carmen
Flere videbantur flores, vetereſque querelas
Depoſuit luctu ſcriptus meliore Hyacinthus,
Invenitque novi, cauſamque, genuſque doloris.

ECLO-

ECLOGA XIII.

In B. MARIÆ Virginis Litanias Paraphraſis:

INTERLOCUTORES

Charmis, Beris.

Ad A. R. P. Franciſcum Grandium olim in Rhetoricæ Diſciplinis Præceptorem meum, & nunc pro ſacro ſuggeſtu Oratorem celeberrimum.

Dum verbis Franciſce tonas, cauſamque tueris
Numinis inſoliti viribus eloquii,
Parthenidis deſcripta tibi decora alta vovebam:
Conveniens genio carmen, opuſque tuo.
Siquid erit, quod fortè tuas malè vellicet aures,
Ingenii vitium dixeris omne mei.
Siquid erit, doctæ bene quod reſpondeat arti,
Doctrinæ ſpecimen dixeris omne tuæ.

Feſta dies aderat; ſuperæ ad delubra Parentis
Omnis theliorei convenerat accola ruris,
Et quicumque tuos bibit advena Cingule fontes:
Adfuit, argutoque una cum Beride Charmis
Inclyta partheniæ relegens præconia Matris
Addebat de more preces, tituloſque canebat
Publica quos pietas mariano adſcripſit honori:
Has Divam in laudes, atque hæc in vota vocabant.

S. Ma-

S. Maria ora pro nobis.

C. O' dulce audiri, mihi dulce Maria vocari
Nomen, & afflictis ſpes conſtantiſſima rebus,
Noſtra tuo fer vota, fer ò mitiſſima Nato.

S. Dei Genitrix.

B. Illius es nempe alma Parens, qui ſidera certis
Circumagit ſpatiis, & ſæcula dividit orbi;
Scilicet una Dei es fortunatiſſima Mater.

S. Virgo Virginum.

C. Laus tibi materno de nomine plurima, ſed laus
Virgineo è titulo pariter tibi plurima ſurgit;
Nec tu mater eras, niſi tu quoque virgo fuiſſes.

Mater Chriſti.

B. Nec ſatis eſt peperiſſe Deum; ſub imagine terras
Viſurum humana pariter, pariterque videndum,
Integra bethlemio peperiſti Mater in antro.

Mater Divinæ gratiæ.

C. Nobis una paris cœleſtem Virgo favorem,
Una paris miſeris tu plurima commoda terris;
Mille parentis habes cauſſas, & nomina mille.

Mater Puriſſima.

B. Nec candore ſuo te florida lilia, nec te
Æquiparant formoſa ſuo candore liguſtra;
Purior es radiis innubi à ſole remiſſis.

Mater Caſtiſſima.

C. Conjugii illecebras nullas experta profani

Haud

Haud decus intacti viſa es deponere floris;
Quæ virgo fueras, eadem es quoque candida mater.

Mater Inviolata, Mater Intemerata.

B. Ut vitreæ fons vivus aquæ lapidoſa volutus
Per loca, nec vitium, nec labem acquirit eundo,
Integra ſic nulla temerata es labe Maria.

Mater Amabilis.

C. Te ſtudiis cœlum communibus ambit, & orbis,
Te Deus ambit amans; nec amabere Partheni? vivax
Ante mihi in liquidas diſcedat ſpiritus auras.

Mater Admirabilis.

B. Singula miranti quibus es mirabilis ipſa,
Tanta mihi attonitam rapiunt ſpectacula mentem,
Et ſuprema meos præſtringit gloria ſenſus.

Mater Creatoris.

C. Qui terras refluis emergere juſſit ab undis,
Et ſpatiis certum diſcrevit quattuor annum.
Ille tuus Natus tulit, inclyta Diva, vocari.

Mater Salvatoris.

B. Pars bona ſervato tibi laudis provenit orbe,
Humanæ ſiquidem aſſertor, vindexque ſalutis
Adjutricem operis legit, magnamque parentem.

Virgo Prudentiſſima.

C. Mortalem ſupra ſortem, & communia jura.
Te ſibi perpetuam comitem prudentia ſolers
Adſcivit, vaſtoſque habilem formavit ad uſus.

Virgo

Virgo Veneranda.

B. Quæ gens tam noſtro ſemota receſſit ab orbe,
Quæ non Parthenidi famulos impendat amores?
Illam omnis tellus, illam gens omnis adoret.

Virgo Prædicanda.

C. Quis non virgineas attollat ad avrea laudes
Sidera? continuis occaſus certet, & ortus
Officiis, tantæque canat præconia Matris.

Virgo Potens.

B. Illius imperio vel duro adamante refixa
Lex elementorum cedit, dominamque potentem
Omniparens natura, & euntia tempora norunt.

Virgo Clementiſſima

C. Dum tua, Virgo, ſubit nobis clementia, mitem
Compoſiturus eram tibi quæ ver promovet, auram;
Mitior es tenera ſed, quæ ver promovet, aura.
Neſcio quæ genium ſunt quamvis impare laude
Viſa referre tuum, ſed nil clementius illo:
At quid ego hæc autem? primis dilabor ab orſis
Devius, & nullas mea ſervant carmina leges;
Sed bene; nulla tuo quoque regula ſcripta favori eſt,
Nec numero tua ſe cohibet clementia certo.

Virgo Fidelis.

B. Cum Domino, & miſeris pepigiſti fœdera ſervis.
Pactaque cum Domino, cum ſervis fœdera ſervas.
Promiſſamque fidem factis ingentibus imples.

Speculum Juſtitiæ.

C. Ad Themidis quicumque volet ſe effingere mores,
Juſtitiæ expreſſos tam fida in imagine vultus
Ille tua miretur, & alta exempla reportet.

Sedes Sapientiæ.

B. In te docta ſuam poſuit ſapientia ſedem;
Ah ego & ipſe tuo ſapiens in amore, tuoque
Dicar in obſequio jam non indoctus amator.

Cauſa noſtræ Lætitiæ.

C. Qualis ubi roſeo Phœbus ſe promit ab ortu
Apricos recreat jucundo lumine colles,
Talis ſolicitis affers ſolatia terris.

Vas Spirituale, Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis.

B. Electum ceu vas, dius te Spiritus implet
Cœli divitiis, divini nectare roris:
Ditat honos, pietas cœleſtes afflat odores.

Roſa myſtica, Turris davidica, Turris eburnea.

C. Ceu Roſa virgineum præfers intacta ruborem,
Fortis Davidicæ ceu propugnacula turris
Diceris; eſt arcis tibi forma, & robur eburnæ.

Domus aurea.

B. Qui tibi compoſuit ſuperi tecta aurea cœli,
Extulit ille tuas tali ſub imagine laudes;
Es quoque Divini nam tu domus aurea Solis.

Fœderis

Fœderis arca.

C. Te ſine cum miſeris cœli commercia terris
Nulla forent, magni niſi flectas Numinis iram,
Fruſtra promiſſæ ſperantur fœdera pacis.

Janua Cœli.

B. Sydereas divûm ad ſedes, & regna piorum
Clauſa prius nobis recludis limina; per te
Obſtructæ patuere fores ſtellantis Olympi.

Stella Matutina.

C. Stella præis miſeris tu matutina per æquor
Ambiguum noſtræ, & metuenda pericula vitæ;
Te duce Cœlituum ſummis apellitur oris.

Salus Infirmorum, Refugium peccatorum,
Conſolatrix Afflictorum.

B. Ægra cui macies corpus, cui crimina mentem,
Et mœſta inſomnes exercent pectora curæ,
De te quiſque ſuam præſumat, Virgo, ſalutem,

Auxilium Chriſtianorum.

C. Hoc majora quidem titulo præconia præfers;
At cùm Chriſtiadum rebus ſolamen in arctis
Diceris, hæc nobis laus eſt gratiſſima dictu.

Regina Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum,

B. Aligerùm chorus omnis, & omnis turba Parentum
Iſacidum, & quotquot cecinere oracula, Vatum,
Reginam te, magna Parens, Dominamque fatentur

Regina Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum.

C. Nec minus in totum quorum vox exiit orbem,
Quique ſibi fuſo palmas peperere cruore,
Confeſſique Deum Heroes tua jura verentur.

Regina Virginum.

B. Sed genio laus præ reliquis accedere viſa
Nulla tuo magis eſt, quàm cùm formoſa vocaris
Virginei Regina Chori, puriſſima Virgo.

Regina ſanctorum omnium.

C. Singula quid referam? dulci quicumque fruuntur
Numinis aſpectu, quicumque fruuntur amore
Grande tibi obſequium æternos profitentur in annos

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine, exaudi nos Domine, miſerere nobis.

B. At tu qui noſtræ veſtigia noxia culpæ
Eluis æternus ſupremi Numinis Agnus,
Da nobis ultro veniam, & miſerere precantum.
His ſuper, atque aliis ſacras ad Virginis aras
Certabant precibus, decora & mariana canebant:
Occiduo donec ſolem ſplendore rubentem
Condidit inductis nox importuna tenebris.

MARIA CUSTOS.

Carmen extemporaneum.

ARbor erat flores, fructuſque induta rubentes;
Indutaque ſuper, fructuque, & flore ſedebat
Arbore dirus Amor; ſummo de vertice frondes
Ille

Ille manu, ramos & decutiebat opacos.
Continuò folia aereas volitare per auras
Aſpiceres, floreſque ſimul, ſimul aurea labi
Poma: frequens circùm vulgus ſtipatur amantum
Autumni pellectum, & odori munere veris,
Aſpectæquæ inhiat prædæ; quos cœpit amœni
Floris amor, triſtis dolor, & germana doloris
Corripit anxietas, atque expers cura ſoporis:
Quos legere ambroſios, & guſtu judice fætus
Explorare juvat, poſt dulcem triſtis orexim
Vexat amarities, capiuntque inamabilis eſcæ
Tædia: me comitem maleſanæ adjungere turbæ
Hinc veſana Cupido, illinc maleſuada Voluptas,
Illa roſis flavos, hæc myrto cincta capillos,
Illice ſuadebant vultu: diſcorde ferebar
Huc, illuc voto, nec adhuc mihi certa fugaces
Spernendi illecebras ſteterat ſententia, cùm me
Increpitans Divina Parens, dextraque prehenſum,
Quid te floris, ait, quid amari ludicra fructus
Forma capit, quis te mendax malè decipit error?
Dixerat: extemplo, dictu mirabile, flores,
Et quæ formoſa ſuper arbore mala ſuperſunt
Immundum capiunt vitium, tetroſque videri
In cineres abeunt, Aſphaltida qualis ad undam
Exitus eſſe ſolet lectis in littore pomis:
Hinc ego mortalis collegi gaudia vitæ,
Hæſternæ veluti fugitiva inſomnia noctis
In tenues umbras, rapidos vaneſcere ventos.

ELEGIÆ.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA I.

Quod primùm Virginis amore captus ſit.

UNica Virgo ſuo primùm me cæpit amore
  Intactum flammis dire Cupido tuis.
Illa eſt cui teneri florem devovimus ævi,
  Cui ſpatium vitæ ſerviet omne meæ.
Natus ego ipſius, materque vocabitur ipſa:
  Impleat ò titulos nomen utrumque ſuos.
Da veniam, ſi te matrem, dulciſſima, dixi,
  Si vox hac nimium libera parte fuit,
Audacem tua me fecit clementia, nam te
  Nil mare, nil totus mitius orbis habet.
At ſi non matrem, dominam te dicere ſaltem,
  Meque tui ſervum, mancipiumque velis.
Ne tamen ingratos quiſquam me ducere ſoles,
  Parthenio quòd ſim tectus ab igne putet.
Sunt hilares nobis luſus, ſunt neſcia fraudis
  Gaudia; lætitia noſter abundat amor.
Palleat, & fletu noctes corrumpat amaro
  Qui ſedet ante tuas dura puella fores.
Ille negaturo dicat convicia poſti,
  Ille det aereis irrita verba notis.
Infelix! quicumque dies impendit, & annos
  Dira Lycori tibi, ſæva Neræa tibi.
Illecebras qui magna vocat ſolatia veſtras,

 Qui

Qui malè pro vobis ſuſtinet eſſe miſer.
Me juvet incœptis traducere luſibus ævum;
Luſibus innocuis, pieriiſque jocis.
Et modò votivas ſuperis ſacrare cicutas,
Qua celer irriguis Cingulus errat aquis,
Et modò faginea laudes cantare ſub umbra
Sive tuas Jeſu, ſive Maria tuas.
Audiet, & ſummo collis de vertice paſtor
Attentis voces auribus accipiet.
Quis novus hic, dicet, vates cui ſemper in ore
Cœleſtis Puer eſt, cum Pueroque Parens?
Omnibus à tali ſic fiam notus amore,
Ut, qui me videat, dicere poſſit, amat.
Hinc mea ſemotum vulgetur fama per orbem.
Hæc maneat cineres gloria ſera meos.
Non ego flaventes quas Ganges voluit arenas
Invideam, vel opes aurifer Herme tuas.
Dives ero, faveas nobis modò candida Virgo:
Si facilem dederis te mihi, dives ero.

ELEGIA II.

Amoris parthenii deſcriptio.

ACcipe quid ſit amor, tenerum quo pectus aduror,
Et qua, pingendus ſi foret, arte foret.
Non eſt ille puer: mecum fuit editus unà,
Quoque ego natus eram tempore, natus erat.
Non habet aerias alio quibus avolet alas,
Nec celer æthereum currere novit iter.
Nam cùm non vacuo mihi corde receſſerit unquam,
Credibile eſt pennas non habuiſſe ſuas.

Li-

Libertas oculis non eſt ſua dempta, ſerenam
  Nulla tegit frontem, nullaque vitta comas.
An qui tam certos in me direxerit ictus,
  Hunc ego vittatum lumina bina putem?
Illi cauta dedit rectos prudentia mores,
  Ingenium ſolers, judiciumque ſagax.
Namque ſcit innocuis bene quàm ſit ab ignibus uri,
  Quàm malè ſit veneris ferrea jura ſequi.
Forſitan an quoque ſit nudatus membra requires?
  Lactea diſcincta corpora veſte tegit.
Veſte magis nivibus pura, niveiſque liguſtris,
  Quam ſibi, vel ſimilem vellet habere pudor.
A læva pharetram, in pharetra ſua condita ſervat
  Tela, quibus nobis vulnera ſæpe facit.
Sæpe facit, facietque mihi quoque plura deinceps,
  Nam magis in noctes urimur, atque dies.
Si formam videas, nihil eſt formoſius illo;
  Delapſum ſummo dixeris eſſe polo.
Spectandum tali ſe præbet imagine, caſtus,
  Qui me jeſſææ Virginis urit Amor.

ELEGIA III.

Quod duos uno tempore amet.

QUis fuit in liquidas primùm qui protulit auras
  Nemo poteſt uno tempore amare duos?
Ecce Deus puer, & Pueri quoque Mater amatur,
  Hi mihi diviſum cor rapuere duo.
Et tamen alterius non detrahit alter amori,
  Eſt, partita licèt, nec mea flamma minor.
Illum amo, nec minus hæc nobis quoque ſemper amatur;

Carus

Carus ut ille mihi, ſic quoque cara Parens:
Quin niſi formoſus fuerit dilectus Jeſus,
Non dilecta ſatis, nec bene Mater erit,
Et niſi virgineam Nati dilexero Matrem,
Dilectus pariter non bene Natus erit.
Hoc ſine longa foret quævis brevis hora, diurno
Hac ſine vel ſpatio longior hora foret.
Denique quidquid agam, quoquò veſtigia vertam,
Hos præter non eſt altera cura prior.
Dum loquor, hoc ipſo quo verba iterare laboro
Tempore, ſi quæras quid mihi fiat; amo.
Non mens arbitrii eſt, quamvis ſit libera, noſtri,
Nec mea ſunt juris vota, nec ora ſui.
Nam ſiquid meditor facunda prodere voce,
Siquid habet quod mens, corque vovere queat,
In mentem ſpes una venit mea dulcis Jeſus,
In mentem mea ſpes una Maria venit.
Adde quod altiloquo cum nuper carmine vellem
Edere ſequanico parta trophæa Jovi;
Non niſi de ſolo carmen veniebat Jeſu,
Omnis de ſupera Virgine verſus erat.
Languida cùm ſtratis depono membra, loquela eſt
Ultima de Puero, deque Parente mihi.
Cùm mea proripui ſtratis quoque membra, loquela
Prima eſt de Puero, deque Parente mihi.
Eſſe quid hoc dicam? niſi quod magis altera, & alter
Poſſidet, & memorem non ſinit eſſe mei.
Sed tamen hoc melius, quàm ſi me nullus haberet,
Aut aliquis qui non integer eſſet amor.
Sic fortunatos liceat traducere ſoles,
Ultima dum noſtros finiat hora dies.
Inſidis alius committens lintea ventis
Barbara ſemotas per vada quærat opes.

Mille

Mille greges illi curvis in vallibus errent,
  Vaſtaque centenus rura colonus aret.
Sat mihi perpetuos ſi ſemper amentur in annos,
  Quos ego nunc omni tempore ſemper amo.

ELEGIA IV.

Ad Meliſſum pictorem ut ſibi Virginem pingat.

QUo ſtudio majore ſoles, & qua potes arte
  Pingere, nunc Dominam pinge Meliſſe meam.
Neve tamen Dominæ ſumas pro nomine vaſtam
  Phyllida, ſeu Crotalem, purpureamve Napem.
Pro Domina eſt mihi Virgo: à me ſic illa vocatur;
  Me ſervum illius, mancipiumque voco.
Ante tamen, quàm cuncta ſuo de more parentur,
  Sint formoſa oculis quæque notata tuis.
Finge tibi quidquid pulchri, variique decoris
  Omnis habet tellus, quidquid olympus habet.
Florida jucundi ſubeat tibi veris imago,
  Quique ſolet vernis floribus eſſe color.
Nec minus eoi ſuccurrant lumina ſolis,
  Succurrat forma candida luna ſua.
Namque ea ſi memini, ceu ſol electa vocatur,
  Pulchra velut radii fulgida luna tui.
Cum nihil artis erit, quod non perpenderis ante,
  Nobile tunc ſolers incipe pictor opus.
Sed qua tu pinges vis nulla appareat artis:
  Omnia naturæ ſint operata modo.
Lacteola cervice fluat coma deplua, cingat

Tem-

Tempora ter quinis nexa corona roſis.
Tale fac in ſacro divinum, & amabile vultu,
Virginis ut poſſim dicere, vultus hic eſt.
Illius ut viſa poſſim dignoſcere forma
Maternum pariter, Virgineumque decus.
Si par nocturnis erit, aut formoſius aſtris,
Conveniet fronti lumen utrumque ſuæ.
Conveniet nitidis veſtis ſaphirrina membris,
In qua ſit taciti picta figura poli.
Læva gerat Puerum, manus altera preſſet Jeſum
Ad nivibus ſimiles, purpureoſque ſinus.
Ipſos te nutus, ipſos te fingere Matris
In Natum luſus, blanditiaſque velim.
Nil magis inſignem poterit laudare tabellam,
Quàm ſi picturæ pondera vocis erunt.
Si quædam fuerint pro verbis juſſa valere
Signa, locuturis vivida facta notis;
Ipſa Parens Puero videatur dicere; tu ſpes,
Deliciæque meæ, lætitiæque meæ.
Ipſe Puer Matri videatur dicere; tu lux,
Tu mihi præ reliquis carior una mihi es;
Extendatque manus materna ad colla, probetque
Blanditias Pueri candida Virgo ſui.
O ego Diva tuos ſcirem depingere vultus,
O ego apellæa doctus in arte forem.
Omne mihi ingenium tantos peteretur in uſus,
Atque omnis ſtudii cura, laborque mei.
Aſpicerem ductum ſiquid peccare colorem,
Clamarem. faciem non decet iſte color.
Singula delerem variis errata lituris,
Subdita judicio linea quæque foret.
Hæc, & plura velim quoque te curare Meliſſe,
Ut tibi propoſitum perficiatur opus.

ELE-

ELEGIA V.

Sibi Virginem perpetuò amandam, & canendam propoſuiſſe.

SIquis erit, qui me viduam ſine amore juventam,
Ingratoſque putet ducere poſſe dies,
Ille idem tumidis quoque fluctibus æquora credat,
Et Cœlum ſtellis poſſe carere ſuis.
Tunc ego dimiſſa potero ſpirare Maria,
Immemorem cùm me fecerit alter amor:
Immemoremque novi faciet tunc ardor amoris,
Cum ſol inverſum curret, & annus iter.
Scilicet hoc longum pepigi tibi fœdus in ævum,
Ut te præ reliquis Partheni ſemper amem,
Ut narrata meo tua ſint præconia verſu,
Ut non præter te dicta ſit ulla mihi.
Sunt quibus alta tonant cantato carmina marte,
Sunt quibus in numeros culta puella venit.
Rura canunt alii, quo ſcilicet hortus in agro,
Et quo ſe felix vinea colle probet.
Hos memorare juvat, quo ſydere navita puppim
Æquoris immenſas dirigat inter aquas,
Et quibus inſidiis, quas ſint capienda per artes
Squamigerùm in medio credula turba mari.
Unam ego juravi numquam ceſſare Mariam
Dicere, materies illa perennis erit.
Non ego lavrigera cupio de fronde coronam:
Nil mihi cum ſertis pulcher Apollo tuis.
Non ego mœonias opto contingere metas
Per leve quadriugis vectus inane rotis.

Si

Si mereor, viridis crinem mihi cingat oliva,
 Noſtraque manſuetis muſa vehatur equis,
Et mecum in curru pariter vectetur eodem
 Armatus jaculis, & face divus Amor.
Ponè alii vates, aliique ſequentur amantes,
 Sola quibus, Virgo, cura placere tibi eſt.
Illis victor ego, & niveo ſpectandus amictu
 Dictabo caſtis carmina ducta modis;
Exponamque novas artes, queis dulcis Jeſus,
 Et quibus eſt pariter diva colenda Parens.
Plaudet, & inſolitum repetita voce triumphum
 Clamabit noſtras turba ſecuta rotas.
Euge ſacer, dicent, vates; nil mobile vulgus;
 Nil quo te poſſit lædere livor habet.
Perge tuos caſtæ luſus inſcribere Matri:
 Luſibus illa tuis tempora longa dabit.
Quid fidus tibi ſi Paſtor, ſi pulcher Amyntas,
 Endimion vel ſi, Lunave dicta foret?
Hæc ſua laus aliis fuerit; tibi gloria major
 Parthenidem numeris poſſe referre tuis.
Teliger interea mediis in plauſibus Ales
 Jactabit rapidas, concutietque faces;
Et modò figet in hos, modo tela vibrabit in illos;
 De tot ego pariter ſaucius unus ero.
Parce Puer notas in me torquere ſagittas;
 Non habet in nobis miſſa ſagitta locum.
Vincere quid domitum, victum quid perdere tentas,
 Injicis in vinctas cur nova vincla manus?
Ante pedes poſitæ venator parcere prædæ
 Suevit, & in captas mitior eſſe feras.
Sunt alii quorum cingit præcordia ferrum,
 Corda quibus gelida frigidiora nive.
Utilius potes hos jactis invadere telis,

Admota

Admota potes hos ſollicitare face.
Si tamen innumero videor niſi ſaucius ictu
Non aliter Dominæ poſſe placere meæ;
Perge mihi ſacris incendere pectora flammis,
Perge mihi jaculis corda ferire tuis.
Et cùm fera ſuos ætas expleverit annos
Accendat noſtros fax ea ſola rogos.
Frigida tunc nullo circundet buſta paratu
Pompa, nec inſcriptis ſtemmata picta notis.
Ante meos cineres tua pone inſignia; fractos
Cum telis arcus, cum pharetraque faces;
Quaque tua toties ego cuſpide vulneror, illa
Bina ſuper tumulo carmina cæde meo.
Qui nunc funerea pulvis jacet horridus urna,
Virginei quondam ſcriptor amoris erat.

ELEGIA VI.

Venatio.

CRaſtina venatu lux exercebitur omnis:
Hic quoque cœptus erit, te duce Virgo, labor.
Utiliore diem ſtudio traducere poſſem,
Quale foret de te verba diſerta loqui.
Aut tibi nexa ſuis donare roſaria ſertis,
Templave ſollicitos ad tua ferre pedes.
Hoc non diffiteor melius foret; at quoque curas
Hac etiam liceat parte levare meas.
Libertas feſſum ſi nulla remitteret arcum,
Segnius ex arcu miſſa ſagitta foret.
Æſtivo fruges qui tempore protulit, idem
Menſibus hybernis otia campus agit.

Fœ-

Fœminei non ſunt noſtra oblectamina luſus:
  Hoſtibus hæc placeat lubrica vita meis.
Me potius juvet umbroſas indagine valles,
  Et juga diſpoſitis cingere ſumma plagis.
Aut canibus lepores captare, vel alite plumbo
  Figere, ſeu variis illaqueare dolis.
Et modò comploſis in retia cogere palmis
  Deceptas viridis fraude coloris aves.
Hæc vati ſint, Diva, tuo ſolatia, ſed non
  Hæc te de memori tollere mente velim.
Viribus illa magis ſint irritamina noſtris,
  Ut pergam cœpta fortius ire via.
Sic intermiſſum quò vi majore reſumat,
  Longum intermittit ſæpe viator iter.
Quin ſtudio placuiſſe tibi conabimur iſto,
  Et te venatu promeruiſſe meo.
Fœdera nam ſervat qui connubialia turtur,
  A noſtro liber vulnere turtur erit.
Simplicitas faciet tutas nativa columbas,
  Et quibus eſt quædam cura pudoris aves.
Maxima pars prædæ fuerit mihi, ſiqua recedit
  A genio volucris, vel fera ſiqua tuo.
In Venerem proni lepores, vulpeſque doloſæ,
  Quique lupus rabidæ plus feritatis habet,
Nec minus accipiter, quia rapto vivere ſvevit
  Mille modis poſita fraude, doliſque cadet;
In captas quandoque tamen volucreſque, feraſque,
  Ut te demerear Partheni, mitis ero.
Reſpectuque tui laqueis exempta doloſis.
  Nidos in patrios miſſa redibit avis.
Nam ſcio qui ſævis gaudet (mitiſſima quippe es)
  Cædibus, ille tibi diſpliciturus erit.
Singula quid referam? mihi ſeu venator agendus,

Sive

Sive mihi potius ſcriptor agendus erit,
Seu fuerint nobis cerealia prædia curæ;
Una eris ante oculos Partheni, quidquid agam.

ELEGIA VII.

Ad Annulum.

ANnule virginei titulos inſcripte Puelli,
Parthenidis ſacras Annule ſcripte notas;
O mihi fas eſſet, quæ tu cœleſtia præfers
Nomina, pectoribus ſcribere poſſe meis.
Non ego cum Puero caſtam tam ſæpe Mariam
Ad reſponſuros vociferarer agros.
Nec meus arboribus modò in his, modò ſcriptus in illis,
Aut in ſaxoſis rupibus, eſſet amor.
Una ſatis foret, atque magis jucunda voluptas
In medio ſcriptos cordis habere duos.
Si tamen hæc noſtri nimia eſt audacia voti,
Nec ſpes eſt tanto munere poſſe frui,
Quod potero, tibi blanditias ſacer Annule dicam,
Blanditias titulis, nominibuſque tuis.
Utque loquentis agis partes, de Virgine tecum
Sic ego, cœleſti dę pueroque loquar.
Sæpe videris enim quoties tua littera viſa eſt,
Neſcio quæ tacita dicere voce mihi.
Sæpe etiam facere es viſus convicia, quod non
Mens eadem in nobis, quæ fuit ante, manet.
Ah peream, niſi ſim condicto in fœdere conſtans,
Idem qui caſtus nuper amator eram.
Crediderim potius ſine vita vivere poſſe,
Quam me juratam frangere poſſe fidem.

Sed mihi præcipuè ſpectanti gaudia præbes,
  Non quod materies aurea tota tua eſt,
Sed quia jucundas parvo geris orbe figuras,
  Sed quia ſigna meæ certa ſalutis habes.
Non ero continuas te cernere laſſus in horas,
  Donec vitalis tempora lucis agam.
Si fuerint lata ſubeunda pericula terra,
  Immenſo fuerint ſi ſubeunda mari,
Tu mihi per totas ſemper ſpectabere terras,
  Tu mihi per medias conſpicieris aquas.
Te ſpectem, cùm fera meos mors claudet ocellos,
  Te digito moriens deficiente geram.
Quanta feram tibi tunc admotis oſcula labris,
  Oſcula de lachrymis uda futura meis?
Non me terruerint læthi diſcrimina, non me
  Terruerit ſtygio vanus ab hoſte timor.
Nam quid ego metuam, ſuperi ſi nomina ſcripta
  Viſa mihi Nati, viſa Parentis erunt?

ELEGIA VIII.

Somnium.

VIſus eram in ſomnis prærruptum aſcendere collem:
  Parthenis in ſummo vertice Mater erat.
In ſomnis niſi quòd fuit hæc mihi viſa, ſuperni
  Hæc certè Pueri candida Mater erat.
Inſuetum longæque viæ, inſuetumque labori
  Me ſacer anguſto in calle præibat Amor.
Hunc ego quo poteram niſu majore ſequebar;
  Tardabat greſſus ſed mora ſæpe meos.
Nam vepreta ſuis obſtabant aſpera dumis,

Obſta-

Obſtabant dubio lubrica ſaxa pedi.
Adde quòd, ille ſuis cùm velox curreret alis,
A mage veloci ponè relictus eram.
Quod poſſum tamen, anfractus ſuperare laboro,
Atque ſalebroſi tubera dura ſoli.
Et modò tendo manus, modò languida brachia tendo.
Preſſus ab infidi conditione loci.
Sed nil tenſa manus, nil brachia tenſa juvabant:
Ibat præcipiti fortior ille gradu.
Protinus exclamo, quid me, quid deſeris ales,
Debueras noſtræ qui comes eſſe viæ?
Ocyor ipſe tuis celeras veſtigia pennis;
Nulla mihi officio ſubvenit ala ſuo.
Da mihi te ſaltem fugientem cernere poſſe,
Atque oculis, ſi non te pede, poſſe ſequi.
Plura locuturo, parte inſidiatus ab omni
Feſſa mihi paphius terga premebat Amor,
Et quod erat gravius nobis, tentabat euntem
Retrahere à cœpta perfidus ille via.
Fallebatque pedes objectis fraudibus, undè
Culpabat duram pes mihi lapſus humum.
Quin me (nam ſuberant pendentes undique rupes)
Auſus de ſumma vertere rupe fuit.
Quid facerem? neque me inſidias exire licebat,
Nec dare præcipiti terga voluta fugæ.
Qua datur inſtantem multa vi, jamque prementem
Arceo jactata, rejicioque manu;
Et modò me dextra, modò me detorqueò læva;
Irritus in ventos ſed labor omnis abit.
Tunc geminum partes dimiſi lumen in omnes,
Siquis præſentem forte tuliſſet opem.
Aut quo nuper erat, ſi viſa fuiſſet in alto
Colle Pareas; nec ſpes vana fefellit; erat.

Hanc ego ſuſpiciens, adſis mitiſſima dixi,
  Succurrant animo carmina noſtra tuo.
Carmina te longum numquam tacitura per ævum,
  De te, de puero carmina ſcripta Deo.
Tu pavido fer opem vati, da vincere poſſe
  Hoſtiles iras, terribileſque minas.
Vix ea: cùm tenues ſubitò deceſſit in auras,
  Et viſus nuſquam eſt qui prius hoſtis erat.
Quis noſtri pacem cordis, quis gaudia narret
  Cum meus à tanto deſiit hoſte timor?
Non ſic obtento lætatur navita portu
  Poſt maris, & dubiæ longa pericla viæ.
Ite pedes, properoque gradu decurrite, dixi,
  Jamque parum à noſtra vos procul eſtis hera.
Non vos inſidiæ, non ulla pericula tardant;
  A nullis metus eſt fraudibus, ite pedes.
Hæc mecum repetens ſubmiſſa voce, videbar
  Deproperare citum per juga collis iter.
Unoque obtutu greſſus, alioque ſupremi
  Obſervata mihi culmina montis erant.
Parva intervenit medii mora temporis; ecce
  Summa fuit celſi pars ſuperata jugi.
Quanta mihi fuerint tu conjice gaudia, Divæ
  Cùm potui vultu proximiore frui.
Læta Parens viſo minus eſt poſt prælia nato,
  Quem tulit extremum rumor obiſſe diem.
Procubui, pavidoſque in humum dejectus ocellos
  Percuſſi tremula pectora noſtra manu.
Ter mihi tentanti dulcem proferre Mariam,
  Hæſit prolato naufraga lingua mari.
Verba dabam ad numerum non pervenientia plenum,
  Atque interrupto dimidiata ſono.
Se tamen ut primùm trepidus pavor ille remiſit,
Ere-

Erexique oculos lucida in aſtra meos,
Aſpectata fuit primo mihi luminis ictu,
Quæ mihi luminibus carior una meis.
Splendida mirabar divini exempla decoris,
Et ſpeciem, qua non altera viſa prior.
Cinxerat auratas radiorum argenteus ordo
(Hæc illi fuerant gemmea ſerta) comas.
Neſcio quid cœleſte oculis radiabat, in ipſis
Sacrum neſcioquid, virgineumque genis.
Non ego in exemplum pulchræ ſuper omnia formæ
Proponam nitidi fulgida ſigna poli,
Non rutilas gemmas, non florum mille colores,
Aut laudem à pretio ſiqua tulere ſuo.
Hæc tantùm mater vicit Jeſſæja, quantùm
Præcellit reliquas aurea luna faces.
Sed quæ viſa fuit nobis res mira, premebat
Anguis colla ſuo candida Virgo pede.
Fallor, an ille fuit qui nos malè perdidit anguis?
Per quem funeſtum mortis aditur iter?
Hujus ad aſpectum non me qui cæperat horror
Continuit, quòd non talia verba darem.
Tune es qui primam docuiſti perfide matrem
Frangere primævo cum Genitore fidem?
Sed bene; qui fueras noſtrorum cauſa malorum
Virgo tibi tumidum contudit ecce caput.
Talia jactanti ſomnos abrupit inertes
Eoo veniens clarus ab orbe dies.
Protinus ut miſſo cœpi vigilare ſopore,
Blandibar ſomno credulus uſque meo.
Qualis erat verè (me credere nempe juvabat)
Credideram mea quod viſa fuiſſet hera.
An quòd amo, dixi, mihi per viſa irrita fingo?
Verane quæ cæpit nos ea forma fuit?

An potius mihi fata quies ventura retexit?
  Compoſuit caſus an ſopor ipſe meos?
Quæcumque hæc fuerint, cùm nox mihi ſomnia mittes,
  Singula de Domina ſomnia mitte mea.

ELEGIA IX.

Se nil præter Virginem canere poſſe.

CRedideram me poſſe aliquid committere chartis,
  Quod non Parthenia de Genitrice foret.
Jam ſatis eſt nobis, dixi, conſcripta Maria:
  Nunc mihi de cultu carmina vitis erunt.
Riſit Amor, Virgo pariter ceu prodiga vitis
1 Eſt, inquit, fructu facta beata ſuo.
De Cedro ſcripturus eram libanitide; Cedrus
2 Sed Libani pariter Dia vocatur, ait.
Viſa fuit memoranda deinde Cupreſſus; at apta
3 Virginis in titulos viſa Cupreſſus erat.
Ut propriis vidi ſucceſſibus orſa carere
  Carmine materies altera ſumpta meo eſt.
In mentem palmeta Cades venere, virentis
  Dos quibus eſt frondis, perpetuuſque decor.
Palma Cades ſed & eſt; Puer excipit, inclyta Mater.
4 Hanc ſibi pro titulo vindicat illa ſuo.
Tunc ego: ſi nequeo plantas; mox dicere flores
  Aggrediar; roſa ſit carminis ordo mei.

Illa

1 *Ego quaſi vitis fructificavi*. Eccl. cap. 24.
2 *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*.
3 *Quaſi Cypreſſus in monte Sion. ibidem*.
4 *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*.

Illa dionææ cùm ſit ſacrata parenti,
  Convenit in laudes non bene, Diva, tuas.
Teliger at contra Volucer: Jerichuntis in horto
5 Audiit à natis ſæpè Maria roſis.
Florida quin illi ſunt grata roſaria, & illi
  Ex his tu pariter nectere ſerta potes.
En ad diverſas iterum me vertere plantas
  Mens fuit, & cœpta, qua prius, ire via.
Æternùm viridis ſe Palladis obtulit arbor:
  Hujus ego in laudes jamque paratus eram.
Tu lætis formoſa comis, tu mitis Oliva
  Lenia tranquillæ ſymbola pacis habes.
Tu campis ſpecioſa tuis; hoc, reddidit Ales,
6 De caſta pariter dicere Matre juvat.
Dicturo Platanum, Jeſſæis & eminet, addit,
7 Ceu Platanus riguas frondea propter aquas.
Quando omnis noſtræ vis irrita ceſſerat artis,
  Mene inopem, dixi, copia multa facit?
Libera quæ reliquis, anne eſt mihi vincta voluntas;
  Adverſor votis an levis ipſe meis?
Hactenus intactum muſis peragrabimus orbem,
  Et quæ vicino littora ſole tepent.
Illic felices deſudant balſama ſilvæ;
  Cultus odoratis meſſibus halat ager.
Argumenta meis faveant modò talia cœptis,
  Quis ſcit an hoc ultra progrediatur opus?
Divus ad hæc. felix quæ profert cinnama tellus,
8 Quæque viret culto meſſis odora ſolo,

5 *Quaſi plantatio roſæ in Jericho.*
6 *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.*
7 *Et quaſi platanus exaltata ſum juxta aquam in* (*plateis.*
8 *Sicut cinamomũ, & balſamũ aromatizans odorẽ dedi.*

Et quæ grata legit nabathæus aromata paſtor,
De Domina prius hæc ſcripta fuere tua.
Cùm nec parte mihi quoque res bene cedat in iſta,
Experiar ſalſi vaſta profunda maris.
Dulce rudimentum Mariæ proferre volentis
Nomina, prolatum, ſubdidit ille, mare eſt.
Si mare, ſi tellus noſtris eſt uſibus impar,
Conabor numeris ire per aſtra meis.
Quid magis avrora pulchrum ſurgente videtur?
En avrora meum roſcida carmen erit.
Vel duo quæ ſummo collucent aurea mundo
Lumina, carmen erunt Lunaque, Solque meum.
Geſtator pictæ ſic ad mea verba pharetræ.
9 Parthenis electi nomina ſolis habet.
Nomina habet pariter lunæ, auroræque, decoros
10 Cùm ſurgens dubia luce colorat agros.
Scilicet, ajebam, toto nil reſtat in orbe,
In cœlo, aut ſalſis quod meditemur aquis.
Ingenii me vis, atque ars me deficit omnis;
Propoſiti videor neſcius eſſe mei.
Anne ego bella canam, caſtriſne educere tentem
Inſtructas acies, belligeroſque duces?
Nec tibi ſuccurrat, ſubjecit protinus Ales,
Horrida caſtaliis bella tonare modis,
Nec refer armatos media inter caſtra maniplos,
Hæc niſi de ſupera Matre referre velis.
Pace tua, pharetrate Puer, ſunt mollia dictu
Apta magis Dominæ, quàm fera bella meæ.
Mitia conveniunt illi, quia mitis & illa eſt:
Non laus ad genium Virginis iſta facit.

Fal-

9 *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.*
10 *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.*

Falleris, ille ſub hæc: ſolymæo à rege choorti
11 Par eſt inſtructæ pulchra vocata parens.
Ergone, clamabam, titulis ſeſe omnibus aptat,
Quæ ſemper cauſa eſt cur ego ſemper amem?
Nec potis ipſa ſuos mens eſt expromere fœtus,
Uſque adeo ſenſus poſſidet illa meos?
Aut facit hoc rerum in ſterili penuria mente,
Aut pauper venæ fluxus, & unda meæ.
Non facit hoc, iteravit Amor, penuria rerum,
Non pauper venæ fluxus, & unda tuæ.
Cauſa una eſt, quòd amas; tibi ſi contingat amorem
Ponere, tunc vates protinus alter eris.
Tunc tibi læta fluent pro quovis carmina voto,
Eloquio rebus conveniente ſuis.
Tunc poteris rigido pugnas accendere cantu,
Gæſtaque mæonio bella referre pede.
Sed quoniam partes ſacri profiteris amantis,
Non ideo arbitrii tu potes eſſe tui.
Sic ait, atque unam jecit de mille ſagittis
In mea jàm multis corda petita locis.

ELEGIA X.

Ad B. Virginem cùm author hypocondriaco affectu laboraret.

DIva Parens, quanam dicam contingere cauſa,
Quod mea corripuit corpora dira lues?
Non hæc proveniunt è poto damna lyeo;
Scis mihi quod ſimplex pene bibatur aqua.
Non

11 *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

Non hoc blanda facit, variique ſaporis orexis,
Cura eſt à variis abſtinuiſſe cibis.
Sunt procul à nobis veneris mala gaudia, non me
Lædit ad infames nox vigilata fores.
Et tamen inſani gliſcit vis effera morbi,
Pœna nec eſt nobis, quàm fuit ante, minor.
Proteus in ſubitas non tot ſolet ire figuras,
Quot miſer innumeris torqueor ipſe modis.
Torridus in venis modo fervor adæſtuat, ut me
Ignibus exuri jam prope, jamque putem.
Obſidet egelida modò me formidine mœror,
Ut prope me rigidas ſuſpicer eſſe nives.
Sepæ gerit dirum media inter viſcera bellum
Æolus, & rabida ſeditione fremit.
Sæpe reor novus errantem Copernicus orbem,
Circumagit denſo dum caput igne vapor.
Cumque ſua currens dum cernitur arbore ſilva,
Viſa eſt orphææ fabula vera lyræ.
Scilicet ipſa mihi quoque ſunt ludibria pœnæ,
Et mala ſunt luſu noxia facta ſuo.
Adde quod ut membris, ſic eſt animiſque, meoque
Ingenio pariter pernicioſa lues.
Sæpe tuas laudes me dicere, Virgo, parante,
Pernicies cœptis obſtitit illa meis.
Omnia perpeterer; ſed non te dicere poſſe
Quis niſi cui non es Mater amata, ferat?
Peſtis atrox, qua non eſt ſævior altera, parte
Hac ſaltem nobis mitior eſſe velis.
Dum me lene ſinas de Virgine condere carmen,
Cœtera ſis rebus triſtis ut ante meis.
Haud rebar ſacros te lædere poſſe poetas;
Sed mea quod poſſis lædere pœna docet.
Me miſerum! ſurdas hæc dum jactamus ad avras
Æſtu-

Æſtuat, & vires integrat illa ſuas.
O ego ne ferrem tantos ſine fine dolores,
Quàm mallem extremum claudere poſſe diem.
Triſte vel in mediis deducere cautibus ævum,
Quà via nulla homini pervia, nulla feræ.
Nec quiſquam docta nobis perſuadeat arte,
Olim quòd mea ſit reſtituenda ſalus.
Quos non ars ſuccos, quas herbas miſcuit? ulla
Nec tamen herba tulit, nec mihi ſuccus opem.
Triſtia non cana me fronde abſyntia, non me
Juverunt foliis intiba preſſa ſuis.
Corpus in æſtiva nil mergere profuit unda,
Venatu longos nil agitare dies.
Utilius poterat noſtris Podalirius impar
Non ullas morbis applicuiſſe manus.
Sed quam nulla queunt medicamina ferre ſalutem,
Alma potes vati Partheni ferre tuo.
Cum poſſis, nobis pariter te velle putandum eſt:
Non malè ſpes de te convenit iſta mihi.
Nam quis facundo poterit comprendere verſu
Te ſola quibus eſt reddita dante ſalus?
Vidi ego tela ferox cum mors ſua mittere vellet,
Per te porrectam continuiſſe manum.
Inveni pariter qui, te tantumòdò dicta,
Se referant propriis conſuluiſſe malis.
Præſentem tot mille tui ſenſere favorem:
Fac quoque ſim de tot millibus unus ego.
Quod ſi ſperata longos miſerata labores
Occurres nobis candida Mater ope;
Flore coronandas tibi ſuſpendetur ad aras,
Quæ narret caſus picta tabella meos.
Illic ſuppliciter triſtis, ſimiliſque gementi
Pingar, & effuſis mœſta per ora comis.

Et

Et quem tot curæ, quem tot fecere dolores,
In noſtro ductus corpore pallor erit.
At tu Virgo parens pictura ſtabis in illa
Biſſeno rutilum ſydere tecta caput;
Et me reſpicies placido mitiſſima vultu
Convertens oculos ad mala noſtra tuos.
Nec minus accepti monumentum inſigne favoris
Hoc in poſtremo margine carmen erit.
Hæc tibi ſanatus poſuit quæ munera vates,
Et cum muneribus cor, animumque vovet.

ELEGIA XI.

Ad B. Virginem, ut Vineam à ſe nuper conſitam fœcundet.

LÆta mihi culto pubeſcit vinea colle,
Et jam quarta, ex quo eſt conſita, currit hyems.
Hanc tu Diva potens numeroſis fructibus imple,
Optatis domini ne ſit avara ſui.
Auſpice te primo natis ſub vere racemis
Parcat depoſito dira pruina gelu.
Nullis rareſcat nebulis dum pullulat uva,
Capreolos nullo in palmite vitis agat.
Sint procul infeſti fures, ſturnique rapaces,
Et quæ vinetis inſidiantur aves.
Et cùm ſeptembrem declivior advehet æſtas,
Phœbus inaſſueta luce ſerenus eat.
Sic erit: intereà fœcundi munera ruris
Exponam templis maxima Diva tuis.
Deque novis lectas ſuſpendam vitibus uvas,

Quas feret ante ſuum vinea noſtra diem.
Nec ſatis hoc; donis addentur vota, preceſque,
Verbaque præcipue laudibus apta tuis.
Tu, dicam, ſpes una mea es, ſpes publica mundi,
Solamen noſtris, perfugiumque malis.
Plus oculis, ipſo quoque te plus diligo corde,
Plus ego te vita diligo Virgo mea.
Plus quoque diligerem, ſiquid te carius eſſet,
Sed nil præter te carius eſſe poteſt.
Præter te, Puerumque tuum: vos eſtis amori,
Et deſideriis unica meta meis.
Vos mihi jactato ventis, tumidiſque procellis
Eſtis in infido ſidera fida mari.
Hæc nos, vel certè non his diverſa loquemur:
Sit modò noſtra tuo munere villa ferax.
Auguror: educta melius jam proficit uva
Qui nuper ſine ſpe palmes inanis erat.
Noſtraque mirantur reliqui vineta coloni
Facta ſub auſpiciis uberiora tuis.
Siquis fertilior provenerit undè requiret
Autumnus; dicam, cauſa Maria fuit.
Illa meas vites, mea prædia ſoſpitat, illa
Temperat æſtivas, imbriferaſque dies.
Non ego labentis mores interpretor anni,
Aut celer eoo quid ferat Eurus equo.
Num malus inſolitos Auſter denunciet imbres,
Num Boreæ gelidas provocet aura nives.
Quid moneat vacuo, pleno quid Delia cornu,
Quid ſol cùm ſalſa nubilus exit aqua.
Tu mihi pro quovis Virgo ſpectabere ſigno,
Nam ſuevere ſua ſigna carere fide;
Et cum ſint lunæ, ſua ſint mendacia Soli,
Noſtra tamen tu non fallere vota ſoles.

Fac

Fac rata ſint mea dicta Parens; ut ſentiat omnis,
Quòd tua me ſolita dextera juvit ope.

ELEGIA XII.

De quodam mihi nuper objiciente, quòd mediam auguſtiſſimi Mariæ nominis ſyllabam produxerim.

NEſcio quis nobis eſt auſus vertere culpæ,
Quòd mihi pro Maria ſcripta Maria fuit.
Ergo aliquis noſtro leges imponet amori,
Et tradet linguæ jura ſuperba meæ?
Dempta ſit in reliquis libertas vocibus, una
Quod ſit libertas hac mihi voce velim.
Si Maria à nobis dicetur; cœrula credent
Se maria in ſcriptis dicta fuiſſe meis.
Adde quod eſt mihi dulce magis ſcripſiſſe Mariam,
Nam ſic in noſtra lenius aure ſonat.
Altera cauſa quoque eſt: menſuræ ſyllaba longæ
Dicenti gratam ducit in ore moram.
Nam cùm parthenidis compello nomina, vellem
Eſſe meo talem ſemper in ore ſonum.
Siqua odio nobis fuerint, vel ſiqua Parenti
Virgineæ, brevibus ſint memorata modis.
Atque ea ſi poterunt illa, aut hac voce referri,
Contractis potius vocibus utar ego.
Sic mihi pro culpa dictum ſcelus, & mihi dictum
Pro longa brevius ſit mihi clade malum.

Idalii

Idalii pharetra, ætherei dicetur Amoris
  Scribenda in verſu longa pharetra meo.
Lene juvat Dominæ ſic noſtræ inflectere nomen,
  Et quæ ſunt Dominæ grata futura meæ.
Illa abigit mæſtos mihi vox de pectore ſenſus,
  Tranquilloſque facit leniter ire dies.
Certè ego dum curis ago triſtia tempora, noſtræ
  Nil aliud curæ quo medeantur habent.
Quis mea dum fato raperetur præcoce conjux,
  Solamen nobis rite daturus erat?
Quos ego non gemitus, quæ non ſuſpiria fudi,
  Quæ non vota ſuam non habitura fidem?
Ergone, clamabam, miſerum me deſeris uxor,
  Plus vita, atque oculis uxor amata meis?
Ergone te amplexu poterit divellere noſtro,
  Invida quæ ſolvet funeris hora duos?
Nec te quæ referat, conſoleturque parentem
  Certa ſatis vitæ eſt unica nata ſuæ?
Hæc ego: ſed mediis clamata Maria querelis
  Lenibat quavis fortius arte malum.
Scilicet illa fuit clamanti dulcior ipſo
  Melle, quod in cellis parca laborat apis.
Dulcior ambroſiæ ſucco, ſvavique liquore,
  Quem matutinus ſpargit ab axe dies.
O utinam cùm me quoque ſera vocaverit hora,
  Sit nomen mea vox ultima, Diva, tuum.
Tunc me nil brevior, nil ſyllaba longa movebit;
  Si fruſtra fueris non mihi dicta, ſat eſt.

ELE-

ELEGIA XIII.

Ad Angelum tutelarem, ut hunc libellum Virgini dono ferat.

EXiguus nobis, ut ſcis, eſt Dive, libellus:
 Mens fuit hunc Dominæ mittere ſæpe meæ.
Hunc quoque, ſiqua tui tangit te cura clientis,
 Ipſi Parthenidi te modò ferre velim.
Parva nec obiicias quòd ſint hæc munera; cœptum
 Ingenti prius hoc mole volumen erat.
Extenuavit opus jurati cura pudoris:
 Pars operis flammis tradita nempe fuit.
Pars operis non caſta, ſuis quæ luſibus audax
 Virgineæ Matri diſplicitura fuit.
Ante tamen quàm dona feras commiſſa Parenti,
 Singula judicio carmina ſubde tuo.
Deme meis quod erit melius tibi demere viſum;
 Addere quod viſum verſibus adde meis.
Siquis erit titulus, qui non reſpondeat illi,
 De qua ſum conſtans factus amator ego,
Illum aliis expunge notis, titulumque lituris,
 Noſtraque non miti corrige ſcripta manu.
Si fuerit quævis, ut erit de cœlite Diva
 Laus minor, inventis aucta ſit illa tuis.
Nomina præcipuè fuerint ubi dicta Mariæ,
 Dura injucundi rejice verba ſoni.
Illius & lenes adhibe in præconia voces,
 Svavior ambroſia verſus ut omnis eat.
Hæc ubi præſtiteris, mea fer donaria caſtæ

De-

Deponens niveos Virginis ante pedes.
Invenies illam forſan repetita ferentem
Pro mundi Nato vota ſalute ſuo;
Aut extorquentem divina fulmina dextra,
Fulmina criminibus debita ſæpe meis.
Quidquid aget, dic, Virgo, tuus tibi carmina vates
Mittit, & accipias qualiacumque rogat.
Scribendi quæ ſola fuit, ſic unica cauſa
Illi mittendi muneris eſt, quòd amat.
Si tamen aſpiciet, mihi quod contingere nolim,
Averſis oculis hæc mea ſcripta Parens,
Tu blandas appone preces, aptaſque Mariam
Flectere, tu partes conciliantis age.
Quà poteris prætende meis velamina culpis;
Nixa patrocinio ſtat mea cauſa tuo.
Sed puto tranquillo (quid enim clementius illa?)
Exceptum vultu Dia probabit opus.
Nam quibus eſt Cypris, quibus aut cantatus Adonis,
Ex illis non ſum vatibus unus ego;
Ex illis neque ſum, triſti qui prælia verſu,
Et verſu, & rabida prælia voce movent.
Siqua igitur caſto merces eſt debita vati,
Divam pro caſto plurima vate roga.
Non ſunt in noſtris ingentia prædia votis,
Vanaque ſollicitum quæ bona vulgus amat.
Nec me blanda movent ſperatæ præmia famæ,
Nec quæ poſt cineres gloria ſera venit.
Tu face, quòd noſtros non dedignetur amores
Parthenis, hoc felix munere viſus ero.
Horaque cùm nobis advenerit ultima, miſſum
Quò nunc eſt carmen, carminis author eat.
Has fer rite preces, mea dum monumenta reponas
Quolibet, aut mage quo juſſerit illa loco.

Fallor ego, an caſtos inter Jeſſæa poetas
Carmina te Mater ponere noſtra volet?
Inter & Hoſciadem verſo in ſuſpiria cantu
Lugentem Domini funera amara fui?
Inter & ambroſio referentem Deslion ore,
Parthenius qua ſit lege colendus amor?
At niſi carminibus noſtris, poſt funera ſaltem
Sit mihi fas tali degere poſſe loco.
Meque parens ſolio Virgo deſpectet ab alto
Inter cœleſtes carmina ferre choros.
Hoc precor, hoc nobis auſim promittere, nil eſt
Quod non de ſupera Virgine ſperet amans.

HENDECASYLLABI.

NIl te dulce magis poteſt Jeſu,
Nil te dulce magis Maria quidquam
Aut vox dicere, menſue cogitare.
Audiri nihil eſt magis ſuave,
Quàm formoſe tuum Puelle nomen,
Quàm formoſa tuum Maria, dum vos
Tota mente gero, mihi beata
Cor dulcedine recreat voluptas:
Ni vos mente geram, meum relinquant
Pectus gaudia, deſerat voluptas.
Si me ſollicitis utrinque curis,
Aut vexet dolor, aut amor perurat,
Eſtis ſola meo quies dolori,
Eſtis ſola meo quies amori.
Quo me cunque ferant pedes, vel agros,
Vel cæcas nemorum petam latebras,

De-

Deſertos Puerum voco per agros
Silveſtres Mariam cano per umbras,
Et quodcumque voco, vocant & illi,
Et quodcumque cano, canunt & illæ.
Cùm noſtros placidò quies ſopore
Artus irrigat, anxiiſque curis
Affert inocuum levamen, illos
Vita qui mihi plus amantur ipſa
Nox tranquilla refert, preceſque ſupplex
In noſtras videor vocare Natum,
In noſtras videor vocare Matrem.
Horis evigilans amo diurnis,
Nocturnis amo ſomnians in umbris,
Nox eſt nulla mihi, dies nec ulla
Jeſu te ſine, te ſine ò Maria.

FÆlix dic mihi, dic Mariæ amator,
Dum tecum repetis ſerena læti
Cordis gaudia, quæ perennis inſtar
Fontis perpetuò parit voluptas,
Non dives magis, & magis beatus
Unus præ reliquis tibi videris,
Quàm ſi Perſidis, indicique Gangis
Theſauros gravida premas ſub arca?
Dum ſupplex precibus vocas amatam,
Dum flectis precibus diu vocatam,
Dumque eſt viſa ſuo Parens amore
Reſpondere tuo lubens amori,
Non divùm prope vel tibi videris
Æqua ſorte frui? decora pulchris
Si gemmis magis, igneiſque ſtellis,
Et luna magis, aureoque ſole
It Virgo tacita reditque mente,

Non ſordet tibi quidquid orbe toto
Formoſum magis, inclytumque præſtat?
Si quando ætheriæ vocas Mariæ
Nomen dulce, ſuave, juge nomen,
Non vox ambroſio videtur illa
Succo dulcior, atticoque melle?
Cùm poſt funera cœlitum receptus
Inter delitias beatiores
Vultus aſpicies, quibus pudica
Solatur Genitrix pios amantes,
Felix dic mihi, dic Mariæ amator,
Hæc eſt cœtera nonne cogitanti
Supra gaudia gratior voluptas?

TOta es Virgo decora, tota pulchra es,
Tota es gratia, candor, & venuſtas,
Nec te continuas amem per horas?
Vel ſi Partheni non amare vellem,
Non te Partheni non amare poſſem
Tu ſolamen ades meis querelis,
Et tutamen ades mihi in periclis,
Te nec in mediis vocem querelis,
Te nec in mediis vocem periclis?
Vel ſi Partheni non vocare vellem,
Non te Partheni non vocare poſſem.
Te præter mihi nil videtur aptum,
Quod cantare meæ queant camœnæ,
Te nec perpetuos canam per annos?
Vel ſi te canere ò Maria nollem
Non te non canere ò Maria poſſem.

ODE

ODE BUCOLICA.

INTERLOCUTORES.

Lycon, *Daphnis*.

L. CUi tu Daphni roſas, anne Amaryllidi?
D. Non, verùm ſuperæ Parthenidi: meum
Prædata eſt mihi nuper
Cor pulcherrima Parthenis.
L. Prædata eſt tenerum cor tibi Parthenis?
Hoc tunc crediderim, cùm leporem canis,
Cùm prenſam ferus ore
Deponet pecudem lupus.
D. Non ſum qui fueram; non mea cogitat
Curas mens veteres, nec mea concinit
Cæcos amplius ignes
Vafræ fiſtula cypridis.
L. Sacras undè novus factus amans faces
Imo corde foves, qui modò ſueveras
Primævum maleſanis
Ver impendere luſibus?
D. Alta, quod fatear, nuper in æſculo
Signabam tenui falce Amaryllida.
Ad primam manus hæſit
En perterrita lineam.
Dein poſt cùm reliquas ducere ſyllabas
Tentarem facili cuſpide, dextera
Cœptis favit, & ultro
Noſtris paruit uſibus.
Et jam neſcio quo ſcriptus erat *MARI*
Cortex; ecce novum blanda neceſſitas

Alpha inſcribere trunco
Ipſo juſſit in exitu.
Inciſas oculis dum repeto notas
In duro relegens ſingula ſtipite,
Lævi ſculpta Maria
En apparuit arbore.
Ex illo Mariam candida lux mihi
Nox jucunda refert, nec mihi carior
Viſa eſt ulla, nec ulla
Noſtro carmine dignior.
L. Nobis mira refers Daphni, ſed æſculus
Dic quo colle viret? cum Maria ſuum
Hìc ſignare Puellum
Ardor me novus incitat.
D. Thelioris patulum ſcis ubi verticem
Denſis ſilva tegit frondibus? explicat
Hoc ſe monte dicata
Noſtris arbor amoribus.



GEOR-

GEORGICA,
&
MISCELLANEA.

ALE-

ALEXANDRO
SFORTIÆ

Neocæſarienſi Pontifici, & apud Allobrogum Principem Oratori Pontificio.

THOMAS RAVASINUS.

INclyta Sfortiadum ſoboles, cui maſcula virtus
Regales per avos, & avitas ducta tiaras
Imbuit ingentes auguſto ſanguine venas;
Victoreſque olim populorum, & Palladis arte
Inſignes implent atavi longo ordine faſtos,
Hoc tibi Cingulides properatum carmen ad undas
Vovimus, obſequium æternos profitentis in annos
Pignora, nec monumenta ullo interitura ſub ævo:
Parva quidem fateor, nec idonea munera, ſed, qua
Uteris in cunctos, tua ſi clementia nobis
Faverit, excipiens placido donaria vultu,
Accedet noſtris nova gloria verſibus, & quæ
Parva prius fuerant, te præſide maxima fient.
Non aliter vacuos animæ, & ſine corpore, lucis
Sol pater, attollit viles ſuper aſtra vapores,
Elatoſque polo, formaque, & nomine donat;
Quin ipſos pulchram diffingit in Irida, pictas
In nubes cogit, minioque colorat, & auro;
Nec ſatis hoc; ſtellas ſimili propè luce referre
Sæpe

Sæpe docet, par eſt, niſi quòd citò tranſit imago.
Pars culpæ tamen eſt, quin magni criminis inſtar
Te magnum parvis patronum adſciſcere ſcriptis,
Qui fore materies, argumentumque canenti
Debueras, totoque labor jucundus in ævo;
Sol oculos nimia ceu luce retundit, inertes
Sic tua laus præſtringit, & ingens gloria ſenſus,
Eſtque tuis vatum ſuperata audacia factis.
Andino ſiquis te cantu, altove cothurno
Ferre per ora virùm, talemque effingere vellet
Qualem mirata eſt populo dare jura volenti
Hoſpita muſarum quondam Ferraria ſedes,
Quæque jacet ſalſis interſita fluctibus Ancon,
Idem purpureum conetur pingere ſolem
Divitibus, miſeriſque æquali luce faventem,
Perpetuoque ſuos ſignantem munere curſus.
Eſt aliis, ſed quod præſens definiat ætas
Conſpicuum decus, & generoſi gloria facti;
Præſentis tu laudis, & alta deinde futuræ
Suppeditas exempla, canendaque plura ſuperſunt,
Quæ tibi venturis ſera ætas deſtinat annis,
Quam quæ promerito modò te comitantur honore.
O' mihi ſi reliquæ ſpatium producere vitæ
Fata ſinant, quò te fulgentem murice votis
Aſpiciam plenum communibus addere pondus,
Purpureique decus, numerumque augere Senatus,
Quos non extollam plauſus, quæ non mihi pectus
Gaudia perfundent! tùm carmine docta ciebo
Numina Pieridum, totumque Helicona movebo.
Quandoquidem tantis vis eſt conatibus impar,
Sat mihi ſit voluiſſe tuas intexere laudes;
Sat tibi ſit quoque vate cani meruiſſe, ſed illo
Vate, impacatum qui Trojæ immiſit Achillem.

PRATA

LIBER I.

HActenus agreſtes paſtorum inflare cicutas
Cura fuit, ſuperæque elegos inſcribere Matri:
Nunc quo prata velint ſtudio, cultuque parari
Alter erit memorare labor. ſtellantis Olympi
Diva potens, tua ni ſolito præconia cantu
Proſequor, & ſtudiis feror in contraria verſis,
Da veniam noſtris, quæcumque ea culpa, Camænis:
Tempus erit, tua cùm totum latura per orbem
Nomina, ſemotos mea Pieris ibit ad Indos
Mæoniis invecta rotis, ſolique negatum
Affectabit iter; mille hinc, mille inde ſecuti
Parthenii te ſumma ferent ad ſydera vates.
Primus ego ante alios caſta præcinctus oliva
Aurea pulſatis modulabor carmina nervis:
Plaudet, & ingenti jeſſæam voce Parentem
Scriptorum chorus omnis, & omnis turba ſequentum
Clamabit populorum: excelſi lucida Mundi
Clauſtra tonant; imitata ſonos redit aura, Mariam
Reſponſant valles, reſponſant aſtra Mariam,
Omnia reſponſant iterata voce Mariam.
Jamque fave, & tenues audire facillima Virgo
Carminis ad titulos ne dedignere vocari.
Siqua tenet prati te, villice, cura parandi,
Mite ſolum, pinguique ferax uligine, quod nec
Stagnantes rivos, lapidoſave rudera culpet,
In plano ſortire loco: reſpondeat æqua
Aeris, & placidum ſervans pro tempore morem
Temperies: tardo quæ vere remittitur ora

Sera nimiš differt herbas in tempora, nec ter
Pratenſis fundus, nec bis tondetur in anno
Contentus ſemel eſſe ferax; quin mollia ſolis
Aſſidui poterunt malè gramina ferre vapores,
Sicubi perpetuo ſitiens ardore laboret
Annus, & incumbat terrìs arentibus æſtas.
Quæ tamen ingenium declarent ſigna locorum
(Pinguis enim lætis tellus accommoda pratis)
Accipe. difficilis prodit jejunia terræ
Illaudata filix, ſpinoſos aſpera echinos
Caſtanea, & brumæ nulla violabilis ira
Juniperus: contra fœcunda Cydonia pomis,
Quercus opaca comas, & vitibus utilis ulmus
Et florens in ſpem baccæ ſambucus amaræ
Ubere proveniunt gleba: ſuper omnia ſalſam
Quidquid tellurem, ſuccique accuſat egenam
Obſervare prius, mox & vitare memento.
Nec tamen arcanos te cœli ediſcere mores,
Naturæve velim, num vena divitis auri
Nativone magis laudetur ſulphure felix
Agri conditio; mœſto quid Plejades ortu
Præmoneant, aut infeſti Mars arbiter anni,
Signaque ad occaſum quæ convertuntur, & ortum:
Sat fuerit tibi præteritos proponere rerum
Eventus, longumque artem formare per uſum;
Et cùm luna vocat (de ſtellis omnibus unam
Hanc audire potes) lunæ parere vocanti.
Hæc ubi præſtiteris, quod tu ſelegeris aptum
Sæpius impreſſo ſeu vomere, ſive bidente
Verte ſolum, dein raſtro auſas aſſurgere glebas
Deprime, compoſitoque æqualiter undique campo
Sparge per innumeros herbarum plurima ſulcos
Semina, quæque herbis deſignas arva ferendis

Aut

Aut vicia ſere, vel farro flavente, dein cùm
Nata recens meſſis ſpem fecerit, injice natis
Meſſibus in lato quidquid fœnilia ſundo
Depoſuere; ſed uda dies, nimboſaque tali
Decernenda operi; ſecus arida ſemina longis
Solibus, & cœlo pluviis parcente ſitirent.
Temperies igitur modò faverit humida, fœtus
In varios ibit projectum ſemen, & ipſa
Incipiet viridem meditari terra colorem.
Atque ubi diverſis, quas annus proferet, herbis
Venerit à gemino collecta audacia vere,
Tollet denſa comas, & circumfuſa virentem
Luxuries umbrabit humum; tu gaudia læto
Corde premes, herboſa videns pubeſcere rui
Laudabiſque tui felicia cœpta laboris.
Ergo tibi cùm verna dabit ſe pompa viden
Contemplare, leves pariter num ſurgat in au
Infelix ſoboles, audax erumpere bruma
In media elleborus, ſeſe confeſſa maligno
Tactu urtica, ſuos ingrata abſyntia ſuccos,
Sanguineum baccas ebulum, rubicundaque florem
Malva ſuum: prunus ſilveſtris ſæpè, minaces
Interdum ſubiere rubi: tu vindice ferro
Perſequere inviſum genus, & radicibus altè
Erve quæſitis: radix intacta feracem
Suppeditat ſilvam, matremque ulciſcitur hæres
Plurimus avulſam: nullo non tempore longam
Curam adhibe, donec tandem infelice levetur
Prole locus, ſolo & ingenium ſilveſtre recedat.
Eja age, non nè vides ut culta novalia nuper
Nunc dici obtento mereantur prata virore?
Rumpe moras, lucem phœbo ſpondente ſerenam
Æſtatis, veriſque inter confinia, cùm jam
Velle

Velle videntur abire omnes in ſemina flores,
Cotibus armatos, & acuta falce colonos
Lata in prata voca: te crebro urgere vocatos
Hortatu jubeo, dum mollis rore recenti
Lenteſcit, curvis nec falcibus herba reſiſtit.
Nec mora; cernere erit ſolem prohibente galero
Protectos caput, exutos thoracas agreſtes
Inſudare operi, & duram exercere frequenti
Dexteritate manum: æquali veſtigia ponens
Quiſque loco, rotat uno, & eodem tempore ferrum,
Quaque ſecat, teneras quoque falcę recolligit herbas,
Et ſectas poſt ſe longo aggerat ordine: duro
Hiç aciem renovat ſaxo, tenuatque frequenti
Attritu; offenſis facit hic convicia ſaxis,
Ille moras operis depreſſis imputat herbis,
Accuſatque graves æſtus; modò tollit ad aſtra
Clamores imcompoſitos, modò ruſtica pubes
Miſcet verba jocis incondita, ſilva cachinnis
Reſpondet, vociſque frequens iteratur imago:
Sepè aliquis denſa reſidens venator in umbra
Audiit, & tumulo ridens deſpexit ab alto.
Parte alia fuſcæ nudato crure puellæ
Gramina diſpergunt calido, verſantque ſub æſtu,
Aſſiduoque agitant opere: hæc mala tædia dulci
Colloquio levat, & fabellas narrat inanes;
Ad numerum illa modos, alternaque carmina dicit,
Hiſque levant ſtudiis, intermittuntque labores.
At vos pratenſis dum res curatur, aquarum
Parcite ceruleæ rivos invergere nubes;
Aut prius effuſi quam rumpant æthera nimbi,
Venturos certis nimbos oſtendite ſignis;
Quò poſſint celeres inſtantia damna coloni
Antevenire, ſuos & maturare labores.

Signa

Signa tamen quæ ſint, verborum non ego longo
Pandam circuitu. gravidæ ſi fortè ſupernos
Involvant nebulæ, ceu candida vellera, montes;
Si maris abſentis dubium pertingat ad aures
Agricolæ murmur, lucis vel nuncius ales
Intempeſtivos cantus moduletur, aquoſa
Haud multùm diſtabit hyems; nec te imbrifer auſter
Fallet, & inſolitus ſolis vapor, aut ubi ſummo
Denſior apparet ſtellarum exercitus axe:
Si tamen ingentes evadere non potes imbres
Siccatos nec ſole domum adveſtare maniplos,
Illos in medio congeſtos extrue campo
Paulatim decreſcentes in vertice, ut alta
Pyramis, irriguis via quò ſit libera guttis,
Neve ſtrues penetretur aqua: formoſa reducet
Cùm Titana dies, poteris tunc ordine nullo
Heſternas prati exuvias oſtendere ſoli:
Imbriferum humorem ſol decoquet; aut domus abſit
Ni procul, & tecto plauſtrum quæ protegat alto
Porticus, injectum properanter convehe fœnum
Ad vicina domus celeri magalia plauſtro;
Poſt tectis ſecta educes, & gramina longæ
Expones iterum, quò fiant arida, luci.
Sed ne, tondendis dum curam impendere pratis
Tempus adeſt, quiſquam inviſa me durus in urbe
Detineat; juvat ire, & agros luſtrare virentes,
Atque operas primo ſub mane reviſere, fundi
Nequa malè attonſi veſtigia ponè relinquant,
Neve mora in longum ducant opus, utque levetur
Æſtivi ſpatium, duturnaque tædia ſolis,
Dum reliqua agreſtum vacat herbis turba ſecandis,
Mollibus in pratis captans avido ore locuſtas
Venamur volucrum genus; eſt mihi fœta capacem
Lethali

Lethali plumbo, & nitrato ſulphure ventrem
Ferri canna teres, truncoque incluſa cavato,
Cui celeres addit ſtimulos, animoſque miniſtrat
In flammas abitura ſilex: tum ſi aere ſummo
Circuitu alludat crebro, & ſe mittat apertos
In campos pronis ſturnorum exercitus alis,
Continuò inſidias ſolerti molior arte
Arborea latitans, & inobſervatus in umbra:
Et nigras lis inter aves ſiquando coorta eſt
Verme ſuper capto, vel Papilione, ruuntque
In prædam, plureſque unà glomerantur, ego tùm
Conſulta extrema fatalis arundinis ora
In volucres rectos collineo protinus ictus.
Nec mora; vix catuli monitum properantis arundo
Audiit, ecce novas ætnei fulminis inſtar
Ore vomit flammas, plumbique volatilis imbrem
Ingenti explodit tonitru; miratur in agris
Longinquus ſonitum Paſtor, ſecumque requirit
Venatu quiſnam vetito, haud ſe talibus auſis
Temperet: interea alituum moribunda per agros
Pars linquit tenues animas, aut ſaucia pennis
Sperat inutilibus fruſtra contendere ſummos
In colles, pars declinata à cæde ſuperſtes
Avolat iratæ ſimilis, ſalicique propinquæ
Inſilit. Haud ſecus hoſtiles in valle phalanges
Opperiens latebris miles ſe condit opacis:
Atque ubi fulgentem clypeis, atque ære maniplum
Adventare videt, feralia protinus arma
Expedit, & certos nondum determinat ictus
Impatiens: fraudum interea ſecura nigranti
It convalle phalanx, patulaque ſub ilicis umbra
Fert iter; adverſa erumpens tum parte ruentum
Ex inopinato manus ingruit, & ſibi ſtricto
Enſe

Enſe minax, tortiſque furens haſtilibus hoſtem
Per medium rimatur iter; numero ilicet ille
Obruitur; jamque enſe latus perfoſſus adacto,
Lataque contorto trajectus tempora plumbo
Purpuream vomit ore animam; hic dejectus anhelis
Pulverulentus equis trahitur, ſupremaque fruſtra
Numina conclamat; pars in latebroſa ſuperſtes
Luſtra fugit, monteſque procul contendit in altos.
Sed jam longinquis ſolis morientis imago
Apparet procul in campis; fœnilibus infer
Siccatas, prius humeſcant quàm roribus, herbas.
Ergo ſuper lentis Corydon cum Daphnide plauſtris
Injiciat parvos fœni crepitantis acervos;
Cui ſuper è medio reſpondeat axe Menalcas
Submiſſos dextra accipiens, lævaque maniplos
Componens latere ex omni: non innuba deſit
Teſtylis, in cumulum quæ raſtro adducat acerno
Quidquid preteriit manus inconſulta, vel error
Impatiens vernæ nimium properantis; & horum
Sæpe aliquis circumverſis obſervet ocellis,
Ne forte à læva, dextra vel parte laboret
Indigeſta ſtrues; aliter rota concita partem
In proclinatam radio ſtridente recumbet
In media reſupina via: quoties ego læto
Quando alacres ibant animo, & nil tale cavebant
Agricolæ, traheam vidi in tranſverſa ruentem
Procubuiſſe, & humum lata ſtraviſſe ruina
Ante expectatum! tales avertere caſus
Ipſe potes, rectum ſervans quàcumque tenorem,
Et ſuper injectis torta de cannabe vinclis.
Tecta reponendo nunc quæ ſint commoda fœno
Expediam, & qui mos genti ſit cuique reponam;
Alpibus in ſummis crebras ubi turbidus Auſter

Exer-

Exercet pugnas, & prælia conſerit Eurus,
Undique protecto cœli perflantis ab ira
Sub lare componunt fœnum: via ſiqua pateret,
Muro intermiſſo, & venienti janua vento,
Graminis arentis ſtipulam è fœnilibus imis
Æolii erverent fratres, & turbinis ingens
Vis in diſcordes longè diſperderet auras.
Plana tamen qui rura colunt, colleſque benignos,
Tecta ſtruunt pilis innixa, adapertaque parte
E' gemina, undè ſtrues ſe fœni porrigit extra,
Suevit ubi ſero ſe veſpere condere Paſſer:
Læve pavimentum quadris ſubſternitur intus
Coctilibus, ſubterque parant præſepia tauris;
Verùm contiguas ædes, fœniliaque alta
Latè ingens ſpatio diſterminet area juſto;
Ne ſi forte (Dii tales prohibete ruinas)
Aprendat vis pratenſem vulcania meſſem,
Corripiat pariter tabulata, & aperta domorum
Limina, cumque ſuis vertat longa atria muris.
Tempus erat quondam, cum prati nulla parandi
Cura, nec ulla fuit cumulandi in tempora brumæ
Gramina jejunis victum præbentia tauris.
Tantùm inter ſilvas, neglectaque paſcua ruris
Errabant armenta, aut ſicubi meſſe levatus
Sublata injuſſas campus ſubmiſerat herbas;
Inde pruinoſos Borea revehente decembres
Triſtia pellebant paleis jejunia ſiccis,
Aut de populea ramalibus arbore vulſis.
Viderat hoc amphryſiacum dum Phœbus ad amnem
Molles paſcit oves; nec longum tempus; agreſtem
Inſtituit pubem falces tractare recurvas,
Et ſectas calidis proponere ſolibus herbas;
Dein longæ ſervare hyemi; monſtravit & ægro

Paſcua quæ pecori felici in colle faverent,
Quæ nocitura forent: non tempeſtate ſub illa
Lethales taxi, aut miſeros funeſta legentes
Fallebant aconita, nec infelicibus agris
Depaſtas pecudes varii facto impete morbi
Invaſere; potens medica ſuccurrere divus
Paſtor ope, afflatus cœli, moreſque malignos
In melius vertebat. Ego hinc pauliſper ab orſis
Digrediens canerem agricolis, populoſque docerem,
Quo culpanda ſitu, pecorive ſit utilis herba,
Cur hædis alpina magis, timidiſque capellis
Paſcua conveniant, aut qua convalle bidentes,
Ubera vel ſaturæ referant diſtenta juvencæ;
Sed me triſte furens ſubter præcordia peſtis
Primævo miſeram carpens ſub flore juventam
Dulcibus avertit ſtudiis, primiſque ſub orſis
Vota interpoſitæ fruſtrantur inania curæ,
Nec faciles muſæ, aut dexter tutatur Apollo
Perniciem adverſus tantam. Quis plurima morbi
Semina, quis varias ſpecies, & nomina mille
Carminibus memorare queat! modò lethifer æſtus
Correptas agitat fibras, modò frigidus horror
Ingruit, utque Notis, rigidiſque Aquilonibus acta
Vertice decuſſo dubitat fluvialis arundo,
Sic mea diverſis huc illuc percita cauſis
Vita labat: quoties diſtenta per ilia murmur
Perſonat, inducta quoties caligine teter
Inſultat capiti vapor, & vertigine longa
In tranſverſa rotat! Stomacho faſtidia quævis
Eſca movet, lentore tenax, & amara calore
Officit, undarum ſuperenatat humida more,
Urit aduſta ſiti, deſpecta in tædia dulcis
Vertitur, eſtque acidus noxæ ſapor; acer edendi
Corri-

Corripit interdum furor, & pejore fugatur
Nauſea longa malo: fictarum improvida rerum
Suſpicio inventrix, mens & prænuncia cladum
Torquent ancipites dubia formidine ſenſus,
Certa ſubeſt neque cauſa. Feris tot cladibus impar
Pergama non bello ceciniſſet capta biluſtri
Meonides, nec Trojugenam mala talia paſſus
Minciades dicturus erat: ſub nocte ſopora
Somnia cùm porta Morphæus emittit eburna,
Occurrunt ſimulacra modis pallentia miris,
Umbrarum tenues animæ, defunctaque letho
Corpora, dein lucem Phœbo revehente diurnam
Horribiles repeto formas, & magna doloris
Pars meminiſſe mei eſt. Non me ſolatia ruris
Ulla juvant, non aſſiduo quæſita voluptas
Venatu; quævis longos mihi cauſa dolores
Integrat. O rerum Virgo ſpes una mearum,
Ærumnis ſpes certa meis cœleſtis Achates,
Credita cui noſtri ceſſit cuſtodia, ſiquis
Tangit amor, vel ſi pietas movet ulla, labores
Arcete innumeros, atque hanc avertite peſtem
Parthenii memores vatis. Quod ſi ſua longis
Non deerit votis, parvis ſua gratia donis,
A' dextra tibi magna Parens, tibi pervigil Ales
A' læva, in medio duo ponam altaria templo
Phidiaca cœlata manu, & modò, ut hactenus, æra
Tuetonicis poſthac non ſint pendenda catervis,
Auratis pingenda notis; ingentia rerum
Monſtrabunt ſuperimpoſitæ monumenta tabellæ.
Illic primævo gaviſus crimine ſerpens
Depicta ſidet ſuper arbore, torvaque vibrans
Lumina flexibiles ſeſe ſinuabit in orbes:
At tu cæruleo Genitrix deſcripta veneno

Colla premes: fruſtra ille altas ad ſydera criſtas
Eriget, & fictas nequicquam aſſurget in iras.
Parte alia bella Aligerùm, & feſtiva trophæa
Narrabit pictura loquax: pennata juventus
In pugnam ruet, & Michael fortiſſimus unus
Numinis inſcriptum ſuperi haud effabile nomen
Obtendet clypeum, & flammarum miſſile fulgur
Armipotente manu jaciet; ruere æthere credas
Deſertricem animam, caudæque volumine tractos
Ignitum rapere in præceps per inane maniplos.
Vos adeò gemini eſte meis ſecura medela
Lenimenque malis, veſtro quò munere ſoſpes
Deſuetas repetam curas, Pindumque reviſam
Lætaque gramineis inducam flumina pratis;
Quæ pars dimidii ſupereſt mihi parva laboris.

LI-

LIBER II.

Vos ò vitiferi quæ mollibns humida rivis
1 Thelioris pulchræ curatis rura Napeæ,
Dicite; quis varios primùm monſtraverit uſus
Fluminis, & prati mos venerit undè rigandi.
Sic ego; de pulchris ſic rettulit una Napæis.
Fortè inter ſuperam Junonem, & Nerea magnum,
Quem penes officium ruris foret, atque juvandi
Cura ſoli, certamen erat; nimboſa Tonantis
Viſa ſoror fuerat meritam ſibi poſcere laudem:
Ambobus tamen hæc ſedit ſententia, pulchram
Chlorida, pomiferis ſimul & quæ præſidet hortis
Frugiferamque accire deam: mora nulla, vocatæ
Advenere Deæ, & parvo poſt tempore partes
Junoni dederunt Ceres, & Pomona priores.
Sola tamen favit Nereo Zephyritis; at uxor
Magna Jovis ſubitas extemplo exarſit in iras
Multa minans, nec longum, inquit, lætabere Chlori
Judicio maleſana tuo: vindicta ſecuta eſt
Aſpera verba; negat ſolitis ſe durior æther
Uſibus, æſtivos cœlum non ſufficit imbres,
Nullaque nocturni ſuccurrit copia roris
Floriferis pratis, & ſuavè rubentibus hortis;
Quodque magis nocuas iras mireris, ab alto
Æthere demiſſus vapor ingruit, & mala florum
Pernicies ſubeunt nebulæ: huc modò Chloris, & illuc
Dividit ancipites animos, arteſque, modumque
Conſulit, undè queat miſeros evadere caſus,
Quàque poteſt duris occurrere ſedula rebus

1 *Villa in agro Parmenſi.*

Certat; at aereæ quando vis improba divæ
Urget, inaſſuetas nequicquam conſulit artes,
Et fruſtra duris occurrit ſedula rebus.
Illa ut erat damno, magnaque exterrita clade
Nereidum fertur ſupplex adiiſſe parentem
Talia vociferans. Regni ò deus alter aquoſi,
Cui centum, & plures famulantur in ordine natæ,
Officii ni te cæpere oblivia noſtri,
Flebilibus ſuccurre malis, Jovis invida conjux
In nos dira odia, atque iras exercet iniquas:
Tu fer opem miſeræ, & felicibus aſpera verte:
Audiit, & ſortem Nereus miſeratus acerbam
Æquoreum quid Numen, ait, quæſtuque fatigas
Littora? me tribuente feres Zephyriti quot optas;
Ærumnis ne cede, licèt ſaturnia ſummum
Aera poſſideat, non poſſidet æquora Juno.
Dixerat, & fonti ducendo imponere morem
Edocet, & ruris tradit præcepta rigandi,
Quò Divæ rabidas eludere vindicis iras
Poſſit, & æſtivi diſpendia corrigat anni:
Parva intervenit mora temporis; illicò Flora
Arida collectos vocat in viridaria rivos,
Areolaſque inter diſpenſat, & ubere vena
Dotalem recreat fundum; vix ſe levis unda
Applicat herbarum fibris, cùm pulchra repente
Telluri facies redit, & meliore liguſtra
Se vultu, violæque probant: nitido æthere qualis
Apparet ſpecies, radios ſiquando coruſcos
Extulit, & nubes victor diſcuſſit Apollo,
Talis ineſt pariter renovato gratia ruri:
Ex illo ſua laus hortis, ſua cœpit haberi
Laus etiam pratis inducto à fonte rigatis.
Talia verba dedit Nympha, & ſe condidit antro.
Quan-

Quandocumque tuos igitur meditabere in agros
Ducere, ducendos primùm reperire labora
Jugis aquæ fontes: ſunt qui de flumine parvam
Deducunt partem, ſunt qui tellure cavata
Eliciunt laticem, & patria ſub rupe latentem
Increpitant; melior cæcis qui proſilit antris
Sponte latex, nullo ſtudio, nulla arte paratus,
Et vena felix indeficiente, diurnum
Quem nec iter minuat, nec torrida pauperet æſtas.
Sola tamen tepidis intret viridantia lymphis
Arva; tepens æſtu, ſoliſque vaporibus humor
Adjuvat herbarum conamina: vidi ego mœſto
Decolor interdum vultu palleſcere pratum
Irrigua quamvis in valle; at pallor ab ipſa
Proveniebat aqua nullis cedente tepentis
Solis blanditiis, nullis cedente diei:
Nativus rigor, aut impendens collis, & umbra
Optatos ſoles inviderat. Apta fluentis
Elige ductilibus loca, declivemque tenore
Continuo raſtris, duriſque ligonibus alveum
Effode, qui gemina collectam frænet aquæ vim
Aggeris in morem ripa: ſi longa trahendo
Interſint ſpatia, & montes cum vallibus amni,
Deſcriptum prius in tabula metire laborem,
Præruptaſque vias, atque intervalla locorum
Picta tibi variis proponat charta figuris,
Tractibus ut ſolet innumeris illuſa papyrus
Interpuncta notis diſcernere regna, mariſque
Ingentes ſcopulos, monteſque, orbiſque remotas
Demonſtrare plagas: ſua quondam accivit in arva
Talibus inventis latices Thelioridis agri
Accola gens; riguis quæ nunc lætiſſima fundis
Illorum quondam languebant rura, neque ullus

Prædia commendabat honos, quæſitave ductas
Ubertas per aquas; ab aquis acceſſit amœno
Gloria quæſitis, & rerum copia ruri.
Siqua fides tamen eſt augenti ſingula famæ,
Quæ modo montivagis deducta canalibus unda
Prata rigat, captus quondam Thelioride nympha
Paſtor erat, qui ſpe præſumens plurima, fruſtra
Se voto, atque ſuo ſperabat amore potiri:
Sed deſideriis, & ſpe dejectus inani
Nec votis eſt ipſe ſuis, nec amore potitus:
Nec tam quòd reliquas inter pulcherrima nymphas,
Quàm quia dives erat Dominam male ſanus amabat;
Namque illi centum prata, & dotalia centum
2. Jugera ruris erant; quoties ah Cingulus illam
Laudavit pater, & laudatam optavit habere!
Ipſa omnes quotquot patria de gente fuere
(Sive pudor caſtam faciebat, ſive ſuperbam
Forma) procos fugiebat: eam ſibi reddere longo
Obſequio facilem infelix tentabat amator,
Portabatque ſui ruris munuſcula, donis
Addebatque preces; ſed donis gratia nulla,
Nulla fuit precibus: tam dura puella roganti,
Et tam dura fuit munuſcula parva ferenti.
Ille gravi interea perculſus corda dolore
Aſtra ſuis accuſat inofficioſa querelis;
Et modò frondoſi ſummo de vertice collis
Adſpectata ſuæ conſiderat arva puellæ,
Et modò per latebras hàc illàc fertur opacas
Perditus, amenti ſimilis: per inhoſpita montis
Mille legit, relegitque vias, ſaltuſque pererrat,
Amiſſo qualis fœtu formoſa juvenca
Per virides agros, & devia luſtra vagatur.

Poſt

2 *Torrens in agro Parmenſi.*

Poſt varios tandem caſus, longoſque labores
Apenninus ubi clivo miteſcit amœno
Conſtitit: hìc noctes in luctum impendit amaras,
Impenditque dies; nulla eſt niſi flere voluptas:
Tantus & à lacrimis creſcit manantibus humor,
Ut gemino uberibus ſtillare è lumine guttis
Flumina bina putes; nec decipiere putando:
Nam miſer aſſiduos ſenſim reſolutus in imbres
Liquitur, ut verno glacies vitiata tepore,
Et mœſtos abit in latices; qui nuper amator
Paſtor erat, tenuis fit aquæ ſine nomine rivus:
Priſcus amor tamen, & vetus illi cura remanſit;
Nam longo percurrit adhuc errore jacentes
Convalles, modò per colles, aut plana vagatur,
Thelioreæ donec nimphæ potiatur amatis,
Dotales ſibi quos olim promiſerat, agris.
Ergo nec ingenium duræ intractabile rupis,
Nec juga prærupti remorentur ſcrupea collis,
Ad tua quin faciles invites prædia fontes
Tramite declivi, & patefacta per loca montis
Arte via: ſi fortè cavo ſe vallis hiatu
Cœptis interponat, aperta & fauce dehiſcat,
Ordine deductum longo, qui rupis utramque
Comittat partem, de ſecta ordire canalem
Abiete, qui fixis incumbens undique tignis
Flumina præcipiti tranſmittat euntia curſu:
Aut magnos tua ni ſumptus fortuna recuſet,
Erige ſaxoſi ſinuatos fornicis arcus,
Continuare ſuos quà poſſit lympha labores.
Poſſem aliis ſuper, atque aliis exponere dictis
Diverſas artes, documentaque ferre per urbes
Æmilias, amnis quæ ſit menſura fluentis,
Quæve ſuperficies; quid recto linea tractu,

Quid

Quid velit obliquo, num fundo æquabilis alveus
Excuſet reſides, an pronior incitet undas;
Cur properet pluviis freta auxiliaribus unda,
Acquiratque pigras diverſa ambage viarum,
Objicibuſve moras; ſed barbara nomina doctæ
Odere Aonides, latioque incognita verba,
Nec me ulla ingratos Sophiæ penetrare receſſus
Cura tenet; juvet has alios perquirere cauſas;
Ipſe ego formandis pandam vulgata colonis
Inventa, & facili captos ſermone tenebo.
His ita diſpoſitis, ubi ſolibus arida longis
Gramina ſuſtuleris, pratis inducere parte
E' ſupera jubeo rivos: ſi aſcendere juſſum
Deneget unda locum, currenti molibus undæ
Injectis obſta: tabulas opponere acernas,
Ingenteſque trabes potes, atque repagula, quò ſe
Altius attollat, condictaque juſſa ſequatur
Agricolæ quocumque vocet: tunc villicus altè
Nudatus latoſque pedes, hyrſutaque crura,
Armatuſque bidente manum, ſimul ire parantes
Diſſociet rivos, & fundum immittat in omnem;
Scilicet in dextram divertat, & inde ſiniſtram,
Et modò per medium, modò per confinia ducat,
Donec jucundo recreentur mollia potu
Jugera; cum breve poſt tempus ſatis arva bibiſſe
Advertes, claude oppoſitis ſine lege vagantem
Objicibus rivum: longa viridantibus herbis
Officit ille mora, ſecumque abducit eundo
Felicem pinguis ſuccum telluris: apricum
Septima lux ſolem vix porta emittet eoa,
En iterum verno renovabitur annus amictu,
Et viridem teneras prolem ſubmittet in avras
Fœniſecis addens animos: ſæpe integrat æſtas

Obli-

Oblitas vires, & adhuc implorat hiulca
Humorem tellus; tunc oſtia clauſa relaxa
Fontanis iterum ſcatebris, ſed rura priuſquàm
Sicca riges, plures ſinito intercurrere ſoles;
Rara ſitim faciet, maciem ſi crebrior unda.
Hic ego non documenta tibi memorata revolvam,
Cùm tonſura tuis iterabitur altera pratis;
Sit ſatis hæc docuiſſe olim. quod te omnibus unum
Obſervare magis jubeo, quam admiſeris uſus
In ſolitos, nullis turbata ſit imbribus unda;
Implicat illa novas, limoque intercipit herbas;
Longaque ni vitium pluvia eluat, arva priuſquam
Herbida ſalce metas, pulvis, lutulentaque fœnum
Inficit erugo: nil peſte nocentius illa
Mandenti ad ſtabulum tauro; hinc quatit improba tuſſis
Pectora bellatoris equi, & nil tale merentum
Exercet pecudum genus. At mihi Villice forſan,
Herboſa num ſit ponenda in valle requires
Arbor; opaca comas viridi defigitur ulmus
Sæpe ſolo, vitiſque ulmis adjungitur; umbras
Lenta ſuas pariter promittere morus, & olim
Silveſtris doctam pyrus emendanda per artem,
Ingenteſque nuces recto quincunce feruntur,
Quas circùm agricolæ primis ſuevere ſub annis
Parvo circuitu tellurem vertere; ſed me
Nulla arbuſta juvant illic ſata; non bene fundos
Audit apud virides radicibus arbor, & umbra:
Præcipuè nux alta Jovis de nomine dicta,
Populeum genus, & fibris in Tartara tentans
Quercus iter: lentam ſalicem cui criminis expers
Umbra viret, nec humum radix extenta fatigat,
Simplice contentam cura potes ordine longo
Conſerere; ex facili ſatio, parvoque labore

Con-

Conſtabit cultura. alta de matre reciſa
Exacue in morem valli plantaria, facto
Dein longis cuneis, paliſve foramine, eodem
Fige loco, crebroque pedum circùm apprime pulſu
Tellurem, ne fortè cavo intromittat aperto
Sæva dies æſtus, inconceſſaque petantur
Radices à ſole via. quandoque novellæ
Oppoſitam in prima formidavere juventa
Vim ſolis plantæ; tunc ignea ſpicula contra
Stramine munitis doceatur parcere libris
Solis vis; at hyems cùm venerit, exue totum
Direpta truncum palea; ſecus irruet imber
Hibernus, ſtipulamque inter, ſtirpemque ſalignam
Inducto ſquallore ſitum meditabitur, undè
Inſincera trahent parvi natalia vermes,
Erumpentque leves tineæ, queis protinus omnis
Præfeſtinatæ patietur damna ſenectæ
Exeſus cortex, primoque arbuſta ſub ævo
Morboſa abſumet caries: qua lenta probetur
Utilitate ſalix, & quot ſe præſtet in uſus
Præciperem, verum hæc annis monſtrare futuris
3 Eſt animus, quando occiduo Vainerides orbe
Deducam muſas, italoque in littore ſiſtam,
Longaque vineti tradam præcepta ferendi
Sequanici poſtrema legens veſtigia vatis;
Nam bene conveniunt tenera cum vite ſalicta,
Et ſine viminea malè vinea ſtirpe paratur.
Nunc age, fagiferas quibus inſtituenda per alpes
Prata modis referam. Sub primi exordia veris
Cæduntur validis nemora alta ſecuribus (altas
Cæſorum parva eſt nemorum jactura per alpes)
Dein

3 *hic innuitur P. Jacobus Vainerius Societatis Jeſu qui de vinetis vincta oratione elegantiſſimè ſcripſit*

Dein ſuccum longo cùm depoſuere ſub æſtu,
Hàc, illàc ſtratis ſupponitur ignea tæda
Arboribus, ſæva undè ferens incendia celſis
Quercubus, & duris ſe Mulciber applicat alnis,
Et cæco crepitant ſtrepitu cava robora: cœlum
Turbidus obnubit vapor, atque volumina tetra
Agglomerat: tantos procul aſpicit inſcius ignes
Colle ſuper celſo venator, arator in arvo,
In mediis piſcator aquis: dubitante favillæ
Ignitum per inane volant errore, nec ulla
Amplius apparent veteris veſtigia luci;
Advena ſquallet ubique cinis, ſemiuſtaque fumant
Fragmina ſilvarum: plures tunc ordine lunas
Ire ſine, extincto penitus quò flamma reſidat
Fomite, productaque mora coaleſcat aduſtus
Telluri pulvis, rareſcet pulvere mixto
Denſa loci natura, & ſeu flaventia farra,
Hordea ſive velis telluri credere, jactis
Seminibus tellus morem geret; annua namque
Quando redit ſatio, quà nuper ſilva virebat
Semina te jubeo ſulcis committere: tali
Exercere diu poteris montana labore
Jugera, dum facies penitus diverſa priori
Succedat, feritaſque loci ſilveſtris amico
Manſueſcat cultu; ſine mox volventibus annis
Incultum ceſſare ſolum, quò longa feraces
Inducant herbas ignavis otia glebis,
Graminibuſque vacent horrentia luſtra ferendis.
Ne tamen alpinum ſperes æſtate ſub ipſa
Bis tondere jugum: magnis conatibus impar
Deficit, & pingui non ſe componere plano
Fertilitas alpina valet: ſatis eſt ſemel illic
Si nova prata metas. Tonſis immittere pratis
Mos

Mos eſt inde pecus, populandaque paſcua tauris,
Balantumque gregi permittere: tarda videbis
Armenta, & nondum fruticanti fronte petulcos
In mediis matres comitari vallibus hædos,
Firmamtemque gradus baculo ſilveſtris olivæ
Hirſutum Corydona ſequi: procul ille vagantes
Obſervat pecudes, patulaque moratus in umbra
Infortunatos cantu ſolatur amores,
Affaturque agros, aſſuetaque rura querelis
Reſpondere ſuis: teneris clamoribus omnis
Balat ager, redit ex imis convallibus echo.
Quo ſtudio poſſint humiles herbeſcere colles
Nulla referre mihi cura eſt: diſcrimine nullo
Et planum curare potes, colleſque benignos.
Pæne mihi exciderat, quæ Lunæ mollibus herbis
Conditio faveat, verſu memorare: novella
Quodvis Luna opus in pratis fortunat, & almum
Sufficit humorem, creſcente ſupervenit humor
Plurimus à luna: tantùm infelicibus herbis,
Cùm latet illa, ſolum, atque rubis purgarè memento.
Multa ferunt virides aliquando incommoda fundi,
Sive latebroſas talpæ fodere cavernas,
Sive parans ſoboli tectum formica creandæ
Emotos tenuis cumulos erexit arenæ,
Pulvereaſque caſas: cape tunc cum ſtramine torrem,
Et populatricem poſitis interfice peſtem
Ignibus; at ſtudio potes hoc occurrere talpis.
Illos ſiquando aſpicies conamine roſtri
Dimoviſſe ſolum, & varia ſcripſiſſe ruina,
Armatus raſtro, ſubitumque paratus ad ictum
Obſerva tacitus ſero ſub veſpere, num ſe
Per ſua lucifugi prodeant veſtigia mures,
Signanteſque viam ſumma tellure, ligonis

Non

Non expectato, vel acuti verbere pali
Opprime: ſi terræ macies inviſa nocebit
Deficietque vigor, loca ad herbida convehe plauſtris,
Eductas ſtabulis ſordes, cœnumve regeſtum;
Et ne gramineas vaga deprimat orbita fibras
Deſcribens nudum variis erroribus arvum,
Expecta, nive dum tecto ſuper æquore currens
Nulla ſui plauſtrum poſt ſe veſtigia linquat.
Prima erit hæc hyemis, poſtremò erit altera cura,
Vere prius quàm ſe componat florifer annus,
Advectum per lata fimum diſpergere prata;
Solibus ut longis, crebro & reſolutus ab imbre
Herbarum inſinuet ſe ſe radicibus, unde
Attollant animos nova gramina: lecta columbi
Stercora quin natas ſementis more per herbas
Projicere interdum pluvia veniente juvabit;
Namque columbinus fimus urit gramina, nimbo
Succedente, ſuo ni de fervore remittat.
Forſitan eveniat, tibi quod contingere nollem,
Cum ſiccæ calido pendebunt aere nubes,
Nullaque ſubveniet nimborum roſcida pratis
Copia: fraudata triſtes non ibit in agros
Tenuis aqua rivus, tacitoque abſcondet in antro
Cœruleum caput: hæc atavus perpeſſa mihi olim
Narrare exitia, & feralia damna ſolebat,
Quando omnes cæcis ſe ſe occulvere latebris
Najades, & nullos urna effudere liquores.
Quid miſero tunc mentis erit? ſuccenſa videbis
Arva ſiti decus omne ſuæ deponere formæ,
Inductaque hortos macie ſquallere, nec ulla
Jam veris ſupereſſe ſolo veſtigia: damna
Tot contra, nil præter opem implorare deorum
Proderit; auguſtis tum divùm accedere templis
Te

Te jubeo, & flecti facilem mollire Tonantem
Thure dato, precibuſque; nec in tua vota vocabis
Fruſtra Parthenidem; deerit non illa vocanti
Eliciens è nube imbres, è rupe liquores
Pulchra quibus variis tellus lætabitur herbis.
Sæpe etiam ſtagnante palus humore locorum
Inſedit plana, atque ignava torpuit unda;
Illa altè infoſſo, ducto & longo ordine ſulco
Corrivata, exire ſuo doceatur ab alveo;
Atque ingens lapidis ni preſſi copia deſit
Longos ſaxoſa ſulcos ſuperintege teſta,
Quæ geminæ incumbens ſolido de rudere ſpondæ
Componat teretem quà profluat unda canalem:
Saxa operi foſſis mox ſupra extantia glebis
Ne vacua herbarum, neu pars ſit inutilis ulla.
Longa tamen ſenii quis damna avertere pratis
Poſſit? ubi annorum innumerus ſe verterit ordo
Subrepet fundo facies inhonora virenti,
Et muſcus nocua lanugine deprimet herbas.
Illicò vomeribus validiſque bidentibus æquor
Infinde, & ſoli glebas obverte ſupinas;
Moxque ſub autumnum ſerito: vos iſta per annos
Haud plures habeat ſolertes cura coloni:
Mox iterum poſitis ceſſate ligonibus, ut ſe
Induat in viridem tellus velut antè juventam.
Hæc pratis ſuper irriguis documenta ferentem
Me placidi Thomam colles Thelioris alebant:
Tempore quo heroum Lodoix fortiſſimus unus
Grandibus occaſum factis implebat, & ortum.
Te cultis elegis, & arundine, Partheni, luſi.

* * * * *
* * * * *

DE

De Ficulnearum Cultura.

LIBER PRIMUS.

TU quoque poſt liquidos fontes, & mollia prata
Carmen eris nobis Ficulnea: flatibus euri
Hibernis, teneræ parcant edicite plantæ
O' ſuperi, gelido qui morem imponitis anno;
Et pariter vati, pariterque favete colono:
Utraque eat felix veſtro de munere cauſa.
Virgo prius graii quàm formoſiſſima ruris
Infortunatos Phœbi meruiſſet amores,
Nulla fuit ſtirps in campis ficulnea: nympha
Verſa eſt in biferam Diana à vindice plantam;
Nam fuit hæc caſtæ de nymphis una Dianæ:
Illius inque omnes ut longum extenderet annos
Dedecus, induxit lac Delia frondibus; index
Maternæ eſt illud labis, læſique pudoris.
Ergo tuo ſi te ficus delectat in agro
Conſerere, ad placidos Auſtri, ſoliſque tepores
Vergat ager, qui non alto de colle jacentes
Deſpiciat valles, cui nulla injuria brumæ,
Nec ferus officiat Boreas: mihi nec loca muris
Proxima diſpliceant, aut ſicubi tecta ſuperſunt
Semiruta, & veterem oſtentant monumenta ruinam:
Ruderibus, ſabulique, & mixtæ calcis acervo
Proficient arbuſta. Tibi non plana locorum,
Pigra nec alpino ſuccurrant arva rigore:
Planitiem gelidis Aquilo circumvolat alis,
Nec favor alpini ſperatur ab indole cœli;
Veris ubi tamen aſſidui clementia vernat
Colle ſit, an plano nil me ſata planta movebit.

 Sunt

Sunt tamen arctoæ quæ fruſtra in collibus oræ
Aflantur blandi longinquo lumine ſolis,
Quando bruma riget: ſic quà perlabitur Iſter,
Quàque celer gelidas perſultat Viſtula ripas,
Non ullis arbor novit parere coloni
Blanditiis: Ligurum quà littora proſpicit, hìc ſe
In mores Itali ſtuduit componere cœli
Gallia, ſed reliquis ingloria mœret in agris:
Quin ipſa Eridani ad virides Oenotria ripas
Prole caret bifera; tamen haud procul alta beatos
In colles emergit humus, quibus indiga penſat
Damna loci, montiſque favet vicinia plano.
Ergo ubi communem cœli, terræquæ favorem
Conſpirare videbis, & aera prorſus amicum
Reſpondere, virens cùm turget in arbore gemma
Ficulnæ ſpem matris ab imo caudice vulſam
Crede ſolo: ſtudium tibi de radice, nec ulla
Cura ſit; ex facili inveniet ſibi cortice rupto
Injuſſum radix iter, & comprendere diſcet
Sponte ſua ramus: ramo blandire novello
Aſſiduo cultu, & renovatis ſæpe bidente
Impreſſo glebis. Siquas in germen abire
Præter vota, novæ circum internodia plantæ
Aſpicies gemmas, admoto protinus ungue
Corripe, inutilibus ne ſe diſtracta fatiget
Stirps incrementis; tantùm de vertice ſummo
Pubeſcens virgæ ſpes exeat. Illa ſenectam
In ſterilem cum verget, erit ſubmittere tempus
Parvam tunc ſobolem, effœta quæ matre capeſſat
Fundendi partes fructus, genus atque novandi
Arboreum: illius conamina prima juvabit,
Ingenteſque animos addet borealia contra
Frigora, ſparſa fimi ſub brumam copia; faſce
Nec-

Necnon ſtramineo, filicîſque arentis amictu
Inſuetæ poteris defendere frigus alumnæ.
Ne tamen ingrato vitientur dulcia ſucco
Mala, fimo planta haud crebrò ſaturetur adulta:
Utilius fuerit cœnum, ſordeſque viarum
Applicuiſſe, vel externa pinguedine cùm non
Eſt opus, augendi curam interponere ſucci
Artibus his: breve poſt tempus Ficulnea fructus,
Pars ſemel integro, pars bis producet in anno
Diſpare diverſos facie. Sunt quos breve colli
Suſpendit ſpatium, flavuſque colorat amictus:
Illos ſubviridis color, hos niger inficit, ille
In morem coni protenditur, iſte rotunda
Se probat in forma: autumni qui tempora præcox
Antevenit, nimio vix ſe defendit ab imbre,
Et pariter nimio vix ſe tutatur ab æſtu:
At quem nulla movet laus fertilitatis adeptæ
Ante diem, pluvias, & inæquales Autumnos
Suſtinet, Eurorumque minas. Sed cauſa feraci
Quæ morem indiderit plantæ bis poma ferendi,
Stat nobis memorare. Tibi ſuccurrat ut olim
Flava Ceres variis natam quæſiverit oris,
Quæſitamque diu non ulla invenerit ora;
Solibus interdum æſtivis defeſſa recumbit
Diva ſolo, nec habet ſoles quo placet iniquos.
Interdum circumſpiciens deſerta locorum
Colle ſuper ſedet; & quoque tunc in colle ſedebat,
Cum fruſtra patula quæſivit in arbore ficus;
Arbore, ſpe vacuis quæ ſtabat proxima ramis:
Extremi nondum tempeſtas venerat anni,
Sueverat ambroſios qua ferre arbuſcula fœtus.
Nec mora; ut æſtatem ſive hoc decoraret honore,
Seu potius languor, ſive improbus ardor edendi

Impulit, inſolitum tria verba ſonantia dixit;
Ecce recens prodire ſuo non tempore fructus
Incipit, & forma niſi quod majore tumebat,
Ficus erat; groſſum latii dixere coloni.
Nunc quoque Eleuſinæ in ſua munera perſtat amicus
Matris amor; namque his dives cùm exuberat annus,
Et dives gravidis Ceres annum ditat ariſtis;
His pariter ſterilis cùm non exuberat annus,
Parca Ceres ſterili quoque ſpicas invidet anno.
Ergo meſſis erunt hæc, villice, ſigna futuræ.
Sæpe tamen biferæ ſtirpis ſpes prima malignis
Afflatur nebulis, votique relinquit inanem
Agricolam, ſeri ſpes altera fortior anni
Nulla reformidat vitia aeris. Ecce decorum
Extulit & pomis, & verſicoloribus uvis
Autumnus caput; arborea jam mitis in umbra
Fertilitas apparet, & æſtu cocta diurno
Maturæ facit irritamina blanda rapinæ:
Hæc oculis cùm præda offert ſe ſe obvia noſtris,
Protinus inſiliens facilem qui præſtat in altum
Aſcenſum ramo, ſi quæ pendere retorto
Aſpicio paulùm collo, atque dehiſcere rimis,
Poma lego manibus, gratique in parte laboris
Uxor adeſt, oneratqne ſinus, impletque caniſtros,
Quos famuli inde domum exportant: occurrit in ipſo
Limine Lucilla, atque patri blanditur, & altis
Uſque inferre manus calathis parat: o mihi tales
Ducere contingat ſuperùm de munere ſoles
Urbe procul, tranſmiſſa atavis ubi rura vetuſtis
In ſortem ceſſere meam! ſi non mea ſplendent
Atria picta auro, & phrygiis ſpirantia ſignis,
Nec mihi Apelleæ referunt phlægræa tabellæ
Prælia, vibrantemque cyclopea tela Tonantem,

At

At mihi purpurei domus ad ſpiramina ſolis
Conſurgens, infrà poſitos conſiderat agros.
Rara mihi patrios velat pictura penates,
Non bello Jovis, aut pugnis illuſa Gigantum,
Sed quæ partheniæ narret decora alta Parentis,
Eliſumque anguis ſtigii caput. Ampla videtur
Vinea ſat, quamvis anguſto conſita colle;
Cultus ager parvo concluſus limite, pomis
Planta ferax, totumque virentia prata per annum
Sunt voti menſura mei: Quàm dulce vaganti
Lumina proſpectu, volucrum concentibus aures
Oblectare, tuis quàm dulcius inclyta Virgo
Laudibus invitare faventem è vallibus echo,
Frondet ubi nemus, & rapidus quà Cingulus errat!
Parte alia juvat in tacitas decedere ſilvas,
Gratus ubi ſilet horror; ego hic in blanda pudicas
Otia Pierides voco; ad otia blanda vocatæ
Adſunt Pierides; pars ramo mitis Olivæ,
Pars mihi ſerta parat pratenſi è gramine, quando
Nondum auſim è lauro textam ſperare coronam;
In medio caſtus mihi carmina dictat Apollo:
Hoc placidum vitæ genus, hæc pede fauſta beato
Luſtra fluant, cœli veſcar dum mitibus auris.
Sed jam tempus adeſt avium prohibere rapinas,
Pennatoſque procul fœcunda avertere fures
Arbore: ad aſſuetam properans Ficedula prædam
Convolat, & ſaliens modò & huc, modò curſitat illuc
Vibrato terebrans dona autumnalia roſtro:
Diſcolor eſt pariter volucris, cui penna refulget,
Pars ebeno ſimilis, pars fulvo concolor auro;
Eſt etiam qui ſe dulci dape paſſer opimat:
Hoſtes tot contra ſupremum exponere planta
Terriculum ſat erit, media quò credere poſſint

Eſſe aliquem, qui ſe venientes arceat umbra.
Tempus erat prædatricem cùm perdere gentem
Fas erat exploſo ferrata ab arundine plumbo,
Aut fraude in viſco poſita, laqueove fugacem
Aprendente pedem; ſed poſtquam dira vetandi
Venatum lex elapſis inolevit ab annis,
Diverſas artes, diverſas quærere formas
Edictis agimur duris, cladeſque volanti
Ridiculas generi, & molimur inutile bellum:
Sic filice, & paleis infarctus homuncio vafras
Terret aves, longaque repellit arundine, ſæpe
Cannabe ficta, colum dextra, lævaque bacillum
Tollit anus: ſtat fronde ſuper, pavidiſque minatur
Stupeus alitibus puer. Ecquis talia cernens
Temperet à riſu? tamen aſſuetudine longa
Depoſuit quandoque metus, vanaſque timoris
Deprendit cauſas volucrum grex: vocibus imple
Tum loca, comploſaque manu ſonitum ede, fugetur
Quò rapidus longè populator. Et improba damno
Eſt formica; nigrans variis erroribus agmen
Itque, reditque frequens in ſtipite, ſummaque ſcandit
Arboris, & partem paulatim abducit eundo
Admorſi ſecum fructus, ſolæque ſuperſunt
Corticis exuviæ, vacuas quas parva reliquit
Prædatrix: Imas ideò circumdare plantas
Proderit admoto cinere; atris quippe favillæ
Tantùm relliquiis populatrix peſtis abhorret,
Quantùm autumnales flores odere pruinas;
Aut nebulas vineta; atque ut vineta nocentem
Quamvis pertulerint nebulam, tamen hæret in uva
Inditium quandoque mali, ſic mellea ficus
In ramo ſit viſa licèt durare ſuperſtes,
Sæpe capit vitium, & veſtigia nota relinquit.

Siqna

Siqua igitur croceo videas pallere colore,
Et digitis una plus parte reſiſtere poma,
Illa malam cœli traxere à crimine labem:
Vilibus idcircò potes hæc dimittere vernis.
Parte etiam pandum non parva onerabis Aſellum,
Corbibus, aut coſtæ impoſitis utrinque caniſtris,
Immitteſque urbi: tota concurret ab urbe
Emptum venales puerorum turba mariſcas,
Vixque ſibi poterit fraudes defendere pubis
Munera Pomonæ clam ſurripientis; at ipſe
Sera luce domum ære gravis ſe verna reducet.
Pars etiam tibi ferventes ponatur ad æſtus
Tecta ſuper, textis in cratibus; atque ubi ſoles
Paſſa diu fuerit, flammæ committe calori
Siccandam; ſicca innumeros adhibetur in uſus,
Sive famem victu eſt animus ſedare modeſto
Cùm parca excuſant tenues jejunia cœnas,
Sive juvat tuſſi ſuccurrere, ſive colorem
Præſta pallidulo vivacem inducere vultu:
At cui morboſis fervent hypocondria flammis
Nec ſicca poterit, nec veſci impune virenti.
Jàm ter (adhuc memini) ſata ſpicea meſſuit æſtas,
Cùm nos Thelioreos, ſimul & Lydorus in agros,
Lydorus divùm interpres, caſtuſque miniſter
Quæſitum blandæ ſeceſſimus otia pacis
Urbano procul à ſtrepitu, vulgique tumultu:
Utque ferax aderat, qui fruges mitigat annus,
Ardor erat petere omnigenas ex arbore fruges,
Præcipuè quas ferre ſolet ficulnea malus:
Altera jamque dies proceſſit, & altera, nobis
Cùm lapſu inſinuans tacito ſe morbifer æſtus
Applicuit, validoque æſtu lenteſcere cœpit
Noxius in venis humor: diffuſa per artus

Segnities, tetriſque vaporibus obſeſſum cor,
Et lux inductis, & mens obducta tenebris
Jampridem noti renovabant ſemina morbi,
Atque inteſtino fervebant viſcera bello.
Cautior à damno tandem, admonituſque periclo
Rarius ad cœnas donum autumnale popoſci,
Et poto menſas claudebam fonte ſecundas;
Potus aquæ nimios ficùs attemperat æſtus.
Finiturus eram, niſi me revocaſſet iniquam
Ars immutandi, & naturam in ſtirpe novandi.
Siqua ergo audierit malè ſucco triſtis acerbo
Ficus apud vernas, ſuccos emendet acerbos
Inſitio. captas felici ex arbore gemmas
Crede infelici, hoſpitio ſub cortice facto,
Alterius ramo; mox ulmea vincula circùm
Indito, ne ventis pateat via: rumpere ſiquid
Aſpicies lævi injuſſum de caudice germen,
Carpe manu, illius poſitæ ne audacia gemmæ
Obſit, & aſcenſu illudat provecta ſuperbo;
Atque hæc aſſiduos teneat te cura per annos;
Donec luxurians folis, fretuſque ſua vi
Victor ad æthereas conſurgat ſurculus auras.
Eſt etiam modus hic, quo non præſtantior alter:
Tu cape fœcundam nodo gemmante ſagittam,
Cui ferro tunicam non excedente virentem
Circùm allude, data quò libertate paratus
Diſcedat virga cortex, velut exit adunca
Tracta manu vagina; feræ mox delige ramum
Arboris implentem menſuram corticis; atque hunc
Mox ramo immitte, atque immiſſum deprime, donec
Ire via ulterius ſit ab arcta erepta facultas.
Sunt quibus in trunco reſecatur inutilis arbor,
Servat inoffenſos ubi recto in caudice tactus,
Pla-

Plagamque exæquant ferro parcente, deindè
Diſcernunt tenero vicinum à cortice truncum
Demiſſo cuneo, quàque eſt via facta, novellos,
Quos priùs exacuunt, in aperta foraminis ora
Malleolos adigunt, luteo dein glutine vulnus
Obducunt, preſſave admoto pollice cera;
Hæc curanda tamen pleno jam vere memento,
Cùm largè plantis tener omnibus humor abundat,
Quando omnis ſilet aura, nec imbrem cogitàt aer.
Ars fuit hæc olim noſtris incognita terris,
Namque Itali per ſe blanda indulgentia cœli
Edebat fructus curæ nullius egentes:
Fama fuit veteri in Latio infelice ſapore
Verſa olim poma, ob malè reſpondentis amorem
Vertumni Pomonæ; iras Pomona nocentes
Vertit in agricolas nil unquam tale merentes.
Non tulit id natura parens; quin protinus artem
Fidam operum conſortem, adjutricemque laborum
Advocat, atque modum, quo ſit reparabile damnum,
Conſulit; illa malis certam ſperare medelam
Juſſit, & ò dixit, ne te iſta incommoda tangant:
Vix ea, cum Genios opera in diverſa miniſtros
Deſtinat, & vaſti dimittit ad ultima mundi
Littora, qui variæ diverſo ex orbe reportent
Felices plantæ ramos: pars mitia poma
E Ceraſunte, uvam pars graja advexit ab ora
Cretenſem, & ſucco ficus meliore probandas;
Plurima præterea retulerunt ſemina ſtirpis,
Silveſtrem undè nova prolem inſitione novarent.
Hæc grati æſtiva Thelioris ſede canebam
Ille ego qui bibulis induxi flumina pratis:
Vos, quibus eſt curare labor pomaria, pulchræ
Frondibus arboreis mea cingite tempora Nymphæ.

MI-

MISCELLANEA.

CAR.

Digitized by Google

CARMEN

In Legulejum carpentem

AMORES PARTHENIOS.

FOrtè malè emunctæ naris, vatumque latinas
Exoſa illecebras patria ſpatiabar in urbe:
Ecce vafer legum interpres, juriſque tyrannus
Viſus adeſſe mihi Labeo, & ſalve ò mihi ſalve
Doctus, ait, vates ſacro qui percitus æſtro
Parthenios elegis, & arundine ludis amores,
Quos puer imberbis legat, atque innupta puella:
Dic tamen, & noſtris præbe ſermonibus aures,
Cur tam rara tuo numeratur pagina libro?
Quandoquidem tenera ſcriptum de Phyllide carmen
Et de cantata tibi ſunt Amaryllide luſus,
Cur ſacris laſciva ferens, & caſta profanis,
Non immane facis, vaſtoque abdomine, quale
Palmarem poſſet menſuram æquare volumen?
Tunc ego ſardoo reſecutus talia riſu,
Sic tibi pro tantis, dixi, pro talibus in me
Officiis auri aucupium benevertat, & omnis
Utiliter tibi fraus, commentaque vendita cedant;
Sic tua conſultum properent reſponſa clientes,
Quorum quotidie fiat tonſura; patronum
Te dives velit ante alios matrona, tuas quæ
Fallendi nondum varias cognoverit artes:
Auſpice te externum Rullus jam morte propinqua
Nuncupet hæredem, cui teſtamenta refingas,

Arbi-

Arbitrioque tuo fingas, redimendaque nummis
Tercentum, vertenda etiam ſi fortè volet res,
Proque novis dentur ducendis æra lituris.
Exiguum quod ais tamen eſſe volumen, idipſum
Et puer objecit Rutilus, qui triſte ſeveri
Orbilii ſceptrum formidat, & acre flagellum;
Ut qui venales à ſolo pondere libros
Æſtimet, ignarus quid differat omega ab alpha.
Nec tu magne parens legum mirere, pudicis
Quod non miſcuerim laſciva poemata chartis;
Non bene conveniunt, nec in una ſede locari
Cypria debuerat Venus, & Jeſſæja mater.
Plura locuturo, jam nos condicta, togatus
Subdidit, hora vocat; me nota ad limina dudum
Turba ſalutantum manet officioſa clientum:
Ire juvat: quippe eſt noſtra hæc vindemia, quam non
Ulla intercipiat grando, quam nulla perurant
Frigora, nec vexet boreas, minuatque procella.
Hæc ait atque data prius acceptaque ſalute
Pallia ſub cubitum ſinuoſa interplicat, & ſe
Publica compoſito ducit per compita greſſu.
O' fatuum caput, o ventoſa cucurbita! craſſo
Tune meos Baldo verſus componis, idem ſi
Ac foret excultum deducere carmen, & alta
Legibus ingeſtis conflare volumina? natas
Miror ego, quòd non lentè gradientis aſelli
Induis auriculas, ſiquidem eſt hæc pœna ferentis
Judicium malè de Phœbo, caſtiſque deabus.
Eſſe putas aliquid, vacua quod gymnade clamas
Quidquid erat rigidi ſcriptum Prætoris in albo,
Quidquid barbarico blaterat ſermone pedeſter
Bartolus, & pingui ſcripſit quodcumque minerva
Nugarum ſimul, & ſummæ quoque conditor Azo:
Quodque

Quodque rotæ Auſoniæ, violento cujus in orbe
Plurimus in longos Ixion voluitur annos,
Enucleas decreta, quibus reliqua adiice, feudos
Falcidiam, atque dolum, culpam, latamque, levemq;
Et quæ præterea rabulæ ſuevere forenſes
Non intellectis heu barbara ponere rebus
Nomina: finge tibi noſtris exercita muſis
Præla, tot aſſiduis, quot Neſtor viderat, annis;
Quid tamen hoc profit, tibi ſi conſcripta latino
Carmine lecta duas abſumit pagina lunas?
Utilius fuerat tibi nulla poemata Perſi,
Utilius fuerat tibi condere nulla Catulle,
Nulla brevi ſiquidem debetur fama libello.
Sola voluminibus poſthac diſcrimina moles,
Et pondus facient, Labeo ſic juſſit habendum
Cauſidicus, tantùm muſarum, artiſque peritus,
Quantùm in vitales nuper puer editus auras.

De moribus Cauſidicorum

ECLOGA I.

INTERLOCUTORES

Damon, Alexis.

D. QUæ patrio te rure procul, piſcator Alexi,
Tàm longè tenuere moræ? quoties ego fidum
De te Demetam, quoties Corydona rogavi!
Nec tamen ulla mihi de te retulere roganti.
A. Quandoquidem urgebat mala nos penuria rerum,
Urbem

Urbem adii, ſi ſors domina arriſiſſet in urbe
Quæ ſemper vultu me ſors reſpexit iniquo:
Tandem poſt varios quibus eſt obnoxia caſus
Paupertas, condicta operam mercede locavi
Cauſidico, quo non eſt vertere doctior alter
Jura, & perſpicuo tenebras inducere vero.
D. Ut video, fato ſortem meliore novaſti,
Namque rubens vultu, plenoque es turgidus ore,
Et pallor vetus, & macies antiqua receſſit.
A. Nil melius noſtris poterat contingere votis;
Nec pleni baccho cyathi, nec pinguia deſunt
Prandia, dira mihi penitus valedixit egeſtas.
D. Humanas ſiquidem varius res temperat ordo,
Nullane tam fauſtis appendix addita rebus?
A. Ut fatear, mihi non ſinit omni à parte beatos
Ire dies pars officii comiſſa diurni;
Namque meus labor eſt ad limina ſtare, clientes
Excipere, & domino ferre, & reſponſa referre.
Mentiar, à roſei primo ſi luminis ortu
Ulla quies datur uſque ad opaca crepuſcula noctis.
Semper adeſt pulſans, & ſemper ad oſtia clamat
Ille ferens lepores, hic raptas corte volucres,
Sæpe aliquis vitulos à torva matre petitos.
Hiſce oculis vidi cælatis aſpera ſignis
Ulpidii famulos argentea vaſa tuliſſe
Subter palliolum: lex dicta ferentibus hæc eſt
Ut clam dona ferant, vafras ne inquirat in artes
Vulgus heri, populuſve dolos deprendat iniquos.
D. Scilicet in ſolo Juriſprudentia lucro
Vertitur, & deſiderio nutritur habendi.
A. Sunt etiam, qui ſolerti enucleanda patrono
Mittunt ſcripta ſuperpoſito gratiſſima nummo:
Ille datum in ſcriptis tacito riſu approbat aurum
Diſſi-

Diſſimulans, vertitque aliò ceu nolit ocellos,
Seque bonum poſthac ſpondet, memoremque futurum:
Quatuor inde notas confuſæ in margine ducit
Scripturæ, & ſpatio inter ſe diſtantibus amplo
Pagina lineolis abſolvitur integra quinis.
D. Dic mhi, num ſapiens varia perhibetur in arte
Cauſidicus, novitne ſophos, & numina Pindi?
A. Si longo excipias quod jus cognovit ab uſu,
Sic ſophiæ ambages, & dulcia carmina callet,
Ut puer, anniculum cui nondum acceſſerit ævum:
Tantùm cauſidicis placet ipſa ignavia, quantùm
Aer alitibus, nativum piſcibus æquor:
D. Credideram quotquot rabidi impacata frequentant
Regna fori, populoque ferunt reſponſa petenti
Palladia ſupra reliquos excellere laude;
Namque illos ajunt immenſa volumina, libros
Innumeros intra forulos ſervare repoſtos.
A. Crede mihi à ſolis fruſtra ſapientia chartis
Quæritur, ignavo cùm mens torpore laborat.
Siquis erit tamen ulla cui ſit portio mentis,
Tunc vafer in melius ſibi quod videt eſſe futurum
Detorquet variis leges ambagibus, actor,
Annè reus fueris diſcrimine habebere nullo;
Exitus oblato litis dependet ab auro.
D. Tantarum undè tibi tam vaſta peritia rerum,
Qui modò ducebas captos ad roſcida piſces
Littora, piſcatuque dies agitare ſolebas?
A. Ingrata quicumque moras traducit in urbe
Sit famulus licèt, aut ima de fæce popelli,
Urbanos mores, & plura vocabula novit
Hactenus ignota agricolis: puer omnis, & ipſa
Plebs, quæ venales explorat pollice ficus
Scribarum indoctum genus, atque ad furta paratum,
Digno-

Dignovit melius, quàm notus ovilia paſtor.
D. Indocti penitus quòd ſint, tantùmque periti
Ad diverſarum Scribæ molimina fraudum,
Miror ego, timideque tibi mens credula noſtra eſt.
A. Ne mirere doli artifices, fraudumque patronos,
Mos hic jam tota quando eſt communis in urbe:
Nec minus illorum te non ignavia tangat;
Subtiles ſiquidem qui ſe profitentur alumnos
Palladis, & ſophiæ latebras rimantur opertas,
Appellant ſtudium, quæ docta academia dici,
Atque vocant faſces, quæ dici faſcia debet
Non ſua diverſis aptantes nomina rebus;
At ne prætercam quod erat memorabile primùm,
Quis riſum tenuiſſe queat, ſi forte legenti
Occurret, miſeri qui triſtia damna Souſæ,
Fataque mille jocis rerum narravit ineptis?
D. Vè tibi, ſi quidquam populorum adſtante corona.
Huic ſimile exciderct, vel ſi tua pagina falſo
Morderet luſu, hac fatuas de gente mariſcas;
Protinus ad gelidos exul tua charta Batavos
Iret, & Auſoniis proſcriberetur ab oris.
A. Hæc ſint dicta joco; curas repetamus inanes,
Nugaſque, & plebis deliramenta forenſis.
D. Plura quidem memorare potes, qua fraude clientes
Decipere, & dubias ſoleant producere lites,
Verba quot eraſis expungant ſcripta tabellis:
Verùm Thelioris juga poſt nemoroſa ruens Sol
Colloquiis monet alternis imponere finem;
Plurima de populo faciemus verba togato
Craſtinus eoos cùm Lucifer advehet ortus.
A. Ut lubet, incœptam cras perficiemus inepta
De gente hiſtoriam, & meritos reddemus honores.

ECLO-

ECLOGA II.

Acon, Jolas

J. CUi tu nuper Acon lectas in vitibus uvas,
Rubraque textilibus portabas mala caniſtris?
A. Cauſidico condicta tuli munuſcula, namque
Lis mihi de tribus eſt raptis à fure capellis.
J. Infelix o paſtor! oves raptaſque capellas
Utilius poteras ſævo dimittere furi,
Cauſidici quàm furta pati pejora; putaſne
Purpureis pomis, & lecta in vitibus uva
Illius ingentem tibi conciliare favorem?
A. Eſt etiam parvis ſua donis gratia: vidi
Judicis ante pedes, metuendumque ante tribunal
Vimineis gemere in caveis quandoque columbas;
Quodque ſine ingenti non eſt memorabile riſu
Orabat raucis cauſam clangoribus anſer;
Adde quod & parvo mihi munera parva ſtetere.
J. Non ego diffiteor, quin parvæ tenvia dona
Impenſæ tibi ſint, verùm repetita nocebunt,
Et lis proventus dilata exhauriet omnes.
A. Ille ubi conſpexit ciſtis allata ſalignis
Munera, cœpta hodie non hebdomas, inquit abibit,
Aſſeruiſſe tibi tua cùm me armenta videbis;
Atque hæc dicta mihi per ſacramenta ſpopondit.
J. Hæc tibi quinquagies repetet, cras & fore dicet
Finem litigii, donec penitus tibi totos
Emungat loculos, & opes abſorbeat omnes
Ingenti quas rura ferunt exercita cultu:
Nulla fides legum rabidis, pietaſve tyrannis.
A. Urbanos quæ cauſa fuit tibi noſcere mores,

Præcipuè quorum toga publica compita verrit?
J. Lis mihi de prato fuerat cum divite Rullo,
Et ſi præteritos caſus, exemplaque ſpectes
Jura mihi primas tribuebant omnia partes:
Succubui tamen, atque ſtetit victoria Rullo:
Empta tamen magno; nam mittere dona ſolebat,
Quanta poteſt cui cenſus, & ampla domeſtica res eſt.
Hinc clades fecere, & me mea damna peritum.
A. Amiſſi te prati angit jactura, forenſes
In gentes ideò exerces odia aſpera; nonne
Regnaret populos feritas impune per omnes,
Ni populos Themis adſtrictis cohiberet habenis?
J. Jura quidem Themidis laudo, ſanctique ſenatus
Edicta, at veterum decreta everſa Parentum,
Fraudes in verbis poſitæ, notulæque bilingues,
Divitibus favor indultus, miſeriſque negatus
Acrem ſcriptoris ferulam, ſcuticamque merentur.
A. Si non vana refers, ſi non imponis Jola,
Non hac in toto gens eſt furacior orbe.
J. Plura quoque, & majora forent memoranda, ſed iſte
Ne nobis etiam malevertat ſermo timendum.
A. Nil eſt quod metuas, Judex hic nullus, & ullus
Non eſt ſpectator; quin diſſere, ſiqua ſuperſunt.
J. Quando juvat, tibi partim audita exponere pergam
Partim viſa, nec iſta putes inſomnia noctis
Heſternæ, aut ſimiles illis, quas ſæpe ſolemus
Fabellas rerum cupidis narrare puellis:
Ficta forent utinam, vel quæ ſunt publica vota
Nullus pragmaticus, nummive fuiſſet hyrudo,
Nullus & ex illis, qui teſtamenta reſignant,
Nullus & ex illis, qui legum dogmata tradunt
Neſcio quæ, magna juvenum ſtipante corona.
Ah quoties ficta fecere cadavera voce

Sæpe

Sæpe loqui, arbitrioque ſuo ſcripſere vocatos
Hæredes; quoties recitarunt diſpare ſenſu
Cauſidici tabulas, & lectis nullibi concors
Pagina reſpondit! non illos arcta popelli
Conditio potuit ſolitis avertere furtis,
Non Themidi jurata fides, non terror ab ullo
Judîce, non vindex ſupremi Numinis ira:
Et tamen urbana ſiquem de gente requiras,
Cui ſint in centum porrecti jugera fundi,
Pocula cui caleant, & pinguia prandia fument,
Scriba erit, aut aliquis populi de fæce forenſis:
Nos miſeros, quorum ſunt vota modeſta, colonos
Et quibus innocuum ſine crimine ducitur ævum,
Perpetuæ afficiunt clades, à Theutone longus
Sollicitat terror, repetendaque fortè tributa;
Res anguſta domi premit, & felicia ſiquas
Rura ferunt fruges, ſiquos vineta racemos
Sæpe repentina rapit invida grando procella:
Nulla nocet rabulis frugum penuria, nullus
Turbo, nec hybernæ formidant damna pruinæ
Quæ creſcunt variis patrimonia magna rapinis.

A. Nil ergo utilius fuerit, quàm ſe addere magno
Scribarum numero, & cauſas orare clientum;
Sit malè Pieridum ſtudiis, quibus aſſolet ire
Paupertas ſemper comes, atque miſerrima vitæ
Conditio; plus ignavi maleſuta Patroni
Scripta valent, quàm *ſmyrnæi celeberrima vatis*
Ilias, & ſummus divinæ Eneïdis auctor.

J. Urbem quandoquidem fatuam populumque minorem
Offuſis premit ignorantia craſſa tenebris,
Nil mirum, veteri ſi Bartolus ore locutus
Neſcio quis docto Mantus præfertur alumno.

A. Hæc pœna indocti eſt, nequidquam agnoſcere poſſe

Quid pejora bonis, pulchris deformia diſtent.
J. Cum de Muſarum ſtudiis, Latiaque minerva
Res agitur, palmaris eos ignavia vincit;
At loculo implendo cum ſe dolus aptior offert,
Protinus aſpecto quevis ignavia lucro
Exuitur, ſapienſque dolo fit ſcriba reperto.
A. Ut video hinc rerum ſeges altera creſcit, & altas
Interea medius nemorum Sol contrahit umbras:
Ulterius ne tende; ſatis ſcelera impia, verſos
In pejus mores, & iniqua accepimus auſa:
Quod ſupereſt, ſiquidem in toto nil ſanctius orbe eſt,
Sic rabulas fido, ſcribaſque colemus amore,
Ut lepores canis, agna lupos, & cerva leones.

ECLOGA III.

Acon, Jolas.

A. HEſternus dira veniens ex urbe Menalcas
Rettulit, iratos nobis mala multa minari
Cauſidicos, quoniam illorum ridere loquaces
Audemus nugas, lepidiſque laceſſere dictis:
Quam vereor ne (ſæva ferant procul omina venti)
E' nobis duras meditentur ſumere pœnas.
J. Scilicet extremæ proſcripti ad littora Thules
Ibimus, in mores plebis quod pauca forenſis
Luſimus, & verum diſcuſſa oſtendimus umbra?
Non hoc de vobis pietas ſperare jubebat
Veſtra patres, patrii juris, legumque periti,
Et vos qui lacero Themidis propè limina ſcribæ
Palliolo rigidæ duratis frigora brumæ:
Sed timor ætherias fors hic vaneſcet in auras,
Et

Et puto vos nobis tantummodò velle nocere,
In fontem verſo cùm Cingulus amne redibit;
Hoc amor, hoc probitas, veſtra & clementia ſpondet.

A. Non ſatis eſt quòd cauſidicis ſale multo, & aceto
Heſterna lucem fricuiſti luce, niſi illos
Irridere velis? cave ne te in carceris antro
Interiore locent, aut ad ſuſpendia mittant;
Ipſe tibi hanc cladem, mala noſter & iſta Menalcas
Illorum tetricos dixit prædicere vultus.

I. Si ſcelera obiicimus rabulis, arteſque doloſas,
De ſcelere objecto culpamur, & arte doloſa;
Horum ſi meritis laudes perſolvimus æquas
Irridere putamur, & acri illudere verſu;
Quid faciam dubito, meaque eſt ſententia diſcors.

A. Dicentis rectæ quæ ſit ſententia menti
Proditur è vultu; variis dum laudibus illos
Accumulas, laxis exſolveris ora cachinnis.

I. Eſto, quod officii cauſa [nunc ſeria verba
Eloquor, & teneo riſus exire paratos]
Eſto, quod officii cauſa data ſumere dicam
Munera pragmaticos, quis ni ſit ſtultus, & excors
Credulus eſſe velit? jurabo vocabula chartis
Eraſa, ut ſenſus, melioraque verba reponant,
Quis præſtare fidem poterit? patrimonia caſus
Auxit, fortunæque favor, non publica furta;
Urbs me mendacem, me curia tota vocabit.
Quo pacto aonia doctl dicentur in arte,
Qui nec metiri, nec recto inflectere norunt
Ordine verſiculos? ſi non erit ille poeta,
Saltem erit Orator; latet hunc ſed ſcripta latinè
Syllaba, barbarico noteſcit pagina tantùm
More notata; quid eſſe putem, benè vertere ſemper
Quòd lis divitibus ſolet, & malè cedere contrà

Pauperibus, niſi quòd ſic omnia jura ferebant?
Fabula ſed teneris hæc eſt narranda puellis
Antè focum, dum noctu hyemes vigilamus iniquas.
Ipſe vides rerum quonam in diſcrimine verſor.
A. Si quando tibi conſultum continget adire
Cauſidicos, ut ſæpè ſolet contingere, cui res
Eſt commiſſa domùs, aut ſi lis ulla reſurget,
Quam non vindictam, quæ non tibi facta reponent
Improba, pro falſo quo tu ſermone jocaris?
I. Et mihi dum rubro cum Tyrſide prælior ovo
Lis erat, & ſenior niſi compoſuiſſet Amyntas
Prælia, ad urbanum litem deferre patronum
Mens fuerat, rem judicio qui expenderet æquo;
Nulla mihi à rabulis eſt juſti cauſa timoris:
Quin nos officiis colere, atque faventia verba
Dicere debuerant, quòd noſtro carmine vecti
Ingentem trans Oceanum glacialia viſunt
Littora, & Aonia florentes laude Batavos.
A. Quando tui mordax excivit muſa forenſes,
Quis ſcit an ex illis tibi non irata remittat
Verba aliquis, metri in morem, legemque coacta?
I. Eſſe aliquem credamne illa de gente diſertas
In nos qui muſas pugnacibus armet jambis?
Cùm ſic auſonias gens calleat illa camœnas,
Ut tardi auritus Sileni vector? at horum
Eſto aliquis doctos meditetur condere verſus,
Qualia conficiet ſed carmina? qualia vicis
Aſſolet in mediis raucus cantare Batyllus,
Dum mendicato victum ſibi comparat ære.
A. Utilius me colloquiis deſiſtere, Jola,
His erit, hæc dominam ne ſi fortè ullus in urbem
Deferat, & pœna quoque nos multemur acerba.
Jamque iter ad patrios tempus condicere pagos.

J. I

J. I felix, memorique animo mea dicta reconde,
Et rabulas ſuper omnia, pragmaticoſque memento
Ambire obſequio, & tibi devincire merendo;
Hoc tantæ ſibi poſcit honos, & gloria gentis.

ECLOGA IV.

Rivus profugus.

Amaryllis, Phyllis.

Ad A. R. P. Nicolaum Parthenium Gianettaſium Societatis Jeſu.

QUi priſcos muſarum, & avitæ laudis honores
Aſſeris Auſoniæ, atque in priſtina jura reponis,
Parthenie, antiquum Latii decus, hos tibi luſus
Ludicra nympharum referentes bella dicabam:
Quandoquidem tenues mihi non ad grandia vires
Munia ſufficiunt, profugi cantavimus amnis
Deſertricem undam, quam cæpto avertere curſu
Uſa tuo tantùm potuiſſet carmine Phyllis,
Freta meo fruſtra tentavit carmine Phyllis:
Tu placido noſtrum vultu dignare laborem,
Quàque potes, levibus plena adiice pondera rebus.

NUper deſerto fons transfuga Phyllidis agro
Ibat ſervitum roſeis Amaryllidis hortis:
Mollibus hæc ergo illecebris, atque illice cantu
Fontis aquam patria retinere laborat in ora.
Illa ſed iratæ ſimilis, ſimiliſque minanti
Nil valitura facit profugo convicia rivo:
Hæc Amaryllis, & hæc jactabat candida Phyllis

Fluminis ad viridem diverſo è gramine ripam.
A. Lucidior glacie, placida tranquillior aura
Fons, & Narciſſo ſpectata pulchrior unda;
Et mea contempta ſi Phyllide rura rigabis,
Splendidior vitro, atque electro purior ipſo.
Ph. Frigidior glacie, rapidaque fugacior aura
Fons, & Narciſſo viſa fallacior unda;
Et mea ni verſis irrores prædia lymphis,
Lentior electro, vitroque rigentior ipſo.
A. Sic tibi ferventes æſtas placidiſſima ſoles
Temperet, atque tibi, mala, rivule, frigora parcant,
Sic tibi nulla hominum veſtigia, nulla ferarum
Vitrea tranquilli turbent arcana profundi.
Ph. Torrida ſic rapidis urat te ſolibus æſtas,
Adſtringatque rigens glaciali compede bruma:
Sic tibi paſtorum, & veſtigia preſſa ferarum
Oblitas patrii perturbent littoris undas.
A. Eſte viæ faciles; nec eunti occurrite rivo
Vos ſcabra ſaxa, & vos folia arida deflua ramis,
Et vos excuſſi boreali turbine rami.
Ph. Vos inhibete fugam, celerique obſiſtite rivo
Objecti lapides, lapſæque ex arbore frondes;
Cæcum iter ambages, & dura repagula tardent.
A. O' mea ſi longo recreabis jugera potu,
Quas non blanditias, & verba faventia dicam?
Tu fletus nymphæ miſeros lugentis amores,
Tu dryadum communis amor, tu rivule noſtri
Diceris ruris medio ſolamen in æſtu,
Floribus undè redit decòr, & ſua gratia; quin tu
Non adeò es fons pauper aquæ; te littora vidi
[Verna darent animos cùm tempora] littora vidi
Alta licèt ſpumis aſpergere; te quoque dicunt
Amnem paſtores, & ego ſum credulus illis.

Nec ſatis hoc; vario de flore fragrantia nectam
Serta; caput violis cinctus, caniſque liguſtris
Pulchrior incedes per florida rura, tibique
Najas adjunctos gratabitur omnis honores:
Mentiar, invidia mœſtas niſi tabidus undas
Cingulus evoluet, quamvis de carmine vatis
Ille ſui modò ſit patriis celeberrimus oris.

Ph. Si fors te cœpto potuiſſem avertere curſu,
Quæ non verba dedi? quò fers veſtigia dixi,
Quò properas ingrate? quid ah, quid patria rura
Deſeris, ignotaſque procul contendis ad oras?
Quàm melius fuerat nativo rure vagari,
Nec longis feſſas tenuare erroribus undas:
Nunc te nulla viæ laſſarent tædia, nullum
Pulverulentus iter faceres: incommoda quanta
Prætereunda loca, & violentior afferet ardor!
Pars non parua tui variis exhauſta peribit
Curſibus, ingenti pars abſumetur ab æſtu,
Partem intercipiet ruris vicinia, partem
In ſua quæ vertet te Amaryllis prædia, donec
Humentem pones animam longinqua per arva,
Solaque, qui fueras, ſterilis monſtrabit arena,
Glareaque infelix. Tum ſicco in littore ſidens
Illudet tibi paſtor, eras & tu quoque, dicet,
Olim rivus aquæ, qui faſtu elatus inani
Sperabas te poſſe viæ tolerare labores,
Sperabas te poſſe æſtus durare diurnos;
Verùm te primis tua vis defecit in auſis:
Hæc tibi paſtores facient, hæc jurgia nymphæ;
Et meritò, quoniam ſordent tibi prædia noſtra.

A. I fons, & curſus properans intende ſecundos
Quò ſitiens vocat herba, vocant quo blanda vireta:
Non inter tribulos, aut horrida luſtra fluentes

Diſpen-

Diſpenſabis aquas, ſed flores inter amœnos,
Et florum ſuaves ſpatiaberis inter odores:
Quin ubi formoſi in medium perveneris horti,
Accedet nova fama tuis, & gloria lymphis:
Æratis illic tubulis provectus in altum
Edita marmoreæ ſcandes faſtigia molis,
Et reliquos infra te amnes, fonteſque videbis
Subdita deſpiciens viridaria: quis reliquis tum
Senſus erit rivis, tacitus quis mœror, aquarum
Te ſupra fortunam, & ad aſtra videntibus ire?
Ph. Ne te, ne veris capiat maletuta voluptas,
Fons, & diverſo vernantia flore vireta:
Illic nulla quies, & nulla tibi otia feſſo
Contingent: variis hàc illàc flexibus ire
Amiſſa fruſtra te libertate querentem
Dura adigent juſſa agricolæ; bibet arida tellus
Humorem, bibet alta ſuis radicibus arbos,
Squamigeræ limoſa bibent vivaria gentis;
Interea ſciſſæ te tot diſpendia venæ,
Et facient tot furta inopem. Si ſculpta figuris
Saxa canaliculis aſcendes ductus ahenis,
Quot tormenta feres! ſumma cùm mole volutus
In præceps liquida aſperges ſubjecta ruina
Marmora, quis timor, & lapſu quis terror ab alto!
Verte aliò curſus, inſueto non bene cœlo
Creditur; ipſe etiam nunc mœret Cingulus, illum
Pœnitet, incœptæque viæ, patriæque relictæ.
Aut hoc, aut ſimili mulcebat carmine fontem [euntē
Pulchra Amaryllis, & hoc quoque carmine Phyllis
Sperabat ſe poſſe ſuos divertere in agros:
Parthenii ſed ubi rivo præconia vatis
Blanda ſpopondit, & inſolitos Amaryllis honores,
Fons tenuit cœptos neglecta Phyllide curſus.

Fraga Amico dono miſſa ſub Autumnum.

Menalcas Amyntæ.

ALpibus in gelidis lecta hæc tibi fraga Menalcas
Mittit, & eſſe ſui dat non leve pignus amoris;
Parva quidem fateor munuſcula, ſed bona dantis
Quæ mens acceſſit donis, & amica voluntas,
Plus tua quàm miſſum puto tanget pectora munus.
Purpureos vepreta legens per inhoſpita fœtus
Quæ non alpini toleravi incomoda cœli;
Aeris inſvetum frigus, vigilataque noctis
Tempora ſub dio, & primo ſub mane pruinas?
At quia ſolus eras mihi cauſa laboris, Amynta,
Nil me perpeſſum frigus, nil triſtia noctis.
Tædia, nil matutinæ movere pruinæ.
Adde quod incœpto me grandinis ira ſub ipſo
Terruit, inclemens Boreas, & jam gravis alto
Axe ruens imber; crudeles parcite vos, ò
Dicebam, venti, ruituræ parcite ſaltem,
Dicebam, pluviæ, lectis dum fructibus altos
Accumulem calathos, qui mox mittantur Amyntæ.
Vix ea fatus eram; pluvias ſenſiſſe putares,
Auritoſque Notos; deterſis nubibus æther,
Riſit, & aprici tranquillior aura favoni
Diſcuſſit denſas pellecto Sole tenebras. [bas
Haud procul hinc, medias rutilant ubi fraga per her-
Piſa virent teneros nondum auſa recludere folles:
Mitia ſi fieri, dubioſque evadere caſus
Avtumni poterunt, tibi & hæc mittemus, & illa;
Tu modò miſſa bono dignare hæc munera vultu.

OVA.

OVA RUBRA

Ad Vincentium Vivianum.

PIngendi unde rubro mos venerit ova colore
Dum placidus teneras veris tepor evocat herbas,
Accipe Vincenti. Quondam de crimine ſummi
Facta parens Læda eſt, ſi vera eſt fama, Tonantis:
Illa prius gravidam quàm fœtu exſolveret alvum
Fæmineo de more cibis inhiabat ineptis,
Pluraque non iſtos quærenda petebat in uſus;
Quodque magis mirere, rubris ſuper omnia pomis,
Atque oſtro ſimili delectabatur Jaccho:
Et ſua luminibus fuerat maleſana voluptas,
Namque illa aſpectis ſeſe recreare pyropis
Sveverat, idaliiſque roſis, nytidoque tabellis
Illuſis minio, & conchili murice, blandos
Antè oculos roſeus ſemper rubor ibat, & illum
Mente revolvebat noctùque, diùque colorem.
Menſtrua Luna ſuum novies impleverat orbem;
Ecce puerperio gemini ſe pulchra reſoluit
Nympha ovi genitrix, & quo foret uſa marito
Nota dedit documenta; novum quin alba ruborem
Sollicita vanæ ſignata cupidine matris
Extra teſta tulit, deſideriumque remanſit
Impreſſum pictis, quod Læda fovebat, in ovis.
Protinus Argolicas iit improba fama per urbes
Furta canens Jovis, & tanti miracula facti
Vix habitura fidem; fieri pars poſſe negabat,
Pars quorum melior ſteterat ſententia menti
Vera fatebatur, nam matrum dira cupido

Aſſolet

Aſſolet in fœtu ſua ſæpe relinquere ſigna:
Ex illo inventrix nugarum Græcia, cæca
Sive ſuperſtitio, novitas ſeu talia ſuaſit,
Purpureo inſtituit pingenda colore quotannis
Ova coloratos Lædæ referentia partus;
Miſſus ab inachiis dein poſt breve tempus Achivis
Mos hic Auſoniis etiamnum perſtat in oris.

VINETA.

MEI-

EMINENTISSIMO PRINCIPI

BENEDICTO

PAMPHILIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Thomas Ravaſinus Felicitatem.

SI, qui reliquis mos eſt ſcriptoribus, tuarum laudum recenſione aditum ad te mihi munire vellem, PRINCEPS EMINENTISSIME, ea mihi rerum ſuppeteret copia, & argumenti varietas, ut verendum mihi foret, ne ex ipſa materiæ ubertate ſuperflueret, ac redundaret oratio. Gentilitios primùm faſtos producerem heroibus diverſa florentibus laude inſignitos, ſummoſque ex iis excerptos Pontifices, quos clariſſimo genere contigiſti, oculis ſubiicerem lectorum, illudque poſtremò ſuperadderem, omnia proavorum decora, religionem, ſapientiam, pietatem in unum non tantùm congruiſſe nepotem, verùm etiam tàm profunda eundem majorum in factis impreſſiſſe veſtigia, ut plura, quàm ipſemet ex iiſdem expreſſerit, poſteris reliquerit imitandum: ſed cùm hæc, aut his ſimilia aliquando in immerentes quoque ſcriptorum detorſerit ignavia,

via,

via, omnemque penitus exhauſerit adulatio laudandi novitatem, qua dotes tuas utpotè minimè vulgares efferre opus eſſet, nihil aliud novi ſupereſſe arbitratus ſum, quàm ſi tuorum meritorum amplitudinem, animique bona præclariſſima conſultò præterirem ſine laudatione, tantùmque de ſingulari tuo in litteras amore, ſummaque benignitate, qua litteratos omnes ad te allicis, verba facerem, non ut hæc quippe magna, quippe præconio digna diſerta eloquendi facultate ſuſciperem exornanda (quid enim tibi decus ab imperito accederet encomiaſte?) ſed ut palàm profiterer toti orbi, ea ipſa tantummodò fuiſſe in cauſa, cur hoſce tibi viro Principi libellos nuncupare mihi viſum ſit. Tuam enimverò comitatem, atque facilitatem teſtimoniis confirmare neceſſe non habeo, ſatis enim ſuperque te quiſque humaniſſimum intelliget, ubi hoc georgicorum volumen, argumenti quamvis tenuitate aſpernabile, omnique penè deſtitutum elegantia, tuo te viderint complexum eſſe patrocinio. Siquis verò officioſæ voluntatis tuæ ulteriora requireret exempla, eum ad eruditos viros, quorum induſtriam, & ingenium excitaſti, ad poëſeos quoque, & variarum ſcientiarum cultores, quibus tuæ benevolentiæ declaratione animos erexiſti, deducerem; quamquam ſi eos potiſſimum quos eximio favore proſecutus es, impræſentiarum dare vellem, prolixa rerum enumerandarum ſerie ipſam confunderem veritatem: tua quippe gratia paucis cùm ſit parabilis, & ad benefaciendum præcipua propenſio, plures ideo extitere, atque exiſtent plurimi, qui tua obſtricti munificentia, prius à te nobiliſſima ſentient retuliſſe beneficia, quàm meruiſſe: nec tua tamen benignitas eſt illiterata, ut in aliquibus ſolet uſuvenire, qui ut bonarum artium videantur ſtudioſi, cæteris adminiculis defecti, ſæpe liberalitate, inſcito ſæpe plauſu litterarum amorem mentiuntur, aut ſumptuoſis inſtructis bibliothecis, quas

num-

numquam excuſſere, famam venantur eruditorum; tu quid in ſcriptoribus condonandum, eorumve genio indulgendum, aut quid denique converſo pollice damnandum, non tam optimè dignoſcis, quàm ingenio ad maxima quæque rei litterariæ obeunda munera idoneo præditus es, quo ſit ut ſcientiarum doctrina excultiſſimus in errorem adduci non poſſis, niſi te tamen ultrò ad humilia pariter, nec ex tua dignitate opera velis demittere, hoc ipſo glorioſior, quod apprimè ſcitus, uti modò liquidò conſtat, ſequioris notæ non dedigneris authores. Summates, ac reges ſi quando armorum potentia freti fines imperii proferunt, atque amplificant, præcipuo ſolent honore affici, ingenſque ſibi comparant nomen, & decus: tu dum litteras colis, atque promoves, bellicam Imperatorum laudem infrà te ponis, nam illi tantùm ſuæ ſtuduerunt utilitati magna ſæpe conſequente populorum ruina; tu verò non tuæ tantùm famæ, ſed publico hominum commodo litterarum conſulviſti propagatione: quamobrem mihimet non immeritò gratulari poſſum ejus me ſub auſpicio Principis poëtam egiſſe, de quo quò plura à me circumferuntur encomia, eò magis abeſt à me ſuſpicio aſſentationis, quod reliquis poëtis, & oratoribus rarò eveniſſe compertum eſt: quandoquidem illi exquiſitis ſæpe extulerunt præconiis, quod ſuorum in operum patronis non viderant, ſed optabant. Quid non igitur à tua magnitudine ornamenti, à patrocinio felicitatis, à gloria ſplendoris conſecuturas non putem poëticas haſce lucubrationes, licèt ego quoque non dubitem, quin plurima in iis deprehendantur errata? Verumtamen etſi quàmplurima vitio dabuntur, haud mihi faceſſent negotium, dummodo tibi uni, vel poëtis quibuſcumque herbam porrigens, non diſplicuiſſe promerear. Quam ego in ſpem ex facili adductus ſum, dum opuſculum tibi inſcriptum jam tuum ſingularibus officiis feciſti,

X *ſicuti*

ſicuti etiam lectoribus minus injucundum fore confido, ſiquidem illud præclariſſimo nomine, cui nihil ab omiſſis laudibus detrahi, nihil ab evulgatis adiici poteſt, perhumaniter decoraſti. Longius facerem, PRINCEPS EMINENTISSIME, *ſi cætera, quæ recenſere opus eſſet, proſequi vellem, ideoque qui eloquendo declaravi certiſſimum devincti animi ſignum, ita ſilentio meum erga te obſequium exprimere conabor, niſi quis fortè mihi ſuccenſeat, quod de te viro omni commendatione digniſſimo conticuerim, quando uberiùs dicendi, cùm à tuæ conditionis amplitudine, tùm meo officio neceſſitas imponebatur. Vale, & te Deus optimus maximus omnibus honoribus florentiſſimum quamdiutiſſimè ſervet.*

LIBERI.

Vinea ſeſſilis.

QUæ Baccho faveat regio, quo culta labore
Frugiferum plenis ditet proventibus annum
Vinea; quæ teneris obſint, quæ vitibus apta
Tempora conveniant, cujus mendacia culpet
Palmitis è vario ducta experientia rerum
Eventu, tenuis quid Luna, quid annua proſit.
Pampineis tonſura comis, quæ mitibus uvis
Conſulat, & liquido quæ cura adhibenda Lyeo
Auſoniis canere incipiam. Jeſſæa Tonantis
Virgo parens, taciti cui parent lucida Mundi
Sydera, quam frugum, tempeſtatumque potentem
Implorat voto numquam deluſus inani
Vinitor, & leges ponentem elementa verentur;
Da faciles puppi Zephyros, incertaque vela
Auſpiciis intende tuis; tibi fertilis anni
Dona, tibi lectas patrio de more vovemus
Primitias, humileſque tuis advoluimur aris,
Autumni placidos ſoles, ſine nube ſerenas
Orantes hyemes, & mitia tempora veris.
Sic tua pampineos cuſtodia ſoſpitet agros,
Et fontes nebulas, nocuaſque eliminet auras;
Sic fœcunda tuo ſemper de munere tellus
Pareat agricolæ votis, ſemperque quotannis
Veſtiat apricos felix vindemia colles.
Adſis, & noſtris Divùm mitiſſima cœptis
Annue, ſuſceptoque libens ſuccurre labori.

Quòd ſi figmentis vatum, Grajùmque repertis
Inſolitas auſim nebulas inducere vero,
Non ideo noſtras, Diva, averſare camœnas;
Conditio hæc hominum eſt, ut, quæ documenta feruntur
Non niſi mendacis placeant ſub imagine formæ.
Primùm vineti lex eſt non una ferendi,
Formandi non una; opulos pars vitis in uſus
Fraxineaſve adhibet ſtirpes; ſunt & quibus ulmus
Arridet magis, ut gratæ quæ pabula frondis
Sufficiat pecori, varioque ſit inſuper uſu
Utilior; pars [orſa mei quæ prima laboris]
Vitibus erectis cubito non ampliùs uno
Inſtituunt nova frugiferos vineta per agros.
Principiò arboribus teneras adjungere vites
Tantùm mos erat; umbroſæ poſt arboris uſum
Damnavit caſu Bacchus commotus iniquo.
Ampelon, ut perhibent, ſatyro, nymphaque creatum
Proximitate Pater generis Lenæus amabat;
Utque ſuum factis, doniſque probaret amorem,
Illi pampineam pro munere tradidit ulmum.
[Ulmus erat nuper, vitiſque reperta] novello
Munere gaviſus, dulces ut carperet uvas
Inſiluit plantæ ramis puer; ecce revulſus
Decipit, & miſerum, ramuſque, & vita relinquit.
Suſtulit in cœlum, vertitque in ſydus Jacchus,
Cui nunc nomen ineſt de re vindemitor, inde
Delapſi pueri memor, indignæque ruinæ
Seſſilis inſuetum vineti repperit uſum.
Hoc igitur ſi more tuis inducere campis
Bacchæam ſtudeas ſobolem, clementia blandi
Aeris, & tepidos locus eſt capiendus ad Auſtros,
Qui nec depreſſis ſubſidat vallibus, alto
Nec ſe monte levet: ſed qualia dicere poſſes
Eſſe

Eſſe rudimenta incipientis ducere formam
Collis, & in tumulos paulatim exire parantis.
Nam quà planities ſpatio ſe porrigit amplo
Infenſæ exhalant nebulæ, quibus irrita primi
Spes anni perit, aut quem proxima gleba remittit,
Uva repercuſſo vitiatur adusta vapore.
Stirpibus idcirco arboreis apponere vites
Proderit in plano, & ſocias attollere ad ulmos,
Ne mala telluris noceat vicinia. Nec tu
Alpini vano fundi capiaris amore:
Illic nec cœlum, nec ager vineta colenti
Ingenioſus erit, nec triſte cavebit Jacchus
Ingrati vitium ſucci, auſterique ſaporis.
Conſita quin ſpectet moderantem tempora ſolem
Vinea, ſeu primo roſeum caput efferat ortu,
Seu medio ferat axe viam: ſine munere ſolis
Lætus proficiet vix pampinus: at niger æſtu
Afer ubi ſitit, & flatu furit Auſter iniquo,
Utilius gelidis objecta Aquilonibus arva
Lenta vite feres, jubarique averſa diurno.
Ulla magis ſed ne teneat te cura, parandi,
Ingenium quàm noſſe ſoli; lætiſſima pinguis
Agri conditio, ſuperat cui plurimus humor,
Plùs nimio teneris indulget ſtirpibus, undè
Planta ſtudet vanas tantùm producere frondes,
Aut vitium ante diem capit uva, imbreſve nocentes
Culpat, & inſcito corrumpit vina ſapore.
At nec humus Baccho præſtat jejuna ferendo,
Cui fœcunda deeſt nativi copia ſucci.
Non aliter nimius quos corripit ardor edendi
Plura dapum, quàm ferre queant, alimenta fatigant.
At quos exercent contra jejunia, triſtis
Attenuat macies, & vis, animuſque relinquit.

Rara quoque eſt, quæ vix in propria commoda vertit
Terra fimum, pluviaſque: graves non ſuſtinet imbres.
Si qua nimis denſa eſt, plantarumque ardua differt
Incrementa, novo nec tu loca conſere Baccho,
Glarea quæ mixtà ſterilis prætexit arena,
Infelixque lapis; ſitis arida, noxia longam
Frigora ſub brumam, penuria palmitis, hæc ſunt,
Quæ de ſaxoſo venient incommoda fundo.
Læta tamen ſaxis ubi gleba accedit, in ulla
Utiliùs non parte ſeres: quod noſcere certum eſt
Ex animadverſis, natura erit aptior illa
Telluris, cui temperies æqualis ab omni
Parte ſit, & juſtos excedere neſcia fines.
An prato tamen, & nemori, cultone novali
Vitigenam præſtet prolem committere, paucis
Expediam. validas quæ longa per otia vires
Collegit nullo tellus exercita cultu
Credita fortunat plantaria; ferre quotannis
Prædia juſſa alias fruges, aliaſque, ferentum
Non benè reſpondent votis; laſſata ſeneſcit
Fructibus aſſiduis humus, atque exhauſta labore
Eludit miſeri molimina vana coloni.
Non ſecus ac mediis ſi fortè viator in agris
Feſſus iter trahat, & nimio ſe ſole fatiget,
Si fors ad nemorum tractus divertat opacos,
Et curva Zephyros captans in valle reſidat,
Protinus amiſſas vires, animoſque priores
Colligit, atque viam ſtudio majore reſumit.
Sic ubi vomeribus multos intacta per annos
Aſſervit ſeſe, & concepit terra vigorem,
Agricolùm varios facilem ſe præbet in uſus,
Fructibus & variis, meſſique eſt apta ferendæ.
Ante tamen, quàm plebs operi ſe accingat agreſtis,

Quæſitis

Quæſitis locus uſque ima in radice levetur
Arbuſtis; dextra quatiens, lævaque bipennem
Villicus ingentes repetitis ictibus ornos
Sternat humi; viburna ſimul, ſimul integra quercus
Secula viſuras, & robora vertat opacas
Denſa comas, ſecus in ramos effuſa fluentes.
Obtendet teneris inimicas vitibus umbras,
Humoremque ſuis radicibus attrahet arbor,
Humorem viti qui conveniebat alendæ.
Purgato arboribus, ſimul & radicibus agro,
Commoda ſint qualem loca componenda per artem,
Præcipiam. effoſſos (a) alta in faſtigia ſulcos
Poſt alii, atque alii excipiant longo ordine ſulci,
Dum penitus totum campeſtre ſubegeris æquor.
Atque hæc continuo lex eſt ſervanda tenore,
Ut ſcrobis alterius, quæ primam ponè ſequetur,
Eruta gleba, ſcrobes cumulo majore priores
Repleat; inter & has terræ pars extet, & illam
Nulla intacta: dolos poteris deprendere vernæ
Prætereuntis agri ſine juſto jugera cultu,
Immiſſis cuneis, & adacta in jugera virga.
Si facilis fundum cuneus deſcendet ad imum,
Culti certa ſoli, ſi conſtans gleba reſiſtet
Inculti tibi ſigna dabit: cultura bimeſtri
Anticipet ſpatio viti præſcripta ferendæ
Tempora, quò tenui ſe pulvere terra reſolvat
Solibus edomita, & pluviis, ventiſque ſubacta.
At ſi lunarum vertat ſe longior ordo,
Paulatim tellus in ſe depreſſa reſidit,
Denſaturque mora, & fruſtra nitentibus obſtat
Plantarum fibris. Hac campis arte paratis,
Nocturnas contra inſidias, furumque, canumque

(a) *Paſtinatio.*

Munimenta para: ſulco circùm omne cavato
Vinetum, vepres defige aliunde petitos,
Ordine depactos duplici, emotamque reciſos
Propter humum, quò multiplices è vertice cæſo
Eliciant ramos; miſſa ter fronde, ſeverum
Sepibus incipies poſitis imponere morem,
Et fictas certa ſub lege reponere; ſiquis
Juſſam exors ramus menſuram excedat, acuta
Falce premes, votoque etiam ſervire jubebis
Spectantum tonſa reſpondentem undique forma.
Nec cultu poſt te pigeat renovare frequenti
Circùm tellurem, atque greges arcere petulcos
Pretento è ramis munimine; firmior ætas
Cùm veniet, ſepes cuſtodem ſpinea cratem
Negliget, & pecus omne ſua vi freta repellet.
Non aliter dubii contra diſcrimina belli
Arx longo ductis circumdatur ordine muris,
Elatiſque ſolo aggeribus vallatur, iniquas
Injectura moras hoſti valida arma ferenti.
Semina nunc ſupereſt, qua parte legenda, referre,
Quaque magis ſe matre probent: è vitibus ulmo
Adjunctis cape ſpem generis, connubia ſi te
Ulmorum cum vite juvant; ſi ponere præſtat
Vinetum trunco propè humum breviore repreſſum,
Anniculus pariter tali de ſtirpe legatur
Malleolus, ſed & hunc de traduce ſelige, nam qui
Propter humum fruticat, truncoque adnaſcitur, uvis
Inſuetus, mores pariter translatus eoſdem
Servat, & excuſat vanis ſe frondibus; aptus
Ille erit in proprio ſibi qui non defuit anno
Pignora ſpe majora ferens; nec vana cupido
Longinquo veniat ſtirpem tibi rure petendi,
Advena quippe pavet novitatem pampinus; auras
Fertque

Fertque malè ignotas cœli variantis, amica
Suggerat hunc potius vicinia: ſede parata,
Vere ferente novis fœcunda exordia rebus,
Comprenſum terebræ ſarmentum fauce bicornis,
Inflexumque manu priùs altiùs infode, facto
Immiſſa terebra ante foramine; nec priùs illa
Aprenſam ferrato abſolvat ab ore ſagittam,
Culturæ fundum quàm perveniatur ad imum,
Supra tellurem binis non amplius extet
Malleolus gemmis, nec primis ullus in annis
Menſis prætereat, duro quin jugera raſtro
Sæpe movens teneris nocituras vitibus herbas
Aſſidua evellas opera; memorabile quodque
Primùm erat, haud temerè vinetum conſere, parte
Ex omni potiùs juſtus reſpondeat ordo
Plantarum, & ſpatia interſint dimenſa; ferendi eſt
Lex varia, & diſcors pro conditione locorum;
Hos ordo ſimplex, illos formata tenore
Vinea quadruplici juvat, ut ſint quatuor intra
Concluſæ ſpatium breve plantæ, & quatuor inde
Poſt aliæ, atque aliæ concordi lege ſequantur.
Nec minùs in partes diſtinguant quattuor agros
Vitiferos, & circuitu quadra omnia recto
Componant diverſarum ſegmenta viarum,
Unde racemifero lectos in palmite fœtus
Efferat, & ſolers ſpatietur ſæpè colonus
Obſervans teneras benè num perducat ad uvas
Emiſſos palmes flores, decocta tepenti
Num ſolis radio miteſcere cœperit uva.
Quin etiam ſi te civili ſorte juvabit
Semotum ſtrepitu, urbanarum tædia rerum
Diluere, hic poteris partem de luce diurnam
Demere, nunc Zephyros captans, auraſque ſalubres,
Lumina

Lumina nunc recreans proſpectu: carmine muſas
Sæpe vocabis, & hæc, ni me ſpes irrita fallit,
Noſtra recenſebis patula documenta ſub umbra,
Nec non cum viſis committes tenuia rebus
Carmina, muſarumque ullo fors tactus amore
Fauſta ſimul ſcriptis, vatique precaberis abſens.
Vinetum certa ſine lege, ſine ordine quondam
Ponere mos erat, ut campi nativa ferebat
Conditio; normam vineti Bacche ſerendi
Cultior aſſueto, ſi vera eſt fama, dediſti.
Proſpera lux aderat, qua magnus Juppiter olim
Stravit terrigenas impacto fulmine fratres;
Ergo omnis ſummo Divorum turba Tonanti
Ibat feſtivum gratati rite triumphum:
Pulchrior exculta venit Cythereja forma,
Tectaque laurigeris Tritonia frondibus haſtam,
Venit & inſtructo proles Tegeæa galero,
Saturnuſque parens, & Mars tum cinctus oliva.
Ipſe quoque uvarum, vinique repertor Jacchus
Adfuit; artificis non illum gratia cultus
Laudabat, doctave decor quæſitus ab arte;
Incompti crines per lurida colla fluebant,
Totaque veſtis erat de muſto ſordida: Bacchum
Ut videre comas impexum, ſumma ferentem
Greſſus per loca, cœlicolæ riſere, diuque
Magna fuit reliquis Lenæus fabula divis.
Ille pudore, ſimulque ira perculſus, ubi ſe
In patriam Naxon cœlo è bipatente recepit:
At non veſtra iterum patiar convicia, dixit,
Materies, ſuperi, veſtris nec luſibus ultra
Ipſe ero; ſic ait, atque rudi ſuccurrere formæ
Arte nova ſtudet, & ſocors incuria turpi
Ne ſit dedecori, ſparſos per colla capillos

Com-

Componit, chlamydem & membris juvenilibus aptat,
Quam triſtis poſthac nequeat reprehendere livor:
Hic modus, hæc formæ curandæ regula molles
Tranſiit in vites, cultuſque frequentat eoſdem,
Cui Bacchus, ſimili indulgens quoque vinitor arti.
Illa tibi pariter ſit cura, ubi vinea ſummum
Definit in collem, tecta opportuna regeſtis
Texere de paleis, aut de ramalibus, alto
Suppoſitis tecto tignis; vineta colentem
Ante expectatum ſi te deprenderit imber,
Hìc dabitur vanos cœli evitare furores,
Imbriferaſque dies; hìc longa ridica reponi,
Servarique poteſt annis adhibenda futuris;
Hic cœſos acues vallos, dum turbida ponant
Tempora, & innubi redeant ſub luce labores.
Non ego diffiteor, quin tu majore paratu,
Et meliore tuum poſſis diſponere forma
Vinetum; verùm hæc aliis curanda relinque,
Quorum magnanimis vis eſt conatibus æqua:
Atque equidem quandoque velut viridaria, vidi
Primorum vineta ingenti condita luxu:
Primo in conſpectu delectæ ſedis Jaccho
Alpino fornix ductus de marmore, ductum
Marmore limen erat; ſuper alto frugifer arcu
Autumnus Bromium dextra, lævaque tenebat
Pomonam, fictis ſpirantia ſigna figuris.
Inſculpti circùm genii de palmite lenta
Texere ſerta, & pars alterno brachia niſu
Exercere videbantur, luſuſque ciere:
Parte alia elapſis etiamnum mœſta ſedebat
Gnoſſia virgo malis; nymphæ detergit amaras
Vitiſator divus lacrymas: fit mollior ipſa
Blanditiis, gratumque Deo reſpondet amorem:

Forſi-

Forſitan, & Clarii ni me præſagia fallunt
Numinis, adveniet tempus, cùm tactus amore
Muſarum regali aliquis de gente, ſuperba
Fundabit mole, & magno tecta ardua ſumptu
Vineto in medio, variiſque ibi ſculpta figuris
Attollet ſimulacra, ipſos referentia, quotquot
Felici Bacchum cecinerunt carmine vates:
Illic Mentorea ſpirabit Nonnius (*a*) arte,
Fingeturque comes tecto illi fabula vultu:
Stabit cum ſophia docti Vainerius (*b*) oris,
Deſpicietque ſupercilio figmenta ſevero
Mendaci larva cooperta, & duplice vultu:
Parte alia, longo ſed diſſitus intervallo
Cœlatus ducet bacchantes ponè camœnas
Rhedus, (*c*) & etruſco pateras implebit Jaccho
Pierias ad plena vocans carcheſia divas;
Illæ jucundo perfuſæ nectare, ſaltus
Jactabunt incompoſitos, & non bona verba,
Et non nota videbuntur proferre ſub auras;
Auribus Italicis non nota, orbique latino:
Aſt ego, ſi tantùm nobis voluentibus annis
Sperandum, mœſto, qualem decet eſſe dolentis
Inſculpar vultu, & conceptum in corde dolorem
Flebilibus ſignis inciſa loquetur imago:
Namque ferox mihi vatum è docta inſignia fronte
Deripiet Mars, & ferratæ inamabile pondus
Imponet galeæ, dextræque aptabit ahena

Spi-

(a) *Poëta græcus, qui Bacchi natalia, geſta, & apo theoſim ſcripſit.*

(b) *Poëta gallus S. Jeſu rei vineaticæ ſcriptor elegantiſſimus.*

(c) *Author Tuſchus dytirambi.*

Spicula, pro molli plectro, fidibuſque canoris;
Mœſtæ juxta aderunt muſæ, facinuſque nefandum
Effictus ſaxo averſabitur augur Apollo:
Quos me non gemitus, quos non effundere fletus
Artificis faciet labor, atque induſtria ſolers,
Si gemitus poterunt, fletuſve in marmore fingi?
Sed me digreſſum ſpatiis agitavit iniquis
Immitis dolor; afflictas revocare camœnas
Inſtat tempus, & ingratis inſiſtere cœptis.
Procurata tibi fuerint ubi ſingula, quæ te
Hactenus edocui deducto carmine, fontis
Propter aquam, aut humens lætatur ſicubi tellus
Te glaucas ſalices, iterumque, iterumque monebo
Conſerere; illæ habiles ad commoda plura probantur,
Sive juvat plantas ſudibus firmare novellas,
Defixis palis in longùm ſive trahendus
Palmes, & aptanda eſt moderandæ pertica ſepi,
Vimina ſive ſuos petat arcta putator in uſus:
Ergo ſolo cunei perfoſſo ſæpius ictu
In morem valli plantaria fige ſaligna;
Inde ſub æſtatem diſtento ſtramine, denſa
Aut filice, arboribus ſoles defende malignos,
Moxque ſub autumnum, ne quod concepit ab imbre
Inducat vitium frondenti ſtramen alumnæ,
Deripe caudicibus nocituras tempore longo
Exuvias: plantas ter ubi exploraverit æſtas,
Tum dura in ſtirpes admota falce quotannis
Exerce imperia, & diverſo effingito more:
Pampineæ quicumque parat fulcimina plantæ,
E trunco longos producat in aera contos;
Queis ſtirps viminea eſt, & vincla tenacia cordi,
Miſſuros fœcunda per internodia prolem
Innumeram, incurvant ramos, flexoſque deorſum

Inter

Inter ſe nectunt, formantque virente coronam
Ramali, atque orbem lunato termite fingunt,
Viminis undè frequens denſo exeat agmine ſylva.
Ante ſuas igitur properent quàm mittere frondes
(Omne reformidant miſſo nam germine vulnus)
Prole ſupervacua attondens ſaliceta levato;
Dumque alta cæſum deturbas arbore ramum,
Obſerva trunci ne pars ſyncera relicti
Unà cum ramo in præceps labente trahatur;
Nativus, qua continget de parte cicatrix,
Deficiet ſuccus, vix & poſt tempore longo
Signa ſuperveniens ſupplebit hiantia cortex:
Sæpe etiam ligni areſcit pars magna, nec ullo
Corticis auxilio longos coaleſcit in annos;
Attonſas dein vimineæ ſolers lege plantæ
Exuvias; latoque domum plauſtro advehe, vincto
Aggeſtas faſce, atque loco interiore reconde,
Quò non perveniat venti, non horrida Solis
Vis; ſecùs ante diem genus omne ſalignum
Humor deſtituet, vario nec plura parantis
Serviet agricolæ voto: ſi fortè per agros
Turbabit nimboſa dies opera, atque labores,
Tum lare ſub patrio, pluvio protectus ab Auſtro
Flexibiles ſalicum diſcerne à vimine virgas,
Vinetiſque lege apta ſtatumina, nec minùs altos,
Quos inde exacues, ſociæ in connubia vitis
Expedies vallos. Quis inertia tempora ducat
Vinitor? ille etiam gemino de ſtipite ſcalas
Inſtruit, & ſudibus confirmat utrinque refixis;
Ille etiam calathos parat, intexitque caniſtros,
Quos formoſa domum cumulatos dulcibus uvis
Theſtilis exportet; tot ſe commendat in uſus
Lenta ſalix, eſt parte ſui nec inutilis ulla.

Cul-

Cultura contra facili, parvoque labore
(Convenit hæc pariter viti) curatur arundo:
Hujus in humenti radices infode campo,
Altiùs impreſſo verſa tellure ligone:
Nec mora dimotis frondoſa exire videbis
Canneta è glebis, totumque umbrare virenti
Prole locum: valida tibi cædua ſylva quotannis
Falce recidatur; nihil eſt fœcundius illa:
Poſt longa ſub luce fines deponere ſuccum
Menſura exciſam certa, foliiſque levatam.
Non ſemper riguis umbroſa adolevit in agris
Quæ modò prima regit conamina vitis arundo;
Materiem, cauſamque novæ dedit innuba plantæ
Nympha; ſua Borean allexerat illa, Notumque
Et Zephyrum forma, atque algentem frigore Caurum:
Utque erat inconſtans, levibuſque ſimillima plantæ
Populeæ foliis, quæ diſcors commovet aura,
Mobilitate ſuum crebra variabat amorem:
Sæpe favet Zephyro, favet Auſtro ſæpe, rigenti
Se facilem Boreæ, duram modò præbet, amantes
Speque tenet varia; tantum eſt levitatis in illa.
Vallis erat, nocuos vitabat nympha calores
Valle ſub occulta; nec multum tempus, & ipſa
Turba ſecuta ſuam ventorum venit amatam;
Et ſi ſors dominam ſibi demereatur amicam
Quiſque ſuas vires, meritumque & facta recenſet:
Longa effert generis Boreas præconia, brumam,
Auſter ait, vinco, diuturnaque frigora ſolvo;
Imbrifer Eurus equis fretum ſe jactat eois;
Ver ego produco, reparoque, Favonius inquit,
Atque hæc inter ſe dubio certamine miſcent;
Quòque magis ſimul innupta pro virgine certant,
Illa magis levis eſt, auræque volubilis inſtar
Ver-

Vertitur. Ut vidère levem, velut ante, puellam,
Nunc illis varium, nunc his præbere favorem,
Continuò æolii fratres vim tendere adorti
Infremuere; gemens incaſſum, pluraque fruſtra
Obtendens nymphe, quæ veſtra eſt gloria, dixit,
Si fortes teneram, pluresque laceſſitis unam?
Irrita verba; Notus, Boreaſque in aperta ruebant
Prælia, cum tacita expoſcens prece numina, voto
Digna ſuo viſa eſt, illæſaque munere divûm
Facta eſt inſtabili tenuis de virgine canna:
Sed mores quoque ſervat & hæc arbuſcula ſtultæ
Antiquos dominæ, flectique facillima cunctas
In partes abit, & veteres exercet iniquis
Cum ventis pugnas, modò & his, modò & annuit illis.
Poſt ſalices curva, cannetaque falce reciſa,
Ante virens clauſas quàm gemmas liberet arbor,
Tempus erit vites incidere. Vos ego veſtræ
Hìc moneo, agricolæ, quantum eſt, impendere curæ
Producta bis fronde, in tertia abire parantes
Germina malleolos ſubter tellure recide,
Majorem radix quò vim vicina miniſtret;
Quorum in ſubſidium juxta figatur arundo;
Huic ſe fœcundus, qui mox emerget in auras,
Palmes ſubjiciet; junco tamen, atque geniſta
Ille regatur, & ad cannam bis, terque ligetur,
Donec capreolo ſocium aprendente ſtatumen
Ventorum ſpreta feliciter audeat ira.
Pluribus aut denis anno accedentibus annis,
Vinetum calami levitate paluſtris abutens
Illius imperium non audiet; adde potentem
Tum palum, ſtirpique imponere jura valentem;
Quò truncus recta diſcat conſiſtere forma,
Ne, qui ſumma petit miſſus radicibus humor

Obli-

Obliquum per iter trunco pendente laboret.
Multa miniſtrandis eſt arbor idonea vallis
Præcipuè foliis frondens oleaſter amaris,
Juniperuſque; ſudes tali de ſtirpe petitas
Immunes vitii, ſæpe imbres ferre, niveſque,
Terdenæ videre hyemes; contemnere nec te
Caſtaneas, ſalicesſque velim, dum cortice prorſus
Omni rejecto, lunaque ſilente reciſæ
Vitibus admoveantur; ituræ in ſydera quercus
Fraxineumque genus, cumque ilice mollior ulmus
Vix potuere duas durando vincere meſſes.
Sunt etiam qui diverſos infràque, ſupràque
Vi ſubdunt magna calamos, numeroque juvare
Multiplici invalidam levitatem in arundine certant,
Atque hoc vinetum ſemper munimine firmant
Fraxinei ſine preſidio, contive ſaligni.
Altera erit deinceps fingendæ regula prolis
Pampineæ, atque anno pariter varianda ſequenti:
Bina relinquenda eſt igitur tibi germinis in ſpem
Primùm gemma, comis, ramo & quocumque reſecto;
Sarmentum niſi fortè velis ſubjungere, ductum
(Conſulto plantæ tamen ante vigore) reflexi
Arcus in morem; facies quæcumque, ſupinis
Avertes gemmis æqualia vulnera, ne qui
Vulneribus ſub vere fluit liquidiſſimus humor
Obcæcet gutta internodia denſa frequenti,
Palmitis emittendi undè omnis dempta facultas.
Menſura eſt etiam, quam non excedere præſtat,
In trunco ſervanda; duos non ampliùs illum
Tolle pedes; efferre nocet quippe altiùs, undè
Vis ſua deſtituit plantaria; mole prææltas
Corrigere, & ſimul in juvenile reponere robur
Effœtas ſtirpes hac arte juvabit. ab ima

Siquis erit planta qui rumpat pampinus, hunc tu
Delige in hæredem cædendæ in caudice matris
Quanta ſuperfuerit: ſi ramus inutilis ullam
Venerit in partem fœcundi palmitis, uvæque
Uſurpet ſuccum qui conveniebat alendæ,
Crimen erit veſtrum agricolæ; nam carpere frondes
Per loca non natas ſua, vana recidere crebro
Germina, quæque opus eſt, veri ſervare futuro,
Pertinet ad veſtram nullo non tempore curam.
Mos erat elapſo, nunc intermiſſus, in ævo
Perticam humi fixis tranſverſam annectere vallis
Ordine multiplici, quodque hoc formata tenore
Summa repreſentet collis juga, nomine eodem
Vinea (ſic veteres dixere) jugata vocatur.
Quod reliquum eſt, quæcumque parabis vinitor, umbra
Sive ſupervacua, ſarmento ſive levabis
Uvarum emerito vites, fingeſque putando,
Seu lætam purgabis humum fallacibus herbis,
Hæc tenui tantùm Luna curare memento;
Tantùm depoſitis illa creſcente ſagittis,
Aut plantis, macies quas afficit ægra, putatis.
Sæpe ſoli vitio, pluviæve, æſtuſve maligni
Contigit, ut primis, vel feræ ætatis in annis
Arverint partim baccheja ſemina; rari
Tu numeri damnum varia propagine ſupple
Reſtituens loca ſubmiſſam per inania prolem.
Ante igitur ſulco totum proſterne parato
Illæſa vitis truncum radice, vacantes
Ad palos deìn pampineos perducito ramos:
Nec tu ni ad juſſam poterunt pertingere ſedem,
Abſtineas cœpto; primo quò virga nequibit,
Perveniet venturo, ea ſi cædatur, in anno:
Altera materies cæſa de matre ſubibit,

Ad

Ad loca promotam, quam tu mox congrua ſiſtes.
Pars vitis ramos dextra parcente retortos
In ſcrobe, vite nihil mota è ſtatione, ſupinant:
Dein ubi materni non ampliùs indiga ſucci
Se nutrire ſuo potis eſt humore novella
Propago, patrii divellitur ubere trunci,
Cæſa, ubi parte ſui matri propiore cohæret.
Ecce autem, dum carminibus comprendere conor
Singula, vertendis tempeſtas præterit apta
Vinetis. Mora nulla; priùs quàm vitis adumbret
Uvam in flore (operas tunc intermitte, recentes
Nam metuunt flores à prætereunte colono)
Vitiferis validum foſſorem inducere campis
Te jubeo: primo accingens ſe luminis ortu
Impreſſo glebas ferro reſupinet inertes
Villicus, inque vicem multa vi brachia jactet
Ad numerum repreſſa movens veſtigia; nequid
Germina deturbet, ſeu gleba impacta, moventum
Sive gradum incautè vernarum incuria, ſolers
Obtineat ſtudium; nec non radicitus uſque
Vulſa oſtendatur violentis ſolibus herba;
Præcipuè durare tenax per jugera gramen;
Nam licèt avulſum, niſi fervidus ingruat æſtus,
Reſtituit terræ ſe tracto humore propinquæ,
Inſtauratque animos: illo ne tempore quiſquam
Suadeat ignavos patrio te condere ſoles
Sub tecto, aut reſidem per inertia ducere vitam
Otia; quin matutinum te mollibus infer
Vinetis, crebriſque operas hortatibus urge.
Ipſe ego nil ventos, ſoleſve moratus iniquos
Agricolas ſub luce, iterumque, iterumque reviſo,
Obſervans, pars ulla ſoli num inculta ſuperſit,
Noxia prætereat num gramina foſſor, iniquas

Producatne moras; quin me ſermone levare
Tempora longa juvat vario, vernaſque monere
Ignaros rerum, plantis cur alta calores
Defendat cultura, ſilens quàm luna putandas
Fortunet vites, aut quàm ſit ab imbre timendum
Incœpto ſub vere, geluque nocente, rigenti
Sub Bruma, Boreæ ſiquando ſupervenit aura.
Felix, qui varios mores, cauſaſque latentes
Rimari potuit naturæ, atque abdita mundi
Arcana; in frondes fluvidus cur tranſeat humor,
Atque in poma tenax duretur, ut ante medullæ
Inſinuet ſeſe, viridi mox humida trunco
Nutrimenta ferens ramos pervadat in omnes:
Fortunatus & ille, poli qui lucida novit
Sidera, ſignorumque obitus ſpeculatur, & ortus;
Non illum igniti latuere infauſta cometæ
Auguria, aut quantum gelido torpore minetur
Saturnus, terræque ſatis ſurgentibus obſit,
Præcipuè cùm triſte favens non temperat omen
Juppiter; ingenti ſtudio, curaque nocentes
Antevenit tempeſtates, & qua datur arte,
Conſilioque, graves caſus eludere certat.
Me verò, ſiquidem haud tantùm mihi fata dedere,
Nec ſperare ſinunt, dulces penetrare receſſus,
Detinet Aſtreas ubi mollior aura camœnas,
Nunc juvat, incinctumque caput florente corymbo
Ferre per umbroſas agreſtia carmina valles:
Ingenti inſuetum cœpto, atque ingentibus auſis
Anteit, aſpiranſque levi Vainerius aura
Signat iter, monſtratque viam; veſtigia ponè
Viſa lego, vatemque ſequor non paſſibus æquis.

LIBER II.

Vitis arbuſtiva.

NEc tu, quæ ſocio perhiberis idonea Baccho
Illaudata meis ſine verſibus arbor abibis:
Jam mihi ſe foliis offert bicoloribus alba
Populus, herculei referens monumenta triumphi;
Quondam fatidicos oſtentat vivida ramos
Quercus, frondoſas inter ſibi viſa ſorores
Dignior, occurrit formoſa fraxinus umbra,
Et quæ nux denſo frondis veſtitur honore.
Nulla ſed è vobis (nam vos pater odit Jacchus)
Æternum noſtro ſperet de carmine nomen;
Sola meos cantus, opuluſque, ulmuſque moretur.
Tempus erat, vites ſociis cùm vinitor addens
Arboribus, planta de qualibet arva ſerebat;
Nondum opulus, nondum in campis provenerat ulmus.
Amphryſi virides (niſi vana eſt fabula) ripas,
Rumor iit fratres olim coluiſſe gemellos,
Quorum alter pulchris flavebat crinibus, alter
Aerias rapidis æquabat curſibus auras:
Illi animos, tumidoque elati pectora faſtu
Auſi ſunt, curſuque pedum, flaviſque capillis
Se Phœbo conferre; illis armenta diebus
Fortè amphryſiacum Phæbus paſcebat ad amnem,
Ilicet exarſit deus, auſuroſque deinceps,
Ni faciat, majora, in plantas vertit, & addens
Verba ſimul factis, flavis pro crinibus, inquit,
Tu poſthac frondes ulmus geſtabis opacas,
Agreſti ſed & his ſpoliabere gente quotannis;
Tuque audax celeri mihi te committere curſu

Innumera in medio radice teneberis agro,
Auſoniis poſthac opulus dicenda colonis.
Sic ait, eventuſque minas probat; altera namque
Arbor honorata ſpoliatur fronde quotannis,
Altera multiplici per agros radice tenetur,
Injectura moram fodienti rura colono.
At quoniam Baccho plantas non omnis amicas
Fert ager, idcircò [a] potes has de ſemine jacto
Elicere, inde aliò illæſis traducere fibris
Vere ter elapſo; ſed & hìc mora longior illas
Detineat, dum par plantando venerit ætas:
Quin etiam arboribus nullo cogente creatis
Utere, quando harum tibi copia ſuppetit, ulla
Nec prior hac ſit cura, gregis quam avertere morſus
A natu teneris, totoſque expungere ramos
Præter ſubmiſſum, quod opus ſupereſſe, cacumen.
Arboreas [b] ubi tempus erit tranſponere ſtirpes,
Paulatim alludens raſtris, ſine vi, ſine noxa,
Illas dimotis leviter circumfode glebis,
Dein procul à trunco radices cæde, relicta
Fibrarum, undè queat comprendere planta, corona:
Poſt campis recto deſcriptis ordine, ſede
Quamque [c] ſua depone, & juſta digere plantam
Menſura; ſcrobis in ſicco faſtigia colle
Alta magis, minùs in plano ſtagnante caventur;
Illic ne tellus dilabens prodat, & æſtus
Radices pervadat, at hìc ne internecet humor,
Qui madidi fundo plani perdurat in imo:
Huic tamen occurres ſubjecto rudere damno;
Rudere ſubjecto, poſitove ſub arbore faſce,

Aut

[a] *Seminarium.* (b) *Explantatio.*
(c) *Plantatio.*

Aut corrivata ſulcis pendentibus unda.
Sunt ſtirpes, quibus æternæ cum Patre Lyeo
Sunt inimicitiæ, ſeu quod diſſenſus earum
Eſt tacitus cum Baccho, ipſo quod in ordine rerum
Evenit, antiqua ſeu nympharum indole miſſum
Durat adhuc odium; nam quæ frondetis in agris
Formoſæ quondam nymphæ fueratis, ob ipſam,
Quam non ſervaſtis, verſæ in nova corpora, formam.
Innuba ſic ſenſus laurus modò ſervat eoſdem,
Quos habuit, dum nympha fuit, promotaque vitat,
Olim quæ Phœbi, nunc & connubia Bacchi:
Nec vitis corylo, corylus nec amatur ab illa
Invidiam ob veterem, quæ magna incenderat ambas,
Utraque ſperabat dum Baccho nympha placere;
Utraque ſed (divum quamvis ſenſiſſet amicum
Ampelias, quamvis Coryle ſenſiſſet iniquum)
Utraque de tenera eſt arbuſcula facta puella.
Nec tu lenta ſalix ſociis potes apta venire
Vitibus, ut reliqua veniſti in parte; comantum
Prætextu foliorum, aprici mollia ſolis
Dona negas uvis; nocuis radicibus agros
Urit vitiferos parere facillima ventis
Populus, ingenti frondens nux officit umbra,
Fraxineumque genus; comitem Dodonias arbor
Cortice rugoſo, nodiſque tumentibus extra
Arcet ab amplexu Bromium; tamen humida campi
Conditio, longùm cui noxius inſidet humor,
Non niſi populeam ſobolem fert, atque ſalignam,
Et minùs in ſterili metuit ſibi fraxinus agro,
Ternaque durando propè quercus ſecula condit;
Plantarum idcirco multùm cognoſcere refert
Ingenium, quid & ipſa petat natura locorum.
His animadverſis, ſummum dejecta cacumen

Paulatim certos arbor fingatur in uſus:
Hic tibi ſed toto eſt conamine contendendum,
Ne pravo teneris mori conſueſcat ab annis,
Neve ſuas vires vana diſperdat in umbra
Miſſo inconſultè, rectoque ſine ordine lento
Germine. ſic primæ vernanti in flore juventæ
Ingenuum doctas puerum formamus ad artes,
Spem magnam matris puerum: tum ſiquis iniquo
Fortè rudimento monſtrato à tramite recti
Ætatem avertat teneram, vitiique nocenti
Imbuat exemplo, legum illicò provida juſſa
Detrectat puer, & monitis non flectitur ullis
Indocilis: primo benè ni formaveris ævo,
Haud diſpar teneras plantas fortuna ſequetur.
Tres adeò, aut plures etiam ſubmittito ramos
Forma diſpoſitos obliqua, quo ſata vitis
Aptiùs inſideat; nec longiùs effer, ad ipſam
Sarmenti menſuram, unde exit pampinus extra
Diradiandus, erunt doctam tabulata per artem
Emoderanda; atque hanc illis definiat acer
Creſcendi metam, libertatemque, putator;
Uno, eodemque loco, vel proximiore, quotannis
Deciſo, quem ſcamna ferent fruticantia, ramo.
Formato vitem poſt trunco adjunge, ſed annis
Conſultis priùs, & commiſſo utriuſque vigore:
Injuſta nam ſi menſura excreverit ulmus,
Surſum tendentis conamen inutile vitis
Obruet, at contra vix juſta ætate peracta
Palmitibus poterit nequicquam viribus æquis
Se præſtare parem: tanti eſt conjungere plantas
Robore concordes, nec diſpare tempore natas.
Quamvis ultro ineant connubia, non tamen illæ
Inter ſe arcta nimis tolerant commercia; truncus
Undi-

Undique diffuſis terræ ſuper æquora fibris
Admotæ nimiùm ſociæ incrementa fatigat,
Sive quòd innumeris illam radicibus angat
Implicitam, ſive humorem tellure remiſſum
Occupet; ergo pedis ſpatium intercedat utrinque,
Proximitas damno ne vertat: & ante putator,
Quàm falcem expediat, vitis tentamina prima
Obſervet, ne æquo citiùs, neu ſeriùs illi
Imperet; imperio ſimul ac cognoverit aptam
Rite obeundo, altis in ſcamna aſcendere ramis
Invitet, non blanditiis, non illice cultu,
Falce ſed admota, ſed cæſo palmite; damno
Illa ſuo lætatur, & ipſa clade fit audax.
Qui ſolet ex alto demitti palmes in uſum
Traducis, eſt primis brevitate premendus in annis:
Poſt validas ſolida vires ſubdente juventa
Longiùs ad palos traducito: nec tibi virgis
Traductum ſubeat tranſverſis, vimine & arcto
Inter ſe oppoſita committere parte viciſſim;
Major ab infixis veniet conſtantia palis
Vim contra ventorum, indignanteſque procellas.
Ut loca terrarum variant diverſa, putandi
Sic varius mos eſt; ſummis in collibus arbos
Haud multis ſervire valet dionyſias umbris;
Illius idcircò reprimenda licentia ferro eſt,
Multiplici ne deficiat ſub traduce: ſicco
Tenvior eſt in colle, hinc qui ſubmittitur humor
Fœcundi lentoris egens, ſolidique vigoris,
Ceu vapor, aerias partim vaneſcit in auras,
Ante ferat plantæ quàm nutrimenta; feraces
Planities quà ſe patefacta expandit in agros,
Larga minùs nocet indulgentia vitibus; illic
Uberiora ferens alimenta exuberat humor

Per-

Perdurare tenax, nec damno obnoxius ulli.
Quin etiam apricis in montibus, ultima longæ
Tempora ſub brumæ tonſuram vitis avari
Agricolæ meditantur, opuſque per arva frequentant,
In germen dum ramus eat: plani incola ruris
Diverſas tempeſtates, diverſaque captat
Sydera, diſſimileſque modos. ubi frigore pulſus
Autumnus deceſſit, & arva inhonora reliquit,
Perſequitur ſarmenta, vetuſque, & inutile lignum
Amputat, attondetque comas, ramoſque futuros
Deligit in fructus, mox toto corpore terræ
Pampineam incurvat matrem, glebiſque ſupinat
Deſuper impoſitis; ſuper arbore quippe relictas
Ureret hyberni vis frigoris improba vites.
Dura mali novitas, ſeclis nec viſa vetuſtis.
Cur hæc æmilias clades exerceat oras,
Dicere longa mora eſt; pars vitibus imputat, ut quæ
Concipiant nimia damni argumenta medulla
In planis, ubi ſævit hyems crudelior, agris:
Quod quantùm à vero ſenſu rationis aberret,
Corporis è vacua liquet, & gravitatis egenti,
Sambuco, à rigidis ſibi nil metuente pruinis.
Quòd collis nulli ſit damno obnoxius, ipſum
Autumat in cauſa pars ſolem à colle reflexum,
Pars in præruptis habitantes montibus Auſtros;
Quiſque ſua perflatur enim ſitus ætheris aura:
Vos mihi, quæ fuerit tam diræ cladis origo
Pandite Pierides; non omnia novimus omnes.
Vir fuit, ut fama eſt, ulmis qui conſita latas
Eridani ad ripas centum vertebat aratris
Prædia; non illo quiſquam ſolertior alter
Curabat tenero veſtitas palmite plantas:
Utque ſuos felix tegeret vindemia campos,

Sæpè

Sæpè Jovi magno ſacras faciebat ad aras,
Sæpè etiam Telluri, &, qui promovet omnia, Soli:
Una illi fuerat non ullo cognita cultu
Aerei regina potens Saturnia regni:
Demens, qui divam non obſervabat, olympi
Nimboſi dominam, tempeſtatumque potentem:
Nec mora longa, deæ confeſtim apparuit ira,
Ob ſibi primitias, pœnas ſumptura, negatas;
Parſque racemiferas vindictæ major ad ulmos
Pertinuit; nimio nam frigore noxius aer,
Inſolituſque rigor Junone immiſſus iniqua
Corripuit tota evertens ab origine prolem
Vitigenam, planumque lues pervaſit in omne
Unius ob noxam: cladis novitate colonus
Subſtitit attonito ſimilis, durique revolvens
Infelix damni genus, infelicia fata,
Nunc magicas artes, ſagæque venefica culpat
Carmina, nunc ſecum ſuſpenſa mente requirit,
E phaetonteis num fortè ſororibus ullam
Frondis honorata ſpoliaverit inſcius umbra;
(Sacra illas tum relligio violare vetabat)
Pluraque præterea ſcelerum ſibi nomina fingit.
Vaſta Padi propter ſurgebat flumina ſylva
Alta, ingens, ubi tunc oracula certa tenebat
Nympha loci præſes; quoties rerum illa monebat
Arcana, & miranda deûm reſponſa ferebat,
Concuſſo toties dabat ingens vertice ſignum
Altior una, diiſque ſacrata agreſtibus arbos.
Huc iter eventu rerum commotus iniquo
Vernarum accelerat paſtor comitante caterva;
Atque ubi perventum in taciti ſacraria luci,
Sylveſtres nymphas, & numina ruris adorat,
Ignotoſque deos; cæſis mox frondibus aram

Appa-

Apparat; incumbit ſacro omnis turba labori,
Advolvitque trabes, facti & veniam ante precantes
Ilicea avellunt virides ex arbore ramos,
Injiciuntque focis, & ſparſo thure vaporant:
Ipſe manu ſuper effundens ſpumante Lyeo
Fumantem pateram, & rorantis cymbia lactis
Murmure ter muſſat tacito; ter in ordine flammas
Tranſilit; abſiſtitque loco; dein talia fatur.
Dii ruris, nemorumque, quibus cura omne tueri,
In glebis quod ager, quod fert in frondibus arbor,
Longa hominum ſi vos etiamnum incommoda tangunt,
Agricolùm res ſubverſas, duroſque labores
Reſpicite, & cladem noſtris avertite campis
Ignotam, nec lapſa ulli per tempora viſam;
Aut ſi Parcarum nequeunt decreta refigi,
Et ſtigiam ultores dii juravere paludem,
Tantorum ſaltem cauſas aperite malorum.
Talibus orabat ſupplex, cùm viſa repente
Sacra arbos findi, medioque dehiſcere trunco,
Dein rupto ſenſim prodire è cortice mœſtam
Ore tenus nympham, tacitoſque oſtendere vultus.
Obſtupuit, geliduſque illi labefacta per oſſa
Horror iit: nymphe tum vocibus ora reſolvit.
Exitii genus hoc vobis fraudata reponit
Divino cultu Saturnia; quà patet ingens
Illius imperium, nullis revocanda precantum
Officiis, precibuſve lues regnabit inulta
In plano: ſcelere admiſſo reus incola plani;
Una ſalus vobis ima ab tellure petenda.
Inferiùs nil juris habet; ſolo aere Juno
Regnat; ab aerea eſt vobis regione cavendum.
Arbore detractas igitur proſternite vites,
Quando bruma venit, non tempore ſævior ullo
Diva

Diva furit, mox vere ſuas attollite ad ulmos;
Nec vobis ſpatio veniat fiducia longo;
Nam poſt innumeras hyemes antiqua reſumet
Juno odia, & ſævas etiamnum ardebit in iras.
Dixerat, & cortex jam texerat ora loquentis.
Extemplo ille omni ruris cum gente faceſſit
Sylveſtris mandata deæ, moremque futuris
Servandum luſtris veteri traſmittit ab ævo
Ad natos natorum, & ſeros uſque nepotes.
Mos fuit elapſis hic nuper omiſſus in annis
Ob placidum cœli, qui cœperat ire, tenorem;
Verùm poſt aliquot rurſum Jovis invida coniux
Æſtates, odiis laxas permiſit habenas;
Nempe animo ſubiit deſueti injuria cultus,
Et non exhibiti quondam ſibi thuris honores.
Scilicet æmilia in magna fœcunda Lyeo
Arva (recordor enim) Boreas populavit iniquæ
Junonis ſtimulis, & ſpes prope palmitis omnes
Suſtulit; ipſe pater viduis Dionyſius agris
Errabat nullis præcinctus mœſta racemis
Tempora; fortunam plani execratus iniquam
Ponè gemens, vultumque Autumnus decolor ibat.
Hæc rerum facies, ſtatus hic permanſit in ora,
Quanta erat, Eridani tota, dum ruſtica pubes
Docta malo veterum mores revocavit avorum.
Plura quoque eveniunt incommoda vitibus, aut de
Telluris vitio ſterilis, nimiùmque feracis,
Aut rerum è variis, quas longum eſt dicere, cauſis.
Siqua ferax nimis eſt, illam extenuare juvabit
Arenti ſabulo, & cumulis fluvialis arenæ:
Se cinere adſperſo, nimis eſt quæ denſa, relaxat;
Arboreis at quæ vix dat ſua nomina plantis
Emendanda fimo macies erit. Ingruit anceps

Cùm

Cùm frigus, primiſque aſpergit rura pruinis,
Criſtatarum avium ſordes, molliſve columbi
Infelici adhibe vineto; moxque regeſtum
Fæcibus his confunde ſolum, ne torridus obſit
Fervor: erit primis modus hic ſervandus in annis.
Verget ubi in grandem ſoboles bacchæa juventam,
Felices glebas, & purgamenta viarum
Applicuiſſe juvat; pingui tum ſtercore planta
Haud temerè eſt, nec, opus niſi ſit, paſcenda; minoris
Illa eget auxilii, cùm creſcere deſiit; at cùm
Primævâ pubeſcit adhuc ætate, frequenti
Poſcit ſubſidio, nutrimentoque juvari.
Vidi ego, qui ſtabulis educta ſorde quotannis
Stirpem altam ſaturaret opis nil talis egentem;
Illa data lætata nimis pinguedine, magnam
Vim fructus numero ſolito majore ferebat;
At mox cernere erat per vim vineta coacto
Tempore non longo laſſata ſeneſcere fœtu.
Adde quod immodici repetito ſtercoris uſu
Languida nativum deperdunt vina ſaporem,
Concipiuntve per æſtivos vitium grave ſoles,
Unde omnis grati vaneſcit gratia ſucci.
Quid? quòd ſæpè virens nocua lanugine muſcus
Implicat, & truncos hædera intertexta frequenti
Alligat amplexu: peracutò abradere utrumque
Uſus erit ferro, penituſque evellere: plura
Sunt etiam mala, nulla quibus data ſorte medela:
Sic longo videas ſub Sole areſcere parte
Ex una ſarmenta, aliàque reſiſtere damno
Intacta; infeſtus nebulæ modò decutit ardor
Primo in flore, vapor mites modò corripit uvas,
Et tradux viridi ante diem ſpoliatur honore.
Nuper vitiferos quos Cingulus alluit agros
Diri

Diri aliud morbi genus, & ſine nomine latè
Invaſit, ſcabiem indocti dixere coloni.
Principiò æſtate in media, ceu frigore primo
Tacta foret, foliis ſquallet pallentibus arbor:
Mox ſolitis impar ramis, fœtuque ferendo
Exuvias ponit virides, vigor & fugit omnis
In fibras, trunco ſine molli humore relicto:
Inviolata malo radix quandoque frequentes
Pullulat in ramos, qui ſe pro matre reponunt
Exanimi, fundo quandoque areſcit in imo,
Unde omnis ſpes eſt generis ſublata novandi:
Quodque magis mirere, arenti in cortice dura
Tubera ſe produnt, ſubit aut inhonora cicatrix:
Quippe valens nutrire exuritur humor, & extra
Calloſum arboreo mittit de corpore ſignum,
Nec præſtat plantæ, nimis eſt quòd aduſtus, alendæ:
Hinc aliquis putat offenſas à vomere vites,
Vomere, vel pecudis morſu, vel dente capellæ.
Unde hæc orta lues, in promptu eſt cauſa: nocenti
Quæcumque eſt vitiò tellus obnoxia, juſto
Siccior, & rigui deprenditur indiga ſucci,
Solis ob id nequit æſtivum perferre vaporem.
Atque hæc indiciis ut poſſis noſcere certis,
Aſpice, ut in pratis, & vallibus amne rigatis
Duret inoffenſum Bacchi genus; ilicet author
Sol eſt inviſi, telluſque exſucca laboris.
Dura igitur morbi quem labes afficit, ægro
Profuerit nil præter aquas inducere fundo,
Et cultu nocuos arcere frequente calores.
Sic ubi viſceribus calor æſtu allapſus iniquo
Incubuit, ſanguis venis exæſtuat imis:
Jamque cutis per non aſpecta foramina rumpit
Puſtula, & informes ſerpunt per corpus achores;
Aut

Aut vis interius morbi graſſata maligni
Depaſcit ſolidas exuſto in corpore partes:
Ac niſi reſtituant humentem frigida ſuccum
Pharmaca, continuò lethali abſumitur æſtu
Nativus, cui vita fugax innititur, humor.
Sæpè etiam pluviis humente nocentibus anno
Complicat arrodens verno ſub tempore frondes
Bruchus, & involuit ſub eadem clade racemos;
Tu populatricem de frondibus excute peſtem
Principiis obſtans: nimia quandoque comarum
Luxurie Autumnus, vel fertilitate laborat;
Prima comis, præcox cum ſubrubet uva, reciſis,
Altera ſuppoſito avertes incommoda conto;
Quippe levata ſuis baccheja frondibus arbor
Eoo fruitur jubare, & clemente diei
Afflatu, unde ſuo miteſcunt tempore fructus:
At certa Eurorum nulli parere furori
Suſtentant gravidos ſubjecta haſtilia fœtus.
Hoc gnavum tamen agricolam bis, terque monebo,
Antè diem patulis uvas ne liberet umbris,
Nondum mitis enim malè fert vindemia ſolem.
Illa [a] quoque admota ſit cura recidere falce
Radices ſumma ſi quas telluris in ora
Producit circùm truncus; ſecus omnis in imis
Deficiet, vigor unde venit, vis integra fibris;
Et quantùm ſupera radix notha creſcet in aura,
Tantùm, quæ præſtat, fundo decreſcet in imo.
Inviſum vitis, ſolerti quod nequit arte
In melius verti genus, inſitione novare
Eſt opus: emiſſo [b] vix germine, finditur arbor
In medio partem trunci dejecta ſuperni;
Mox latere ex utroque agitur vi binus in altam
Mal-

[a] *Ablaqueatio*. [b] *Inſitio*.

Malleolus rimam, quam primùm acuiſſe invabit,
Arctius aprendat fiſſi ut commercia ligni;
Impleat & totum plagæ bipatentis hiatum.
Sparto obſtringatur ſeptemplice ducta cicatrix,
Glutine dein luteo ſumma obduc vulnera, ramos
Præcipuè circùm inſertos; ſunt qui quoque vitem
Tranſverſam in medio terebrant, adiguntque ſagittas
In factum bina gemma ſuperante foramen:
Verùm te primum jubeo ſervare repertum;
Utque magis felix tutis reſpondeat orſis
Eventus, pleno inſitionem vere frequenta;
Deſiit è cæſis cùm erumpere vitibus humor,
Vim quippe impoſiti præfocat lacryma rami.
At quis vinetis cladem, ſtragemque ferentes
Defendat tempeſtates? ruet æthere ab alto
Sæpe ingens vis grandinis, & crebro impete totos
Deturbabit agens mixta cum fronde racemos;
Inſurgent animoſi euri, fremituque ſonoro
Bella gerent: volitant rami per inane revulſi,
Deciduæque comæ; quas tunc dabis ore querelas
Vanam teſtantes curam, ſerumque dolorem?
Perniciem contra tantam, aerioſque ſurores,
Quod poſſis ſperare nihil patet eſſe relictum
Divûm præter opem. Myſtam ergo inducere campis
Proderit urentem panchæi fragmina thuris,
Dicentem bona verba, altumque in vota vocantem,
Vota iteranda, deum; ſuperæ quoque ſæpe vocato
Virginis auxilio nimborum damna ruentum
Antevenire potes; numquam implorantibus illa
Defuit; intacta quid non à Matre Tonantis
Sperandum, domina avrarum, cœlique potente?
Solliciti quodcumque operis, quodcumque laboris
Cogitet, agreſtum priùs illam vulgus adoret;

Et ſacram roſeo nectat de flore coronam,
Partheniosque canat titulos, ſiquando procellas
Impendere videbit, agente vel horrida vento
Nubila cùm precibus non eſt mora libera longis,
Sacrum, auguſtum, ingens, nomen venerabile magnæ
Rite vocet repetens iterumque iterumque Parentis:
Aeris illa dabit triſtes evadere caſus.
Sed neque tam ſtudia agricolùm, moremque receptum
Formandis plantis ſuper infirmiſque juvandis,
Cœtera quàm noſtris mens eſt includere ſcriptis;
Quippe meo amplecti nimium foret omnia verſu:
Adde quod invitum dare nuper adactus equeſtri
Nomen militiæ, Martiſque vocatus in uſus
Muſarum dulcem interponere cogor amorem,
Paulatimque mihi gratis deſueſcere curis;
Scilicet aonii fruſtra divina vocamur
Gens vates, ſuperùm afflati cœleſtibus auris,
Innocuumque genus; non me reverentia muſis
Debita Partheniis, non delphica laurea texit:
Nam quis Pieridum inſigni confiſus honore
Communes ſperet populorum evadere leges
Æmilia in tota, doctas ubi Apollinis artes
Ignavus premit error, & ignorantia vulgi?
O! Patria, ò quondam tellus œnotria, ſedes
Hoſpita muſarum, tune es quæ ſola per omnes
Imperium terras, & amorem nobilis oti
Noviſti proferre? at quò tua nominis ingens
Majeſtas, quò priſcus honos, & fama receſſit?
Imperii ſine laude, ſine ullius artis honore
In tenebris ignota jaces, te cultus Apollo
Ornatu antiquo, te Muſa latina reliquit:
En tuſci quò te ſermonis iniqua cupido
Perduxit miſeram, patriæque ignavia gentis
Turpis,

Turpis, iners cur has me rerum ſumma poteſtas
Servaſti in clades, aut cur hæc tempora cerno?
Cœlicolæ magni, quorum de munere doctæ
Aonidum florent artes, ſtudiumque Minervæ,
Pamphilium afflictis ſaltem ſuccurrere muſis
Ne prohibete; ſat Æmiliæ infelicia regna
Admiſſis fera barbaries populavit habenis.

LIBER III.

Vindemia.

HUc modò ab occiduo muſæ Vainerides orbe
Ferte pedes, placidi viſuræ prælia Martis,
Et dionyſiacæ ſpectacula dulcia pugnæ:
Dum vos ſanguineó rorantia muſta liquore,
Et jucunda tenet cædis genialis imago,
Dicite, num validis Gallorum œnotria ſignis
Bacchæi ſe laude queat componere belli.
Tu quoque lethæa redeas feſtivus ab ora
Teius umbroſo redimitus palmite vates;
Lenæus tecum pater, idaliuſque Cupido
Paſſibus incedant paribus, riſuſque ſequantur
Ponè leves, hilareſque joci, atque oblivio rerum.
Ipſe ego depoſita lauri de fronde corona
Læta racemiferis præcingam tempora ſertis,
Aſcræoſque choros inter, caſtaſque ſorores
Ducam imcompoſitas Phœbo ridente choreas;
Elyſiaque ab ſede ciens, & valle beata
Etruſcum multo Rhedum cratere vocabo.
Auſoniæ fidicen citharæ nunc eſſe bibendum
Cantu pindarico clamabit Horatius, & ſe

Adjunget turbæ comitem, latioque ſalerno
Plena propinabit Tejo carcheſia vati;
Nectaris auſonii mirabitur ille ſaporem
Diſſimilem grajo, & vinci gaudebit ab illo.
Huc ades, & mecum emerita lege proxima puppe
Littora, purpurei Pamphyli fama ſenatus,
Auſoniique altum decus, & lux inclyta mundi.
Primus ego patrias (modò vita ſuperſit) in oras
Occiduo reduces deducam ex orbe camœnas:
Primus ad Eridani ripas tibi grande trophæum
Conſtituam, muſis erepti aſſertor honoris.
Illic marmorei lapides, ſpirantiaque æra
Monſtrabunt Pamphyliadum monumenta parentum;
In medio Benedictus eris, pedibuſque ſubactam
Barbariem, fruſtra evectam popularibus auris
Mole premes ſuper alta; oculos dejecta furentes
Illa fremet, tacitaque minas imitabitur ira:
Stabunt pierides circùm tua cura ſorores,
Indoctæque feræ, monſtrique frementis inanem
Ridebunt vim, certabuntque illudere vincto;
Ipſe chori dux aonii fingetur Apollo
De lavro textis tua cingens tempora ſertis.
Interea priùs emenſo quàm carbaſa cogam
Æquore, cur gemino diſtincta ſit uva colore
Dicere fert animus. veteri pervenit ab ævo
Tempus ad hoc rumor quondam de crimine Bacchi
Ampelian membra arborea vertiſſe figura;
Sed dolor hæc illi tribuit miracula verſi
Corporis in plantam: ſylveſtribus illa ſolebat
Ludere cum nymphis, lætaſque agitare choreas
In luſtris, fati, cladiſque ignara paternæ.
Soles poſt aliquot, traductaque tempora ludo,
Contigit, ut docta certarent arte napææ,

Cer-

Certiùs intento quæ ſpicula mitteret ictu:
Tela parat ſua quæque; prior collineat ictum
Ampelias, tenſoque ſagittam liberat arcu;
Illa volat, metæ & dictam tranſverberat ulmum:
Nec mora; ſanguineæ dictu mirabile guttæ
Cortice diſtillant, motiſque recedere fibris
Arbos, & tales audita eſt fundere queſtus.
Parce tuas heu nata manus ſcelerare paterno
Sanguine; ſi neſcis, ego in hac pater arbore condor
Ultore in viridem mutatus Apolline plantam.
Dixerat: illa animum caſu perculſa ſiniſtro
Concidit exanimis, rediitque ut vita dolenti
Truncum infelicem manibus complexa tenebat
Ah moritura, aliumque premens ad pectora patrem;
Quæ tibi cauſa deum genitor cariſſime, dixit,
Attulit ultorem, nec fato involuit eodem
Me ſimul, & fato me non quoque perdidit uno?
Plura locuturam, laſſos diſtenta lacertos
Sicut erat, tenetam in vitem miſeratus ab alto
Convertit divùm pater, & mala fata rependens
Addidit aureolos ſolamen inane racemos:
Utque ſuper mutatam etiamnum fluxit ab ulmo
In natam tepidus cruor, hoc infecta cruore
Uva fuit partim, partimque intacta remanſit;
Atque hinc planta tulit bicoloris ſemina fœtus.
Hinc ego, qua ſe ſtirpe probet, quæ ſeriùs uva,
Aut citiùs carpenda, probum quæ ſponte ſaporem
Acquirat, geniove locorum, aut indole cœli,
Expediam. Precia æſtivo properata calore
Quæ venit, haud liquido dare nomen idonea Baccho;
Serviat hæc menſis: meliore apiana fit uſu
Utilior, niſi quòd ſe mitem oſtendere ſuevit.
Ante diem; tamen ante diem non illa legenda eſt,

 Quippe

Quippe cui acceſſit nondum omnis gratia: mordax
At contra cretenſis, ubi matura pependit
Arbore, quod variis facilè eſt dignoſcere rugis,
Ferre moras ultra nequit, invida quippe diurni
Vis havrit ſolis, ſuccique relinquit inanem:
Hæc ſiquidem puero tulit olim alimenta Tonanti,
Non huic ulla pari ſe ſe componat honore;
Græcula non croceum referens à ſole colorem,
Non quæ fumoſo laudatur Rhetica rore.
Namque ferunt quondam depulſum ex ubere matris
Parvum aluiſſe Jovem vitis cretenſis odoro
Nectare dictæas dryades; liquido ilicet ille
Aſſuetus Baccho teneris ætatis in annis
Et morem voluente ævo ſervavit eundem,
Cœlitibuſque, ſibique parans, quod proroget annos
Immortale merum. Quamquam vix tingeris æſtu,
Non tamen eſt tutum tibi fidere parva rubella,
Quippe pedes, mentemque ligas, & lumina vincis:
Nec minùs in pateris nolim te ſumere largis
Imbelles trebulana potens ſeducere ſenſus,
Nec quæ nomen habes thuſcos viridiſca per agros;
Etruſco quamvis Rhedo ſit didita fama
Carminis authorem te conciliaſſe furorem.
Ipſa mihi potiùs, vobiſque arrideat uva,
Inflexum vernatiolæ quæ nomen adepta eſt;
Cœleſti ambroſiæ eſt ea penè ſimillimma, ſed quæ
Cortice cæruleos tenui non ſuſtinet imbres:
Longiùs imbrifero perdurat ſub Jove longa
Dactylis, a graja nec non tranſmiſſa Corynto;
Parva quidèm, ſed qua non ſicca eſt dulcior ulla.
Hic partem, numerumque modò eſſes apta premendo
Penſilibus turgens botris bumaſtos haberes;
Verùm te injecto plebs mergere ſvevit aceto

Con-

Condictam parcis verno ſub tempore cœnis.
Pineola eſt acinis ſic denſa frequentibus, ut vix
Interius ſolis radios admittat amicos;
Et fœtus niſi rara per internodia ferret
Aſſidua forſan ſe fertilitate probaret.
At quo te memorem verſu corvina, rubore
Sanguineo æquantem mora, & vaccinia nigra?
Tu maturandi fructus ſub ſole periclum,
Prima facis, mediumque venis properata per æſtum:
Sed fuci ſpecioſa tui mendacia prodit
Immitis ſapor autumnali ſole domandus.
Non quòd ſylveſtri genio, quòd & aſpera guſtu,
Prædaque ſit variis, & grata volucribus eſca,
Non ideo labruſca minùs tibi fortè probetur;
Quandoquidem veteri non conceſſura falerno
Acrem producit laticem, & fortiſſima vina:
Adde quòd armati ſub jura redacta coloni
Profert majores cultu lætata racemos,
Naturamque feram, & gentilia nomina ponit.
Longa ſequor; citiùs taciti per inania cœli
In numerum ſperem labentia ſigna referre,
Quàm genera ignoti percurram ſingula Bacchi;
Plurima nam ſuperant, aliis quæ vinitor uvis
Nomina fecit: at ulteriùs ſi dicere vellem
Non curanda ſinat vindemia: me vocat annus
Pomifer, ornatus frontem bicolore racemo.
Ergo pampineæ num præſtet carpere plantæ
Munera, ſolertes prius explorate coloni,
Judice quod facile eſt vobis deprendere guſtu:
Bacchæi inde operis conſulto tempore, muſto
Apta reponendo, & ſervando vaſa lyeo
Sit curare labor. repetita aſpergine lymphæ
Illorum imprimis nitroſas elue ſordes,

Immundumque ſitum; poſt dolia verſa deorſum
Relliquias ſinito ſtillare ſuperſtitis undæ:
Illa deinde ſuo redigantur in ordine, certa
Lege recompoſita, & propria in ſtatione locentur:
Tempus erat de caſtaneis cùm vincula fiſſis
Frænando in cellis lenæo vincla parabant,
Et laxata novo religabant vimine, ſed mos
Hìc italùm multis non obſervatur in oris,
In partem circi ferro veniente ſaligni:
Thuſcus in emerita conſuevit vite colonus
Apta legi quando rubet uva, recidere falce
Sarmentum, ſuſpendit ubi ſe botrus, ut æſtum
Paſſus, & accipiens jam nulla alimenta racemus
Materno ex ramo ſuccum deponat ineptum,
Et libro aprenſum tantùm exteriore, diurnis
Solibus expoſitum terna ſub luce relinquunt;
Aut plùs, ſi tenuis, minùs aut, ſi fortior æſtus.
Eja age ſe mediis vindemia monſtrat in agris,
Maturamque legi, dulcique liquore tumentem:
Ne primo ſub mane tamen decerpere fœtus
Vitigenos nocturno etiamnum rore madentes
Approperes; rorem priùs aura, jubarque diurnum
Abſumat; tum vinetis inducere tempus
Agreſtes operas. primùm partire cuique
Munera certa; manum cultro hic armatus obunco
Incidat, qua ſe ſuſtentant parte, racemos;
Hic longo nimbis putrem autumnalibus uvam
Secernat ſtudio; calathoque reponat in iſto
Nondum maturam, mitemque reponat in illo:
Pars uvam totum quæ pendula tranſigat annum
Deligat. hanc mora ne diuturna exhavriat, ante
Quàm trabe ſuſpendas, admota ubi falce reciſa eſt,
Preſſis impacta digitis ſuper obſtrue cera;
Igno-

Ignotum hinc claudes iter, & ſpiramen apertum,
Per quod nativus vaneſcit palmitis humor:
Tunc etiam, quas non ulla ſibi parte deeſſe
Aſpicies vites, & ſpes implere colentis,
Circue viminea fingente ligaminis uſum
Tæniola, cautus ſemen legat unde putator
Admonitus vincli ſigno apparente ſaligni:
Pulchra domum Phyllis calatiſcos, atque Amaryllis
Impoſitos capiti exportet. Recluſa per arva
Fervet opus; minuit crebrum feſtiva laborem
Lætitia, & nullum cantu fallente puella
Sentit onus. Procul ecce alto jam ſole Nigella
Fert in contextis de vimine prava caniſtris
Allia, jucundaſque nuces; præit alba Lyciſca,
Alluditque frequens cauda: tum ſicubi ficus,
Porrigit explicitas, aut arbor Phyllidis umbras,
Nullo inſtructa parat ſtudio convivia largis
A ciſtis, qualiſque procul, ne forte quid eſis
Decidat è dapibus, vitietque liquentia muſta:
Ergo frondoſa ſedet omnis turba ſub umbra,
Calloſaque manu tractat cerealia dona:
Dumque famem ſedant, aut fagina pocula ſiccant
Multa inter ſe diverſo ſermone volutant:
Mites hic fœtus vineti laudat, & alter
Auſterum culpat, qui vellicat ora, ſaporem,
Hic ſcelus in nebulam infœcundi conjicit anni.
Sæpe ego lætitiam agricolûm, placidumque tenorem
Obſervans, curas quando poſiturus edaces
Permuto dulci populares rure tumultus,
Illorum menſis ſine ſumptu, atque arte paratis,
Exactiſque procul dira ambitione, metuque
Solibus urbanæ compono turbida vitæ
Tempora; commotoque trahens ſuſpiria corde,

Quid

Quid magis, exclamo, veſtro eſt jucundius ævo
Cultores ruris, quid iniqua triſtius urbe?
Difficilis vobis victus, partuſque labore
Plus ſapit, ingenti quàm menſa inſtructa paratu
Regibus; officio ſundentem dona diurno
Exercetis humum, patulaque ſub arbore feſſi
Ducitis innocuos pura inter gaudia ſoles,
Securi curarum, importunique timoris.
Ante fores veſtras non auri dira cupido,
Non faſtus, rixæve ſedent; proventibus omnes
Dividitis variis menſes, atque ordine certo
Deſcriptas lævi numeratis in arbore lunas.
Nos mœſta anxietas, primorum & barbara juſſa
Sollicitant, miſeris totum diſtinguimus annum
Eventis, cladumque nota ſignamus iniqua.
Et dubitamus adhuc mediis ingloria ſylvis
Ducere luſtra, dieſque jocis, & agreſtibus actos
Condere delitiis? ò ſtulto abſcondita vulgo
Gaudia: jucundi colles, nemoroſaque Tempe,
Ut penitus toto vos pectore ſuſpirabo!
Avocor incœpto: feras ubi ſuſtulit anni
Autumnalis opes vindemitor, aſſere texta
Componat tabulata ſuper, priùs & ſinat illic
Quinos expectare dies bacchæja dona,
Quàm pede proſubigat valido; quod inertior æſtas
Maturare nequit, tecto mora ducta ſub alto
Perficit: officio nec tali admittere ſolem
Tunc jubeo; partem hanc ineat ſol, aurea quando
Nondum facta ſuis vindemia pendet in ulmis.
Ampla quibus res eſt, ſpatioſaque prædia, fundo
In medio parvis attollunt tecta columnis
Ex omni iliceis circundata parte tigillis,
Ordine diſcretis denſo, numeroque frequenti:

Per-

Perfrictos ſubtus lateres, & lævia quadra
Componunt arcta inter ſe compagine juncta,
Nullis ut rimis variatum appareat æquor:
In medio curvo ſcrobs parva cavatur hiatu,
Quæ lacrymas nondum juſſas, & ſponte fluentes
Congreget intempeſtivè ſtillantis Jacchi:
Quamquam exoſa moram cùm difluit uva, premenda
Tunc erit: haud tales compacta petantur in uſus
Præla; manu in quernam ſed agreſtis utraque diotam
Ingerat aggeſtos botros, crebraque pedum vi
Elidat teneros iterumque, iterumque racemos,
Folliculis totus dum preſſis exeat humor:
Tum liquidum vaſi muſtum committe capaci
Purgandum fæce, atque ſui graviore levandum
Parte, cui invergens achelojia pocula miſce:
Najias ex facili muſto coaleſcit aquoſæ
Indolis oblita, & botri ferventis ab æſtu
Emendata ſui indigeſta pericula ſucci
Exuit, inſanumque valet mollire falernum.
In cratere deus cùm fervidus æſtuat, undam
Serò nimis ſuperaddis; aqua omnem demere noxam
Pauca nequit: ſed larga merum pervertit aquoſum:
Quo tu cumque tamen miſcebis more, ſubacti
Eſt ingens Bromii ſocia cum Najade ſponte
Conſenſus; junguntque ultro ſua corpore mixto
Nomina; quin facti ſi vera eſt fama vetuſti,
Amborum à veteri hæc concordia venit amore.
Olim nympha fuit ſtudiis addicta Dianæ,
Viſa diu felix, rebuſque beata ſecundis,
Bacchi infelicem donec non novit amorem:
Improbe amor mala quot miſeris mortalibus affers!
Fortè poli medium Phæbo ſubeunte, puella
Mollibus à ſylvis venatu feſſa redibat:

Exci-

Excipit à ſylvis redeuntem Bacchus, & addens
Blanditiis, poterant animum quæ flectere, verba,
Quid tantùm fervente, inquit, te ſole fatigas
Nympha Napearum pulcherrima; non benè tales
Ætatis ſit magna tuæ jactura per uſus,
Nec ſtudia iſta tuæ ſunt convenientia formæ.
Dixerat: illa ſitim fervore exercita ſolis
Quærebat gelida deponere fontis in unda;
Nulla ſiti fuerat ſed quæ ſuccurreret undæ
Copia: laturus ſitienti dulce levamen,
Officiiſque ſuam ſibi devincturus amatam
Liber pampineo telluris viſcera thyrſo
Impulit; ecce novum tellus percuſſa liquorem
Submiſit, preſſa qualis diſtillat ab uva.
Virgo, æſtus quando ſubigit violentia, blandi
Dona dei probat, & pleno ſe proluit hauſtu
Neſcia quæ miſeram maneat ſors: deinde loquelas
[Sive illam officii movit, ſeu gratia facti,
Sive latex animos epotus molliit] audet
Cum læto conferre deo gravitate remiſſa:
Quin breve poſt tempus jurati oblita pudoris
Fœdera cum Bromio pepigiſſe uxoria fertur;
Hinc ſubitò in proprias pacta ob connubia pœnas
Immitem Triviæ commovit vindicis iram.
Lenta ſecuta tamen ſcelus eſt vindicta; puellæ
Primùm ſpinoſas ferit imo in pectore curas
Venatrix dea, mox ferum poſt facta dolorem;
Immittit propriæ dein triſtia tædia vitæ.
Quid tum animi, aut mentis miſeræ fuit? omnis eam lux
Vidit plorantem, vidit nox fera gementem,
Præbentemque ſuis ſolatia nulla querelis.
Sæpè gravi tentans medicamina ferre dolori,
Cur non, Bacchus ait, ſtudia intermiſſa reſumis,
Fron-

Frondea venatu nec luſtra, nec arua pererras;
Ipſa velut crimen ſtudium vetus odit, opaca
Altorum nemorum nec luſtra, nec arua pererrat.
Illam propoſiti non dimovere tenacem,
Nec quæ mollia verba tener dicebat amator,
Nec quæ blandimenta tener faciebat amator.
Purpureo biſſena polo proceſſerat Eos;
Ex inopinato juga cùm in montana puella
Contendit mediis ſuras evincta cothurnis,
Pennatiſque armata ſuo de more ſagittis;
Venatu curas, curſuque levare parantem
Autumat inconſultus amans; ſed enim altiùs illi
Hæſerat, & cordis pervaſerat intima vulnus:
Poſt varios tandem errores, ubi mollia ſtagna
Efficit objecto concluſus pumice rivus,
Feſſa pedem repreſſit, & anxia ſedit ad oram
Littoris: hic letho quando finire labores
Eſt animus; culpeque magis, magis angit iniquæ
Cura ſequax, triſti infelicia corpora ſaltu
Mittit agens: ſonitum merſo dat corpore ſtagni
Fundus, & obliquos aqua concita circinat orbes:
Nec mora; cæruleum (ſic dii voluiſtis) in amnem
Corpus, & in ſcatebras molles abjere papillæ;
Et contracta coma eſt in muſcum abeunte capillo:
Quæ nuper lentum tendebant fortia nervum,
Fluminis accedunt taurino cornua vultu;
At nervus, cornu qui reſpondebat adunco,
Vertitur in ſteriles juncos lentore retento:
Ramoſis defixa ſolo radicibus, uſus
Perdidit antiquos, nomen ſervavit arundo,
Fitque quod haud fuerat, nam facta eſt urna, pharetra
Adfuit, utque nova commotus imagine caſus
Ingemuit Liber, fruſtraque vocavit amatam,

At

At quoniam mea non ultra, cariſſima, dixit,
Eſſe potes, tamen haud omni te parte vetabit
Eſſe meam fera ſors, & me quoque ſemper amabis,
Et mutata licèt, ſemper quoque amabere nobis.
Dixerat, & verax eventus dicta probavit;
Namque Lyeus amat lymphas, & amatur ab illis.
Septimus à preſſis ubi ſol ſe verterit uvis,
In vacuos transferre cados ſpumantia vina
Tempus erit: brevius ſpatium vix dulcia muſta
Perficit, at longum inſvavem dat habere ſaporem:
Mos tamen eſt varius pro conditione locorum:
Cyrneus qua luce premit bacchejia dona
Vinitor, hac etiam in cellis quoque luce recondit
Tempore perficiente merum: eſt cui frigida habetur
Unda odio, divi feritaſque bimatris amatur:
Quod magis etruſco ſolet arridere colono.
Ille ebuli baccis ſaturans pallentia vina
Imponit ſpectantum oculis mendace colore.
Quos grati quæſita capit dulcedo ſaporis,
Aut timor exercet, ne forte æſtate ſub ipſa
Incidat in vitium liquor, hæc inventa frequentant.
Plurimus ad ſcalam ſuſpenditur ordine longo
Sacculus expanſus reſupino deſuper ore:
Intra paſſa trium ferventi in vaſe dierum
Muſta moram funduntur; inertia lina falernum
Permeat, & fundo paulatim ſtillat ab imo;
Accipit illigno quod parva lacunula in alveo:
At muſta in ſaccos nova terque, quaterque refunde;
Horum depoſitas & ſæpius elue ſordes;
Terreſtrem donec labem exuat inter eundum
Effuſum crebrò nectar, quod ad aera vitro
Impoſitum explorare potes. Non diſpare more
Attritam frugem circumvertente molari

Setoſo

Setoſo imponunt cribro, motuque frequenti
Exercent: ceres exuvias deponit inanes
Deſuper, & telæ per parva foramina tranſit.
Pluribus eſt ea cura uvas ſeponere lectas
Omni rejecto, inque cados transferre, racemo;
Ferratis vinclis circùm undique, & undique cincto
Deſuper apponunt ilignea opercula vaſi;
Ad tectum pertingente obfirmata tigillo,
Nè reſilire queant; intus fera prælia miſcent
Bacchæi rores, indignanturque teneri:
Menſtrua luna ſuum ter ubi renovaverit orbem,
Vaſe merum primo depromitur, atque novella
In ſtatione, cadi mutata ſede locatur:
Hauriat hoc ſiquis patera malecautus in ampla,
Protinus aſpiciat circùm laquearia verti,
Et formas viſis, numerumque accedere rebus.
Jamque mei pars eſt non parva exacta laboris
Urbanas inter brumali tempore curas:
Nunc quod poſtremo ſupereſt evolvere verſu,
Expediam grati per amica ſilentia ruris.
Auribus accipiunt numeros, ſervataque verba
Populeo taciti ſcribunt in cortice Fauni;
Et celer errantem ſuſpendit Cingulus undam.

LIBER

LIBER IV.

Vinum.

NUnc tua me luſtrare juvat Lenæe bimater
Hoſpitia, & trepidos cæcæ in penetralia ſedis
Ferre pedes; preſſis quæ muta ſilentia linguis,
Et nova circumſtant variis ſimulacra figuris?
Veſtibulum ante ipſum juvenilibus adſtat Jacchi
Exultans animis genius, fretuſque juventa;
Audaceſque jocos, venienteſque accipit ore
Feſtivo riſus, & neſcia gaudia veri;
Ridiculas viſu formas, arcetque pudorem
Longiùs, exangueſque metus, & ſeria verba.
Ebrietas incerta ſui, vultuſque ſevero
Picta deo, inque humeros curas rejecta moleſtas
Itquè, reditque; ſopor ponè inſtat, & urget euntem
Illaqueans poſitis veſtigia lubrica vinclis.
Intus deformes larvæ, Tejque vagantur
Ingentes vatis manes, Ennique bibacis;
Ipſe ſcyphum invergens reſupina in guttura Flaccus
Regum temnit opes, auſamque intrare Lycurgi
Umbram terret, & oſtenſo cratere minatur.
A dextra, lævaque apparent dolia tignis
Impoſita, & ſpatio inter ſe diſtantia parvo;
Certam in menſuram, rectumque redacta tenorem:
Inſuetas longè nares fragrantis Jacchi
Tentat odor, gratique ſubit dulcedo ſaporis.
Hìc ego ſi veſtros auſim contemnere fontes
Pierides, cyathiſque vocare in carmina Bacchum,

Ne

Ne mihi contemptas culpæ ne vertite lymphas;
Cymbia ſed potiùs mecum alternate bibendo,
Lætaque concordi devoluite carmina vena.
Eja agite, hoſpitio cui præſtet credere vina,
Ordine nectentes facili, præcepta referte.
Sole procul medio, ſtrepituque remota viarum
Delige ſecreta loca ſub tellure cavata,
Quò non perveniat graveolentis ſpiritus auræ,
Aut flatus tepidi, cùm nimbos congregat, Auſtri:
Nec minus hybernam geminum ſpiramen ad Arcton,
Et matutinum pateant ingentia ſolem
Oſtia; compoſitum æquali compagine ſubter
Læve pavimentum dorſo aſſurgente tumeſcat
Paulatim, in parvum dein parte ab utraque canalem
Deſinat, unde loci ſordes, fæceſque cadorum
Educat properans repetita aſpergine ſecum
Unda; canaliculos unus dein exitus ambos
Exoneret ſub fine, extraque foramine mittat.
Omnia ſub brumam ſpiracula claude, ſed ante
Pertentare merum ſine frigora; Bacchica primus
Curat dona rigor; quàm longa hyberna tamen ſunt
Tempora, cellarum nè clauſtra adaperta relinquas;
Tacta ſecus gelido languerent axe falerna.
Sic, ubi bruma riget, calor interiora pererrans
Reſtituit feſſa amiſſum per membra vigorem;
At contra grave pervadat modò corpora frigus
Improtecta, ſuos vis omnis deficit artus.
Ne bacchea tamen ſic tu cellaria claude,
Nullus ut inſinuet ſe per ſpiramen apertum
Ventus, & expaſſis loca non refrigeret alis;
Quin parvum per iter ventos tranſmitte ſalubres,
Ut piger illorum renovetur pulſibus aer,
Et levis ambroſios latices eventilet aura.

Tranſvecta in fines italùm cum limina adirem
Partheniæ matris, piceno in littore vidi
Exciſa in gelido tibi, Bacche, cubilia ſaxo
Luce procul, terræque remota in parte; furentis
Illic vim ſolis contra, æſtivoſque vapores
Acria nativo ſe frigore vina tuentur,
Et deprompta ſuo dentes algore laceſſunt.
Compoſito in cella, quam legeris ante, Lyæo,
Ora cadi ſcutula reſupina tegantur acerna,
Quà liquor exhalet, ſpumam & rejectet inertem:
Quæ certis quandoque tamen ſupplere diebus
Eſt opus: ilignis cùm ſtat depromere vaſis
Quotidie, inque uſus lenæum adhibere diurnos,
Fraxinea inſeritur poſtremo in margine vaſis
Fiſtula, cui cuneus mucrone immittitur apto,
Quem toties ſtupæ revoluta volumina cingant,
Parva petit quoties menſura foraminis, unde
Educendus erit liquor. His tibi ritè peractis
Ora ſuperna operi tornato ſubere, ſupra
Injecto ſabuli cumulo, tenuiſſima ne pars,
Nobiliorque dei liquidas vaneſcat in auras
Nacta viam per inane cadi, nam dolia tota
Plena mero talis ſprevere pericula caſus.
Forſitan eveniet, cùm bimum haurire falernum
Deſuper uſus erit, ſeu quòd te oppreſſerit hoſpes
Ante expectatum, ſeu quod libare juvabit:
Tum vitream recluſa immitte in dolia cannam,
Quæ collo gracilis, quæ turgida ventre foramen
Deſinat in parvum, undè meri liquor exit, & intrat.
Ergo ubi repletum advertes ſaliente liquore
Urceolum, ſubitò preſſo obduc pollice, quò ſe
Suſtineat ſpatio ſuſpenſum nectar inani;
In pateram quod ubi ſtabit defundere, pandi

Polli-

Pollicis imperium remove, quò compleat aer
Latum vaſis inane, merumque erumpere cogat.
Sunt qui vas ſumma terebrant in fronte, modumque
Hunc depromendi laticem pro tempore ſervant,
Poſt miſſo cuneo per læve foramen acuto;
Hanc artem ſed mitte, dolos nam verna nocentes
Bacchi educendi facilem meditatur ob uſum,
Et ſecurus heri vina inconceſſa frequentat.
Siqua tibi fuerint, ut erunt ſervanda per annum,
Educ muſta, alioque reconde in vaſe levata
Fæcibus, & labor hic quandoque iteretur, Jacchum
Turbida ſi facies obnubilet, aut timor ullus
Ingruat à craſſa ſucci pinguedine, cauſis
Aut ex diverſis, quas eſt mora longa referre.
Ne tamen hoc ultra, quàm tempora juſta requirant
Differ opus; fructus in ſpem cùm vinea floret,
Ni penitus labem purgato exemeris omnem,
Sæpè capit vitium Bacchus; tum quippe remiſſus
Expaſſo botri de flore, ultroque, citroque
Vitigenus parvis atomorum exercitus alis
Commeat, incurſatque mero; gentilis ab ipſo
Agminis occurſu exultat, ſeque excitat intus
Dans incompoſitos Liber per dolia motus.
Nec minùs admiſſis cùm terram incendit habenis
Sol, & ferventi dominatur Syrius anno,
Adverſæ impendent clades, quas tu niſi tali
Antevenire potes ſtudio: quandoque ruinam
Ingentem cellis tulit implacabilis Auſter,
Aut fragor horriſoni, cùm fulmina mittit, olympi.
Ac veluti æquales dum pax moderamine partes
Æqua regit, vigor in toto tum corpore floret
Integer, & curſu procedit vita ſecundo;
At ſi forte novum, mediis calor advena fibris

Diſſidium iniiciat, compactaque fœdera turbet,
Protinus in ſolito non continet ordine ſeſe
Temperies, varioſque parit diſcordia morbos.
Haud aliter, ſi fortè vapor, cœliqne fragores
Particulas, liquidi quibus humor conſtat Jacchi,
Commovere novi ſpargentes fervida belli
Semina, miſcentur calido tenuiſſima motu
Corpora, nec peragunt juſto data munia curſu:
Jamque dei facies apparet lurida, lætus
Diluitur color, atque ſaporem mutat amaror;
Nec ſtudio, aut ulla potes inſuperabile cura
Emendare malum: cupis hanc ſi avertere cladem,
Eventu citius, quàm præveniaris iniquo,
Vinoſum accenſo vas imbue ſulphure, totum
Mox inverge merum; caſus quoque firmat ad omnes
Vina, ſalis braſili quod rorem imitatur alumen.
Ipſa loci pariter Baccho natura tuendo
Convenit; arboribus quæ multa alimenta miniſtrat
Ubere læta ſuo diuturnæ tempora vitæ
Spem tellus aufert latici, & ſaturata frequenti
Si qua fimo lætatur; idonea rura probantur,
Suſtulit unde graves robuſtus meſſor ariſtas;
Quippe ſeges ſummo diffundens æquore fibras
Parte aliqua in proprios campi ſuccum avocat uſus;
Hinc minor aridulas divertitur humor in uvas;
Nec minùs æſtivo ſitientes tempore colles
Progenerant firmos, & humus jejuna liquores.
Ad validam Bromii ætatem, fortemque ſenectam
Arida ſubducti præſtat penuria ſucci.
Et ſola diſſimilem variant diverſa ſaporem:
Pinguis ager, ſubigi facilis, madidoque paludis
Proximus ingenio, tenera ſi vite feratur,
Meſſe ferax quantam obtinuit, laudem inde remittet,
Quippe

Quippe feret ſimilem fluviorum humoribus uvam:
Hujus me laticem, cantu ſi quando napæas
Pierideſque voco, haud quiſquam perſuadeat amplis
Haurire in pateris, ſecus omnis copia ſiccæ
Areſcat venæ, fruſtraque vocetur Apollo.
Temperies ſed enim placido quibus æqua tenore
Contigit, & gravibus glebis ſe dura reſolvi
Arva tenent, nyſæo animor, ſenſumque dedere,
Quem variat gemini diſcordia grata ſaporis.
In mediis generoſa oritur vindemia ſaxis,
Tenuis in aprica, & naturæ mitis, arena.
Collibus elatis, qui ſole fruuntur aperto,
Imperio cuicumque velis parere paratis,
Nullus erit qui præſtet ager; non ora tepore
Labentis fluvii totum recreata per annum,
Inſcia non brumæ regio: ſi conſita ſpectes
Mollibus in clivis vineta, habitumque locorum
Matutina novi reſupinum ad lumina ſolis,
Æquali ſe laude probat thelioridis agri
Conditio, ſimili fruiturque favore diurni
Luminis: hic Zephyris pulſus felicibus aer
Diſcuſſa ridet nebula, placidoque ſereno
Promovet excultæ dotes telluris, & arva
Ingenioſa juvat; quo primùm tempore ſedem
Hic poſuit villæ genius dominator amœnæ,
Fama eſt, innocuos hæc ultro in rura vocaſſe
Camporum, nemorumque deos, frugumque parentem,
Cumque hilari autumno matrem Zephyritida veris:
Diique, deæque omnes, ſua munera quique ferentes
Advenere; Ceres de ſpicis ſerta gerebat,
Floraque contextam vario de flore coronam,
Autumnuſque ſuas, quas maturaverat uvas:
Ex illo pulchræ tacti regionis amore

Hos divi legere ſibi ſuper omnia colles
Terrarum loca, & aſſiduos coluere per annos.
Hic quoque (nam ſtolido vates abſcondita vulgo
Plura vident) ſæpè aſpexi convivia divos
Agreſtes poſitis celebrare ſub arbore menſis:
Capripedes circùm Satyri, Faunique bicornes
Hiſcebant tacitis conſpecta ad numina labris;
Pars viſura procul ſpectacula, ſumma petentes
Arboris, è mediis ſe frondibus oſtendebant
Non auſi propè compoſitas accedere menſas;
Pars ſubter pavidis adrepens paſſibus ibat
Furtivos meditata dolos: ſed vitifer arcet
Numen, & arrepta phyala, tyrſoque minatur.
Salve theliorei ſedes placidiſſima ruris,
Quam florum, ſegetumque parens, vitiſque repertor
Delegere ſibi, cœli cui ſervit amici
Temperies, moremque gerit clementior annus.
Tu dominum longæ poſt horrida tempora brumæ
Excipis, & raucæ mœrorem diluis urbis;
Te, ſiquid poterunt mea carmina (ſi tamen ullus
Fors erit auſoniis qui verſibus applicet aures)
Te facili cantu romana per oppida ferre
Raptat amor; Tameſiſque tuas, & Sequana laudes
Audiet; attollens taurini cornua vultus
Plaudet, & ipſe tuis aſſurget honoribus Iſter.
Quamvis bacchæo laudentur munere colles,
Sæpè tamen vitio gypſi, tophive nocentis
Vina tulere ſuæ non reſpondentia famæ:
Scilicet illa gravis quandoque accuſat amaror,
Et nocuus contriſtat odor; quin debile tentant
Audaci caput aſſultu, injiciuntque laborem
Nitenti contra ſtomacho. Quæ frigore torpent
Immites edunt uvas montana locorum;

Unde

Unde venit natura mero indigeſta, nec apta
Sanguineum verti in rorem: dulcedine qui ſe
Commendat, qualem jejuni jugera ruris
Sæpè ferunt, majora latex alimenta miniſtrat;
In bruma gratus, ſed inopportunus in æſtu,
Nempe ſiti non eſt in ſicca æſtate levandæ.
Adde quòd ex facili dulcis tenuiſſima Bacchi
In ventos abeunt corpuſcula, ſolaque reſtant
Humoris multum, & terreſtris habentia fæcis,
Unde acido perdit ſua Liber nomina ſucco.
Auſteri contra vis immanſueta ſalerni
Interiùs cohibens atomos exire parantes
Comprimit, hinc propria manet illud in indole conſtans,
Mutarique ſapore rigentis abhorret aceti.
Lenæum quemcumque tamen te haurire juvabit,
Parciùs hunc cyathis, timidèque haurire memento;
Nempe ſuos tegit ille dolos, blandoque furore
Inſinuat ſeſe, capitique illudere certat.
Qualis ubi fera vis diri percellit amoris
Cor hominum, proprio mens cardine mota vacillat,
Deliciaſque ſuas vocat infelicia damna,
Nec mala fallaci defixa in imagine ſentit;
Talis viſceribus nocuo ſi quando calore
Incubuit Bacchus, victam in contraria mentem
Abripit, & rerum formis deludit ineptis.
Atque hæc ut certis poſſis dignoſcere ſignis,
Didita monſtrantem facti monumenta vetuſti
Fabellam priſca revocans ab origine pandam.
Forte gravi inter ſe certabant Liber, Amorque
Diſſidio, vaſto quis in orbe potentior eſſet:
Edomitum Gangem deus, Auroræque ſubacta
Regna oſtentabat; mea quis ſe numina contra
Tollat, ait, poſſitve meas eludere vires?

Riſit Amor, quid vana mihi conamina, dixit,
Objicis, & belli facta inclyta? totius orbis
Victor ego, pariterque animos, & corpora vinco.
His ergo inter ſe collatis ambo loquelis,
Judicio dubiam quò rem diſcriminet æquo,
Tejum adeunt vatem, patula fortè ille ſub umbra
Ad citharæ ſonitum condebat amabile carmen:
Protinus ex humeris ſua plectra remiſit, & ultro
Dulce reliquit opus: nec longum tempus: Jacchus,
Idaliuſque puer vario ſermone viciſſim
Oravere ſuam tali ſub judice cauſam.
Tejius huc illuc ſtudiis diſcordibus actus
Fertur, & exiguo tandem poſt tempore vates
Annuere eſt viſus, tacitèque favere Lyeo:
Pendentem ſed ubi pharetram, & reſperſa cruore
Vidit tela, latus paphii cingentia nati,
Protinus aſpectu perterritus hæſit, & ipſam
Litem judicio diſcernere noluit æquo.
Scilicet à diro ſibi ni timuiſſet Amore,
Bacche tibi primas (tua vis eſt tanta) dediſſet.
Verùm ſervato ſi limite contineat ſe,
Fræna ſiti nec laxet iniqua cupido bibendi,
Ambroſius fert plura liquor, quæ commoda longum
Percenſere foret; ſuper omnia vatibus ille
Ingenium facit, atque animos, vireſque miniſtrat,
Sopitoſque acuit ſubeunda ad munia ſenſus.
Scilicet ignigenam coluit dum mollis Jacchum
Græcia, pieridum facunda floruit arte,
Et ſtabilis grajas habitavit Delius oras.
At ſimul ac thracum vis immanſueta pelaſgos
Fregit, & Eleum argolicis proſcripſit ab oris,
Continuò depreſſa omnis defloruit ars, &
Argivùm fines, Pindumque reliquit Apollo:

Sic

Sic ſtudium felix Ænotria nobilis oti
Olim cum grato Bromii conjunxit amore,
Et doctas alvit jucundo nectare divas:
Donec gens italos populatum barbara fines
Erupit, ſtragemque viris, campiſque ruinam,
Frugiferiſque tulit plantis; tum vertere doctæ
Terga deæ, vacuoſque ſuis cultoribus agros
Heu gratos quondam, & dilecta relinquere rura:
Tandem triſtia poſt eventa, graveſque labores
Res italùm verſo viſa eſt juveneſcere vultu,
Quamvis nil priſci curet ſermonis honorem
Auſonis ora, ſuæ quondam decora inclyta famæ.
Nec tu laude cares Bromii, Phœbique gemella,
Gallia tyrſigeri cultrix ſtudioſa parentis,
Nobiliumque ſimul genitrix doctiſſima vatum.
Tu ſola auſonidum lapſas res, inque ſuum jus
Reſtituis latias, Bacchique alis ubere, muſas:
Nec tantùm aonio ſuper æthera tendere cantu
Laus tua, & eloquio cauſas orare diſerto:
Verùm deterſo ſquallore, ſituque vetuſto,
Doctrinæ & clara diſcuſſis luce tenebris,
Tranſmittis ſeclis veterum monumenta futuris:
Quodque italis inſuetum animis, quos horrida dudum
Barbaries peſſundat, amœno more ſophorum
Inventa exornas, & cultu divite veſtis.
Perge tua virtute, & rebus freta ſecundis
Palladias artes colere, aonideſque fovere
Borbonidum felix ſub numine gallica tellus.
Talia jactanti duras mihi blanda Thalia
Aures vellit, & exiguis quid viribus, inquit,
Aggrederis majora? agreſtes dicere cultus
Te decet, & tenui ſtipula deducere verſus.
Dixerat; ipſe retro veſtigia ducta revolvens

Signatum relego callem, & memorare quod ante
Uſus erat, fugitque è mente, referre parabo,
Qui modus eximium vineti gignat Jacchum.
Quæ trunco ex humili prope humum venit uva, propinqui
Vim de humore ſoli validam ſibi comparat, & de
Solis concepto, quem gleba repercutit, æſtu:
Attamen à pluviis impacta cadentibus illam
Inficit, & terra inſuavem dat habere ſaporem
Pulvereis limoſa botris; nec talia damna
Antevenire potes, niſi, cùm vindemia cœpit
Parte rubere, leves furca vineta bicorni,
Sublatoſve liges ad pali ſumma racemos:
Exſuccus ſed enim collis, qui ſæpe juvari
Indiget imbre, jubarque adverſa fronte diurnum
Excipit, agricolæ haud talem feret ille laborem,
Præcipuè ſaxo ſi ſupra arente tegatur;
Nulla timet nam de longis incommoda nimbis.
Nulla ex arboribus vino eſt minùs apta ferendo,
Quàm ſcamno digeſta in gyrum ſimplice, truncum
Compenſans breviorem ignavo frondis honore:
At ſuper intonſas latè ſi pendeat ulmos
Exlex vinea, ſumma petat ſive ordine longo
Diſpenſata ſuper plantæ tabulata putatæ,
Qualia felſineus ſvevit formare colonus,
Promit inoffenſum ſine labis odore liquorem,
Pravi nil vitii, denſæ vix fæcis habentem:
At non quæ ſpatio ſe pergula porrigit amplo,
Compluvii referat ſeu formam, arcuſve reflexi
Apta venire tuos eſt dive bimater in uſus;
Quin veſpis fert prædam, udo vel ab imbre fatiſcit,
Ante ſuum mitis quàm duxerit uva colorem.
Illa tibi potiùs ſpatianti præbeat umbram,
Seu curis te forte animum relevare juvabit

Cum

Cùm ſocio lucem vario ſermone trahentem;
Seù potiùs verſare manu exemplaria vatum
Docta voles, grajaſque italis componere muſas,
Poſt ſomnum patula protectus fronde diurnum.
At quibus inventis, aut qua ſolabitur arte
Damna ſibi erepti tellus arctoa Lyæi?
Pugnax in liquidum ſubigit Germania potum
Hordea, & officium grati Ceres implet Jacchi;
Cinamma pars junxere, lupive volubile germen.
Thrax, quem ſtulta vetat lex indulgere Lyeo,
Pocula arundineo miſcens Acheloja melle
Reſtinguit mendace ſitim, dulcique liquore.
Cui mala paupertas jucundi muneris uſum
Invidet, è pomis ſuccum, ſorbiſve ſubactis
Elicit, utque æſtus in acervum mala redacta
Concipiant, ſtimulos tepefacta ſubjicit unda:
Protinus inter ſe diverſæ prælia miſcent
Particulæ, medioque furit dum pugna calore,
Tenuia concurrunt corpuſcula, & agmine facto
Impuram certant à ſe depellere labem;
Terreſtris dat victa locum, & pars diſſita cedit.
His, aliiſque ſibi parat ars humana repertis
Delicias non Bacche tuas, & non tua dona.
Hactenus agricolis varios monſtravimus uſus,
Læta quibus vineta, & maſſica munera curent:
Muſarum vanas nunc intermittere curas
Me juvat, & fracta cithara, paſſiſque capillis
Libera laxato permittere fræna dolori.
Nam mihi quis ſolitos inter traducere luſus
Suadeat inviſos ſoles, poſtquam invida natum,
Delicias patris natum, gratumque levamen
Fata mihi rapuere? o feræ vana ſenectæ
Spes, & inanis amor, perituraque nate, voluptas,

Quò miſeri patris, quò matris blanda tuliſti
Gaudia, cur ſine me fugiens me vita relinquis?
Nec molles oculos, formoſa nec ora, tuoſque,
Unde inhians fixo pendebam lumine, vultus
Aſpiciam poſthac? at poſthac pectore in imo
Semper eris, ſemperque animis verſabere noſtris.
Jamque ego præceptis, monitiſque inducere amicis
Pieridum tibi jucundum meditabar amorem;
Dein lætos hymeneos, dein connubia feſta
Eventu caritura ſuo tibi, nate, parabam:
Tu mihi, dicebam, cùm firma acceſſerit ætas
Debes optatos mea dulcis imago nepotes,
Qui canum incerto paulatim agnoſcere riſu
Incipiant, & avum blæſo ſermone ſalutent:
Hei mihi quod teneræ te primo in liminæ vitæ
Abſtulit atra dies, caſuque involuit eodem
Fruſtra ſperatos mea pignora cara nepotes.
Tempus erat cum certa moleſtis tempora curis
Ponebam, lacrimiſque modum, finemque dolori;
Nunc ego nec metas pono, nec tempora, totam
Lamentis implebo domum, & clamore ſonanti
Exangues proavorum umbras, gemituque ciebo,
Flens noctem, flens lucem: aer te voce remiſſa,
Blande puer reſonabit, & atria pulſa querentur.
At quid ego hæc autem? nil proficiente querela
Averſos ſuperos, hominеſque, auraſque fatigo.
Quandoquidem nihil eſt ultra quod pendere poſſim
Officii genitor, ſanguis meus, & mea proles,
Mœrorem patris, nati teſtantia caſum
Tranſmittam ſeclis feralia ſcripta futuris;
Æternum monumentum, & noſtri pignus amoris.

AQUA

AQUA.

Sere-

Digitized by Google

Sereniſs:, ac Potentiſs:

VENETÆ REIPUBLICÆ

MARIS ADRIACI REGINÆ.

Thomas Ravaſinus Felicitatem P.

O *Quæ purpureos inter ſpectanda Quirites*
Surgis in Adriaco Roma ſecunda mari;
Hæc tibi, dum latium Mavors circuntonat orbem,
Carmina de variis ducta vovemus aquis.
Noſtra licèt tenui decurrat tramite Muſa,
Auſpicio tamen eſt pænè ſuperba tuo.
Apta ſuo niſi ſe titulo argumenta probaſſent,
Talia forſan erat ſcripta dicare labor:
At quoniam mihi carmen aquæ, tua regna, fuere,
Sponte ſua noſtrum ſe tibi ſiſtit opus.

Author

Author Lectori.

HIſce nuperis temporibus fuere nonnulli, qui in poeta Chriſtiano gentilium fabulas, uti nugas, & mera deliramenta reprehenderunt: ego etſi cum his nequaquam concino, hocce tamen poema juxta illorum ſententiam conficere volui, totiſque viribus enixus ſum, ut & poetæ munus implerem, & ab iiſdem fabulis, quantùm poſſem, temperarem. Cæterùm poemata à me hactenus edita, ſi ſacra excipias, fabuloſis narrationibus intexui, veterumqne, quoad potui, inhæſi veſtigiis, non neſcius plurimum poetici decoris eos delibare, qui miſſis omnibus paganorum commentis, ſeveriori more poeticam faciunt. hoc nolebam te neſciſſe.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

Aqua Pluvia.

* * * * * * *
* * * * * *

PAmpineis nuper cecini, quæ gleba faveret
Vitibus, & quali ſe vinea ſtirpe probaret:
Nunc varios mores, certoſque accingar aquarum
Demonſtrare uſus, cauſaſque aperire latentes.
Diva parens, toti latè quæ ſufficis orbi
Cœleſtem, vena ceu fons ſaliente, favorem,
Huic quoque te parvo, namque es mitiſſima, cæpto
Da facilem, neque enim genio hæc diſcedere viſa
Sunt inventa tuo; nam tu quoque ſæpe vocaris
Signatus, qui culta rigat florentia, rivus;
Exemplumque tui cùm ſtat proferre pudoris,
Diceris illimi ſcatebrarum purior unda:
Diva fave, & zephiris mea vela intende ſecundis.
Adriaci Regina maris, quæ provida miro
Conſilio antevenis dubiæ molimina ſortis,
Partiriſque graves in publica commoda curas:
Nec minus, imperium cùm ſtat proferre latinum,
Arma capis, ſemper ſocios habitura triumphos,
Huc ſolio demitte oculos pauliſper ab alto,
Aſpectuque meos facili dignare labores.
Jam mox laurigeri tibi ſummo in vertice Pindi
Præclarum ſtatuam, & manſurum in ſæcla trophæum:
Illic barbarico thoracas ab enſe petitos,
Haſtaſque, galeaſque, & belli cætera ponam

Argumenta: addam exuvias oriente receptas
Edomito, dites auro, & garamantide gemma;
Addam urbes æri inciſas, claſſeſque per altum
Everſas, monumenta tuæ victricia dextræ.
Parte alia innumeris victura volumina luſtris,
Inſcriptoſque notis, quas nulla oblitteret ætas,
Conſpicua Hermoleos, & grandia nomina Bembos
Cernere erit; nec te tacitum jucunde relinquam
Naugeri, ſtudiis florens genialibus olim.
In medio plenas nabathæi thuris acerras,
Nec non purpureas myſtarum inſignia vittas
Suſpendam: divùm ſtabit pretioſa ſupellex,
Magnorumque virùm ſacra ornamenta tiaræ.
Relligio ſuper incumbens, efficta per artem
Phidiacam auguſta cum majeſtate ſedebit;
Aſſurgetque oculis in cœlum ardentibus, undè
Omina deducet Venetæ felicia pubi.
His ita compoſitis, lauro è parnaſſide pulchra
Serta tibi texam nullam paſſura ſenectam,
Tu modò præcingi ne dedignere; decora
Forſitan hæc annis mutabit palma futuris
Lecta palæſtinis in ſaltibus, aut propè ſacrum,
Judææ fines qui præterlabitur, amnem.
Interea auſpiciis alacer felicibus, orſa
Perſequar, & curſu tranquillum metiar æquor.
Principio quidquid teneras educit in auras
Omniparens natura, frequenti conſtat aquarum
Promotum auxilio nova viſere lumina ſolis;
Nam prima neque ſpem meſſis monſtraret in herba
Nata ſeges, rupta nec quercum glande videres
Exigua ad magnos auctus proludere virga,
Ni præſto aſſiduus foret humor, & ubere potu
Arboreas ſtirpes, & florida culta juvaret.

Quin

Quin ubi fæcunda felix uligine tellus
Lætatur, qualem in plano, & convallibus imis
Cernere erit, labens quò montibus influit humor,
Apricæ veniunt plantæ felicius, herbæ
Iniuſſæque virent: terræ, quas arida contra
Dedecorat macies, ſitiens vel arena perurit,
Aut inhonora ferunt virgulta, aut inſcia fætùs,
Nomina nec plantis, nec frugibus ulla dedere.
Præterea manifeſta tibi experientia ſolers
Signa dabit, parvi arbuſti ſi fertile ſemen
Fictili in argilla pones, & judice libra
Explores circumpoſitæ priùs addita terræ
Pondera: tunc aliquis famulorum è gente ſagaci
Invitet ſtudio ramoſa in germina ſemen,
Primaque blanditiis juvet incrementa, ſupina
Nunc urnà invergens ſera ſub luce liquores,
Nunc lævi ramos diſpungens caudice, natos
Deteriore loco: curamque frequentet eandem
Sæpè iterans, donec menſuram adoleſcat in æquam
Indiga nil cultùs arbuſcula: nec mora, lætum
Virgultum ex imis radicitus erue glebis,
Quas inopes humoris, & hauſtas ſole diurno
Judicio, primæ jubeo te ſubdere lancis.
Protinus appenſæ nil deceſſiſſe prioris
Ponderis advertes terræ, ſolumque liquorem
Comperies abiiſſe novellæ in pabula plantæ.
Inſuper exiguo fruticem ſi vaſe revulſum,
Et turgentis aquam profuſam illius in uſus
Ante gravi expenſam trutinà obſervabis, eandem
Invenies menſuram undæ, ſtirpiſque revulſæ,
Momentoque ambas nullo differre videbis:
Undè liquet madidis componi ſingula ſuccis.

At quoniam tanti partem ſibi muneris imber
Vindicat, atque ortum rebus, vireſque miniſtrat.
Qua pluviæ manent ab origine, quave probentur
Utilitate, canam. Vaſto ingens corpore tellus
Intus diſſimiles animantum more vapores
Concipit, occultis quorum pars magna latebris
Emergit, nam plura locis abſcondita cæcis
Spiramenta latent: pars ſicubi lata vorago,
Obſcuris aut antra patent diducta cavernis,
Ignotum ſibi pandit iter; ventoſus anhelas
Oceanus pariter nebulas ſubmittit, & amnes
Emenſi juga montium, arundineæque paludes.
Nec mihi facundo quiſquam perſuadeat ore
Supremo tenues educi Sole calores:
Nam veluti alternis animalia motibus auras
Accipiunt, fumoſque graves ſpiramine mittunt
Multiplici, haud ſecus eſt varios molita meatus
Alma parens, nebuloſa quibus telluris in auras
Materies expiret, & aera carpat apertum.
Ergò ubi concepti terràque, marique vapores
Aereas tenuere vias, denſaſque coacti
In nubes viſu variam accepere figuram;
Protinus aut animoſus equis inſurgit eois
Eurus opaca trahens nimborum ponè frementum
Agmina, jamque manu pendentia nubila preſſat,
Undè leves ſummo labuntur ab ethere guttæ.
Aut fremitu Notus incedens per inane ſonoro
Circuit emotis quatiens cava nubila pennis:
Alarum illa ſonant applauſu, pulſaque crebro
Verbere paulatim rapidos ſolvuntur in imbres.
Quot verò pluviæ ſe grata in commoda præſtent
Longa referre mora eſt. Quod cultos jacta per agros
Semina fæcundum tumeant in germen, eantque
In

In folia, & meſſis demonſtrent ſigna futuræ,
Munus, aquæ, veſtrum eſt; vos æſtivam ubere culmo
Inſtruitis ſegetem, flavaſque gravatis ariſtas
Triticeo fætu: nec ſegnius omne juvatis
Plantarum, fruticumque genus: namque æthere ſummo
In terræ gremium ſimul ac deſcenditis, almum
Sufficitis generi herboſo, arboribuſque liquorem,
Qui trunci inſinuans per cæca foramina, plantæ
Diſpenſat ſe ſe partes, tribuitque per omnes.
Mille juvandi artes tibi ſunt, pluvia optima rerum,
Mille modi pariter: cùm frigida in intyba tranſis
Frigoris officium peragis, tibi plura caloris
Accedunt momenta in odoræ germine laurus,
Abietis in foliis: ſuccis abſinthia amaris
Informas, medicoſque venis accomoda in uſus;
Nam, ſi quando animum præſtat revocare labantem,
Præſto ades in citriis, & cor hilarante Meliſſa;
Sin cohibere juvat nimio quæ libera fluxu,
Sylveſtri ingenio corna imbuis, arctaque contra
Si laxare juvat, violaria lubrica ſolvis,
Et patulas malvas: herboſo in ceſpite vernas,
Purpureis redoles in floribus, inque novellis
Dulce ſapis pomis, & ſuave rubeſcis in uva.
Quid memorem ut medio venias gratiſſima in æſtu
Cùm Sol pulvereis terris iraſcitur, & cùm
Incendit calida arva calor? tum ſi aera ſummum
Irrores, placidaque riges aſpergine campos,
Torridus extemplo fervor miteſcit, & auræ
Jucundum ſummis algorem è collibus afflant.
Nec verò terris favet imbrifer omnibus æther,
Nam qua regna ferax in centum Hiſpania, centum
Porrigitur maria, occiduumque Hyperiona ſpectat,
Cælum parcit aquis, ſiquidem qui labitur atram

Per noctem pluviæ munus ros humidus implet:
Et quà Pyramidum oſtentat monumenta Canopus
Inſcius eſt nimborum æther: ſed provida Nili
Tempeſtas per frugiferos felice ruina
Expatiatur agros, & amico jugera limo
Fœcundans, cæleſtis aquæ diſpendia penſat.
Immenſi pariter prima ſub origine Mundi
Parcius in pluvias viſum eſt deſcendere Cœlum:
Namque intempeſta largè ſub nocte cadens ros
Nutribat plantas, & ſemina ſparſa juvabat.
Tunc alius, nondum notas, nondum arte putatas
Incultæ vitis ſuccus veniebat in uvas:
Frugibus alter erat ſapor, inſitione reperta
Haud opus emendare fuit tunc aſpera mala,
Aut faciles cultus adhibere virentibus herbis.
At poſtquam generis Numen ſcelera impia noſtri
Accinctum vindictà ultricibus eluit undis,
Ex illo in pejus mores abiere labantis
Naturæ; nec ſe cognoſcit degener annus.
Scilicet inſolitum modò nubibus agmen aquarum
Præcipitat, plenis & inundant flumina foſſis:
Et modo aduſta ſiti tellus, & Sole dehiſcens
Perpetuo, pluviæ nec munera percipit, ullos
Nec rores bibit æſtivo fervore negatos:
Hinc minus, atque minus votis ſata rura colentis
Reſpondent, vetus ingenium nec jugera ſervant.
Multa hominum pariter meditando induſtria ſolers
Extudit inventa, undè ſibi diverſa pararet
Commoda, & in varios imbrem traduceret uſus.
Montanis ideo in ſcopulis, ubi ſiccior æſtas
Dulces exhaurit venas, humana capaces
In morem ſtagnorum ars eſt molita lacunas;
(Ciſternas dixere) & tali freta reperto
Inſeſtos

Infeſtos ſoles, & longa incendia ridet.
Quæ loca ſint igitur dare nomen idonea latis
Ciſternis, ſi quandò animos ad talia cæpta
Adiicies, oculo primum perquire, nec ulli
Parce operæ; nam quid proſit tibi copia rerum
Multa, diurnarum ſi deficit uſus aquarum?
Vaſta igitur ſpatium quà ſe protendit in amplum
Area, quam circùm pendentia tecta coronent,
Alveus effoſſa ſic eſt tellure cavandus,
Ut latus in quadram conſpiret quodque figuram.
Attriti ſubter lateres ſternuntur, & arcta
Junguntur ſimul inter ſe compagine, nequa
Parte pavimentum emineat, rimiſque dehiſcat;
Sed lævor commendet opus. Circùm undique tectis
Derivetur aqua, iligno quæ ducta canali
Motibus unanimis medium concurrat in alveum.
Pulverea fundus ſubſternitur omnis arena,
Compluvio tractas quò ſordes exuat humor,
Deponatque ſitum. Adriaci Regina profundi
Urbs, quæ Romulidum veteres imitatur honores,
Artibus his totum dulces ſervare per annum
Suevit aquas, nam diffuſas admixta lacunas
Interiùs ſalſi viciant commercia ponti.
Præterea vires pinguedinis obtinet imber,
Agricolæ quando Cælo rorante cadentem
Invitare ſolent hiberna in prata, viarum
Purgamenta vehens quò ſecùm labilis humor,
Oblimet fundum felici uligine, lætos
Undè animos olim ſtirpes, herbæque reſumant.
Inſuper effoſſis ubi tellus concava glebis
Altum hiat, argillam figulus ſeu fortè tenacem
Eruit, in lateres ſeu villicus arva parandos
Exhauſit, poteris nimbos divertere aquarum,

Si loca complanare voles: nam præter eunti
Subductum pluviæ prærupta reſiſtit ad ora
Objectæ foveæ, fundoque lutum hæret in imo:
Unde ager inducta paulatim æquatur arena.
Prætereà cæleſtis aqua in nova nomina tranſit,
Ut mortale juvet genus: ilicet induit albæ
Naturam nivis, atque gelù concreſcit acuto,
Attritura leves hyberno pulvere glebas,
Hinc plantis magis, & jactis ſementibus aptas:
Quin ubi fœcundos albo ſuper integit agros
Vellere, nativum telluris in ima calorem
Frigore compellit valido, quò vivida terræ
Vis incluſa diù latebris, luctataque longùm
Exeat ætherias animo majore ſub auras.
Delicias & ſæpè, voluptateſque nivali
Procurantur aqua: nam quæ non præbet in æſtu
Commoda, brumali nix tempeſtate repoſta
Exhauſtæ telluris in interiore caverna?
Ergò nec anguſta re contineare, nec ulla
Aſperitate ſitùs; quin gyro effoſſa rotundo
Sub cæca tellure pares loca, cinctaque muris
Circùm coctilibus, tectoque adoperta ſupernè.
Alta igitur cum nix tegit arva, & euntia frænat
Flumina ſcythonio glacies aquilone coacta,
Agreſtes ſit cura operas accire, frequentes
Quæ nivea in cumulos attollant pondera, longà
Concretas vel aquas cædant per ſtagna ſecuri;
Inde unco ducente trahant. Ubi turbidus Auſter
Humenti gelidas moles perflaverit aura,
Aut Sol hybernus tepefecerit (hinc magis alba
Nix in ſe compreſſa reſidit, cumque globatur)
Cum traheis, plauſtriſque alacres accerſe colonos.
Nec mora: cernere erit paulatim plena locorum

Elata

Elata in niveos montes decreſcere, crebro
Concurſu agricolùm cumulantum ingentia plauſtra,
Et crepitante domum glaciale onus axe vehentum.
Verna operi ſuper aſſiſtens, hortamine crebro
Addat deſidibus vires, animoſque colonis:
Pars onera accipiens junctos cervice juvencos
Exoneret, pars candentes jaciens valida vi
Detrudat cumulos in ſubterranea tecta:
Pars ſuper inſultans pedibus premat: orbita ſtridet
Verſa rotæ intereà, & curſum revoluta frequentat:
Frigidus agreſtum clamores comprimit aer.
Illud erat pariter non ſegnius ante monendum,
Quem nix deponet diſtillans, ſubter ituro
Eſſe opus humori exteriore foramine, mixtà
Ne glacies vitietur aquà: ramoſa memento
Et circùm muros coryleta, arbuſtaque lauri
Ponere; non viti gratam aſpernaberis ulmum,
Et ſiqua eſt foliis, quæ læta exuberat arbor:
Arceat ignitos quò ſcilicet umbra calores.
Quot verò vitare modis faſtidia poſſis
Æſtiva, elapſæ proviſo munere brumæ,
Haud longus nobis labor eſt memorare: propinqui
Urbanus ſi te convenerit incola ruris,
Æſtatis calidas qui tecum ſors velit horas
Dividere, indulgens ſtudiis, nunc dorica vatum,
Nunc opera Auſoniæ percurrens inclyta linguæ,
Pocula tum braſilo tingens acheloja rore
Jucundo citri ſucco, fragivè rubentis
Immiſcere potes, circùm & nivis addere partem,
Non ſua commendent ut gratum frigora potum:
Quem mox unanimi ſocio, externiſque propines
Hoſpitibus, qui te diuturna per otia viſent.
Nec minor utilitas, minor eſt aut illa voluptas

Poſſe

Poſſe per æſtivos defendere fercula menſes
Integra, & in menſas illæſa inferre paratas.
Namque ſub æſtatem, niſi ſuccurratur amico
Auxilio ſecretæ, ubi nix eſt condita, cellæ,
Sæpè dapes vitium capiunt, nec tempora longa
Ferre diù, aut ſoles poſſunt durare diurnos.
An verò pluvialis aquæ ſint apta bibendo
Pocula, in ambiguo eſt. Pars imbres culpat, iniqua
Scilicet infectos terreni labe vaporis:
Pars probat æſtivo ſub tempore, præcipuè cùm
In calida igniferum diſcedit fulgura cœlum:
Nam crebro aſſultu flammarum, atque igne coruſco
Attenuantur aquæ, noxæque pericula ponunt.
At quamquam titulis ſe pluribus approbet imber,
Sæpè aliena tamen peccat per crimina, morem
Cauſatus Cœli varium, & regionis iniquæ.
Scilicet in ſpicam cùm meſſis tranſiit, & cùm
Vinea præmiſſis meditatur floribus uvas,
Humentes nimbis odere frequentibus Auſtros
Agricolæ: autumnus pariter, cùm poma colorat;
Mitia poma, ſuaque graves in vite racemos,
Parcius irriguo deſiderat æthere tingi:
Nec minus imbriferum tellus malè ſuſtinet annum,
Difficilis ſiqua eſt, uncoque rebellis aratro:
Namque ubi tempeſtate pigrum concepit ab udà
Lentorem, renuitque moveri gleba, paluſtre
Contrahit ingenium, nec credita ſemina blanda
Temperie fortunat inertibus obruta ſuccis:
Uſque adeò ex omni præſtat nihil utile parte.
Plura forent nobis pluviarum arcana monenda,
Quæ ſi cuncta meo complecti carmine vellem
Barbarico cantu, atque rudi ſermone Sophorum
Gentibus Auſoniis faſtidia longa moverem:
Adde

Adde quod ulterius ſi mens foret edere clara
Inventa, atque italas nova carmina ferre per urbes,
Non ſinat audiri, qui me circumtonat ingens
Armorum fragor, & violenta tonitrua belli.
Namque hinc extremo veniens Aquilone Suevus
Irruit, adverſos illinc ferus exerit enſes
Cantaber adjungens flavis ſocia agmina Gallis:
Inter diverſas volitat diſcordia turmas
Diſciſſa clamyde, & nunc hos, nunc ſuſcitat illos
Ultricis flammæ tædis, iræque miniſtrat
Nutrimenta: ſuis trepidam ſe vibrat in alis
Anxia pax, nec habet ſedes ubi figere detur.
Annuus intereà labor, aſſuetumque per agros
Ceſſat opus: procul in latebras ſe conjicit altas
Agricola infelix, illum neque cura relicti
Ulla movet gregis, aut falcem, quæ fera morantem
Vineta expectant, incultaque terra tot annos.
Squallet humus, ſquallent tetrà rubigine raſtra,
Campiſque in mediis nullo cuſtode vagatur
Armentum, ſedeſque iterumque, iterumque reviſit
Antiquas, ſtabula alta; at nec præſepia nota
Invenit, everſis nec ſe cognoſcit in agris:
Martius uſquè adeò ſecum atra incendia portans
Omnia ſubvertit furor, involuitque ruina.
Cœlicolæ indigetes, & tu placabile Numen,
Afflictæ cui res, & regna Ænotria curæ,
Ærumnas ſaltem noſtris defende paratas
Finibus, infandique averte pericula belli:
Diruta ne pereant cum civibus oppida, neve
Barbarus has cultas ſegetes, hæc prædia vertat.
Tempeſtate illa validus ferale tonabat
Gallus in hoſtiles crebris inſultibus arces:
Ipſe ſuper ſummo Thelioris colle minacem

Acci-

Accipiens ſonitum humanarum triſtia rerum
Fata revolvebam, & longinqua incendia ſpectans
Heu mœſtæ Auſoniæ ſortem miſerabar inquam.

LIBER II.

Flumina, & Mare.

O Qui me gelidi Tameſis, Rhenique bicornis
Semotum fontem, aut Tiberinum ſiſtat ad amnem:
Aut votis ſi fortè meis averſa repugnant
Numina, non notæ ſaltem ſecreta revelet
Naturæ, undè vagi ducant exordia fontes:
Cur noſci fugiat Nilus, cur fluctuet aurea
Tempeſtate Tagus, gemmiſque redundet Hydaſpes.
Talia populea meeum meditabar in umbra
Eridani ad ripas, ſubitò cum apparuit undis
Cæruleum attollens juvenis caput, os humeroſque
Cælicolæ ſimilis: dubio perterritus hæſi
Aſpectu, geliduſque tremor per membra cucurrit.
Olli ſtillantes contextæ more coronæ
Cingebat crines electrum concolor auro;
Subluſtris nebula, & glomerata volumine crebro
Candidulos artus velaminis inſtar obibat
Crure tenus, placidiſque illudebatur ab auris.
Tum greſſum advertens ripæ gravia ora reſolvit
Vocibus his. O qui tectarum occulta laboras
In medium proferre, arcanaque pandere rerum
Parthenius vates, non hæc ſine numine Divùm
Explorare datur, cuiquam nec talia viſu
Contigit uſurpare, aut fas proferre ſub auras:

Ille

Ille ideò, magnum Cœli cui ſumma poteſtas
Frœnare Eridanum dedit, atque imponere morem,
Ille adſum fluvii Genius moderator, amico
Qui retegam ſermone, & aquarum abſcondita pandam.
Et quoniam fugiunt mortales plurima ſenſus,
Multa tibi, licèt humana non prædita forma
Oſtendam, inductis hominum velata figuris.
Artifices quo more ſolent apponere fictis
Non ſua membra, habituſque novos inducere rebus.
Sic ait, incertumque animi, dextraque prehenſum
Humida deducit liquidæ in penetralia ſedis:
Dimoti extemplò fluctus diſcedere viſi
A dextra, lævaque, viamque aperire patentem
Compoſito ſuprà curvamine: ſpumea latè
Apparet domus, atque inſtrata ſedilia vitro.
Progredimur, genioſque opera in diverſa videmus
Exercere manum innumeros: pars tenuis arenæ
Rimantur cumulos, rutilique legunt argenti
Particulas, pars obliquum properantibus undis
Complanare ſtudent iter, atque evolvere fluctus
Ancipites, oculos alii fugientia noſtros
Semina præterea miſcent, ſolertis in uſus
Naturæ varios; opere atria vitrea fervent:
Parte òmni ingentes concurſu accedere magno
Cernere erat centum fluvios, centumque minores
Torrentes, quorum è numero placidiſſimus unus
Ibat: eum magnus præſes comitabat aquarum,
Indutus teneras algàs, ulvamque paluſtrem,
Et glaucà teneram præcinctus arundine frontem.
Fluminis extemplò ſpeciem miratus, & ora
Tranquillam pacem referentia, quæ nova, dixi,
Inſueta hæc viſu facies, quæ copia lene
Prætereuntis aquæ? Dux his tum vocibus infit.

Quem

Quem placido lenem ire vides pede, Mincius hic eſt
Andini vatis fama celeberrimus, ampla
Quem vos laude ſuper geminos attollitis axes,
Illius & celſo propè ſcripta æquatis olympo:
At ſuperos non ſcripta movent, figmentaque vatum
Ludicra; perpetuis luit ille piacula pœnis
Averſam ob Cœlo mentem, obſequiumque negatum,
Æternumque luet; neque futilis eximet illum
Muſarum favor, aut ſimulatum Numen Apollo.
Dixerat. Ipſe imo ducens ſuſpiria corde
Heu fruſtra, exclamo, doctas quæſita per artes
Gloria, & incaſſum longo vigilata labore
Docta virùm monumenta! En quò clariſſima ceſſit
Laus, plauſuſque frequens populorum, & opinio vulgi?
Cuncta licèt teneam, manus auferet omnia mortis,
Fama nec ultrices placabit poſthuma Diras.
Non hæc, excepit Genius, tibi mæſta querela
Convenit; ætherios ſiquidem tua dixit amores
Fiſtula, & heroo cecinisti carmine Matrem
Partheniam, teneriſque elegis, non iſte per auras
Diſperdetur honos: nam poſtquam verterit atrum
In cinerem te ſumma dies, modò Numen amicum
Faverit, in ſuperis iterabis carmina regnis
Inter Cœlicolas, nec laus te parta relinquet;
Quin tua apud magnos revireſcet Gloria Divos.
Ut dicto inſtaurati animi, veſtigia lætus
Pone ſequor Ducis, & rorantes vadimus unà
Inter ſpeluncas, rorantes ubere gutta;
Indè amplos fluviorum alveos tranſmittimus Euris
Ocyus, ancipiti plantas neque tingimus unda.
Circùm ſollicitus venientis ſpiritus auræ
Ingruit, incertumqe altis immurmurat antris
Incluſus vapor, & ducto ſæpè ignea ſulco

Rima

Rima micat, glomeratque immenſa volumina fumi
Accenſum ſulphur: dum cæca incendia cerno
Eminus, & ſonitum mixtarum admiror aquarum,
Ictu oculi citius longa intervalla viarum
Metimur, locaque extemplò diverſa tenemus.
Illic ſe facies oculis pulcherrima rerum
Obtulit, & novitas longè gratiſſima visù.
Amnicolæ pueri placidas propè fluminis undas
Ludebant, media nudati parte lacertos,
Et forma molles quali pinguntur amores.
Pars nitidas lymphas urna vergente deorſum
Fundebant proni in pectus, pars divite cornu
Verſabant flores, & floribus herbida ſerta
Nectebant, àlii victrici tempora lauro
Cincta oſtentabant, admotis fila canora
Pulſantes digitis, & te pater Arne canentes
Multiſono modulatu, Arnum omnis perſonat aura:
Arbiter etruſcæ lætatur cærulus undæ.
Inſolità vocis captus dulcedine, miro
Ducebar cantu, & verſus ſociare parabam
Ipſe meos, numerum tentans, moduloſque referre;
Cùm fruſtrà audentem comes increpat, atque morantes
Maturare jubet greſſus; mox altera parvo
Tempore, ſe ſpatii in medium portenta dedere.
Nam vix læva aliò veſtigia fleximus, ecce
Ingens viſa viri ſpecies, cui plurimus ora
Commendabat honos, humana & imagine major
Majeſtas: triplici ille caput diademate cinctus,
Omnipotente manu ſceptrum regale tenebat:
Finxerat elatum ſolium Cryſtallina moles,
Centum fluminibus, centum undè & fontibus alta
Jura dabat, populique humentis fræna regebat.
Attonitos defixum oculos, & non ſatis imo
Perci-

Percipientem animo non viſas antè figuras
Avocat, inſtauratque viam comes; exin opacas
Ambages rerum, varia & myſteria pandit,
Multa monens curſu in medio. Fama inclytus, inquit,
Tybris, & in ſolio nuper conſpectus aquoſo
Amnis erat cuſtos; non ornamenta gerebat
Hæc olim, non hac ſe majeſtate ferebat:
At poſtquam excelſum caput extulit aurea Roma
Terrarum cœlique potens, ereboque tremenda,
Crevit honos, triplexque in ſumma fronte corona
Pro viridi lauro, pro molli apparuit alga;
Inque manu imperii ſupremum inſigne refulſit:
Verùm age, & adverte inſuetam ad ſpectacula mentem
Hactenus indeprenſa, nec ulli viſa priorum.
Dixerat. Intereà liquidi pellucida mundi
Clauſtra, per immenſi ſpatium porrecta profundi
Ingredimur; quacumque oculis, quacumque vagamur
Greſſibus, ingentum vis larga redundat aquarum:
Emiſſi per mille vias; mille undique rivi
Cum ſonitu erumpunt, patriaſque evadere certant,
Quà data porta, domos. Rupes exindè minaces
Cernimus, & celſos ſub aqua ſe attollere montes:
Aſſurgunt infrà colles, & ponè jacentes
Subſidunt valles: mox ſe æquore porrigit amplo
Planities, quam non mortalia lumina poſſint
Proſpectu æquare, & metiri præpete viſu.
Aliger hìc ductor ſtetit, & ſic ora reſolvit.
En vates maria alta vides; parvoque labore
Undè trahant primos ortus vaga flumina, diſcis:
Scilicet Oceani perlabens unda per imas
Terrarum venas, imperceptoſque meatus
Diſtribuit ſe ſe inſinuans, quàque exit in auras
Hic nova ſortitur, nativaque nomina perdit:

Atque hoc principium fluvii, & natale vocatis
Vos mortale genus: ſed enim omnes diditus humor
In partes telluris, aquarum mutua ſervat
Flexilibus gyris commercia: meta viarum,
Nec requies eſt ulla: redit labor actus in orbem
Errantum fluviorum, & tecta antiqua reviſunt.
Forſitan æquorei miraberis otia fundi,
Quandoquidem ſuprà alterno ſinuatur ab æſtu
Plana ſuperficies: ſed non huc pervenit ingens
Vis, quæ ſollicito exercet maria humida motu.
Nam proprià incumbens aer gravitate patentis
Dorſa freti premit: hinc immenſo pondere preſſa
Et fluit, & refluit ſummi tantùm æquoris unda.
Cur tamen hæc teneant operoſa negotia cœlum,
Provenit è mira, quam nunc ſtat dicere, cauſa.
Ergò Lunai in medio juga ſubdita celſis
Montibus, abruptoque exurgunt vertice rupes,
Quantus Athos, aut quantus Eryx: valleſque profundæ
Inſuper, & plenis viſuntur flumina ripis.
Quapropter cùm ſe noctis movet aurea lampas,
Perpetuo ſecum circumfert aera gyro:
Namque ubi terrarum loca, ſtagnaque mollia proſtant,
Et diffuſus ibi eſt, qui terram amplectitur aer.
Hinc cum Luna polo vultus oſtendit ab alto,
Ambitus aerius magno premit impete vaſtum
Parte ab utraque fretum, dorſoque tumeſcere cogit
Elato, latera impingens nam comprimit aer.
Mutato contrà tumidum mare fluctuat æſtu,
Obtinet Heſperium cum Phœbe argentea mundum,
Vergit in eoas vel ubi contraria partes:
Quacumque illa etenim incedit, ſiquidem undique ſphæra
Cingitur aeria, in latum minus ætheris orbem
Deſcendit, nec molle valens impellere marmor:

Parte ſed adverſa, qua non it candida Luna,
Pondere adacta fugit, refugitque volubilis unda.
Præterea plano, quæ vos æqualia fundo
Ducitis, excelſis maria aſpicis interrupta
Montibus, atque humiles infrà conſurgere colles,
Inque cavas juga paulatìm procumbere valles,
Quo veſter ſe more ſolet proponere Mundus
Spectatorum oculis: quem verò ſalſa ſaporem
(Venerit undè ſapor ſalſus ſi fortè requires)
Exhibet unda, tulit diverſa à parte locorum
Inſeſſa à pelago primi ſub origine Mundi.
Nam veluti modò tecta ſalis fert ſemina tellus
Parte in diverſa, ſic pura ubi lympha novellæ
Incubuit terræ, ſalis in tellure repoſtas
Solvit particulas, totumque refudit in æquor,
Undè mari vaſto ingratus ſucceſſit amaror.
Terrenæ contrà quam per cava viſcera molis
Oceanus diſpenſat aquam, vitium acre ſaporis
Exuit, innumeris loca pervia ſubter eundo
Flexibus, atque ſolo nota ſucci inſuavis adhæret,
Quo fit, uti dulci laudentur flumina potu.
Nec tamen exterior modò quæ ſpectatur aperti
Forma ſali, ſtabit longo invariabilis ævo:
Tempus erit nova cùm è pelago ſine nomine tellus
Emerget, veterique loco cedentibus undis
Immanes alto ſuperabunt vertice montes;
Planities infrà campo tendetur inani:
Quàque prius tumidis refluebat motibus unda,
Agricola impreſſis variabit pinguia ſulcis
Jugera, & ignaros mittens rude ſemen in agros
Converſo poſt Sole metet flaventia farra.
Iratum contrà pelagus rapido obruet æſtu
Parte alia immenſæ tractus telluris, & alta

Incum-

Incumbens mole, unà hominumque, boumque labores
Evertet; miſeris hauſtæ cum civibus urbes
Lethali ſident ſub aquà, exitioque dabuntur.
Nonne ferax pariter nuper Campania, & ora
Trinacris, hos caſus, has eſt perpeſſa ruinas?
Nonne improviſo tellus concuſſa tumultu
Abruptum laxavit iter ſalientibus undis,
Subvertitque domos, ſua nec templa, integra texit
Relligio, ſacros gemmata nec infula Patres?
Una tulit clades delubra, arceſque ſuperbo
Extructas luxu: non ſera in vota vocare
Profuit averſos ſuperos; duroque ululatus
Elati Cœlo, & lamenta incondita Matrum.
Talia mærenti ſimilis narrabat, & ultrà
Greſſum intendebat, donec ſpatia ampla viarum
Emenſis, miranda ingens ſe mole videndam
Obtulit, aut Rhodope quanta eſt, Atlaſve, Virago.
Illa caput ſuper impoſita turrita corona
Fronte videbatur ſummas contingere nubes,
Et geminis manibus ſub utroque jacentia phœbo
Littora complecti: cano primævus in ore
Florebat vigor, & nullis obnoxia luſtris
Miſcebat dubiam invenilis forma ſenectam.
Carbaſus innumeris rerum diſtincta figuris
Corpora velabat, mundique exordia textu
Mirifico, ſimul humanum ſimul omne ferarum
Monſtrabat genus, & veſtitos gramine campos.
Artifices operum pueri, numeroque carentes
Prompta miniſterio circumſtat turba; frequenti
Pars legit, & relegit greſſu loca, ſvetaque juſſa
Exequitur, manibus ſtudii pars altera tractat
Inſtrumenta ſui: doctis hic fila canora
Percurrit digitis, hic anhelis follibus ignem

Sollicitat, raſtris ille, impreſſoque ligone
Velle videtur humi duras convellere glebas;
Alter dimenſum ſpatiis æqualibus orbem
Circinat, aut paribus componit quadra figuris.
Singula quid memorem? Quodcumque ars repperit olim
Inventum, proprii certà ſub imagine ſigni
Quiſque gerit, peragitque ſua data munera dextrà:
Nec tanto quiſquam è numero ſolerte labore
Urget opus, quin convertens ſua lumina contrà
Ante giganteæ mores notet, oraque matris,
Obſervetque habitus, & facta ſimillima fingat.
Sed non multa oculos tantùm oblectabat imago,
Quantùm dulce meas ſonuit concentus ad aures;
Concentus puerorum ad Cœli ſumma ferentum
Adſtantis laudes, magnæ & præconia matris.
Quis tua, dicebant, totum diffuſa per orbem
Commemoret dona, aut verbis effingere poſſit
Omniparens Natura? tibi ſuprema poteſtas
Tempora perpetuum juſſit ſervire per ævum:
Alternis tibi Sol, tibi tellus alma miniſtrat
Officiis: tenues hæc tollit in aſtra vapores
Nubis in effigiem, & pluviarum in nomen ituros
Adverſo ſimul ac impegit flamine ventus.
Ille jubar contra attollens, attemperat imbres
Infuſos glebis, & fœcunda indole ditat,
Hinc nemori frutices, hinc mollia gramina pratis
Proveniunt: hinc jam natis vigor additur herbis,
Arboribuſque; venitque rubentes ſuccus in uvas,
Flavaque triticeis crinitur meſſibus æſtas.
Nec ſolùm vitæ quidquid mortalis in uſus
Aut hominum poſcit genus, aut ſilveſtre ferarum
Suppeditas; ſed delicias, & munera mille
Donas ſponte tua: gremio telluris in imo

Parturit

Parturit argenti venas, fulvique Metalli
Te formante calor, ſterilisſque opprobria rupis
Divite penſantur gleba: ſine te ſua gemmas
Deſtituat lux, innumeros ſua forma colores
Ullus jucundas nec odor demulceat auras.
Sed quid deducto tua facta evolvere cantu
Conamur, factiſque aptas apponere laudes?
Te cœli æquævam, primaque ab origine mundi
Divinæ famulam mentis, magnamque miniſtram
Dicimus, æternoſque tibi inſtauramus honores.
Talia concordi referebat carmine pubes,
Cum nos haud longum paſſus conſiſtere ductor
His ultrò ingreditur dictis. Quas hactenus oras
Immenſo undantes tractu, & propè fine carentes
Veſtigare datum eſt oculis, ſibi nomina ſolas
Fors reputas feciſſe maris; maria altera verùm
Sunt cœlo, vaſtamque illic ſuſpendit aquarum
Molem rerum Opifex; aliam tamen indidit iſdem
Naturam, ac pelago veſtrum quod circuit orbem.
Namque illic nullis ventorum exercita pugnis
Læta quies habitat, placidaſque ſupernatat undas
Ætherius ſplendor, componens mille figuras
Luce repercuſsà, componens mille colores.
Qualis ubi tenues radios in denſa vibrat Sol
Nubila, verſicolor cœlum diſcriminat Iris.
Sub teneri miranda tamen primordia mundi
Illarum Omnipotens partem ſolidavit aquarum
Aera in immenſum, & variatum ſydere olimpum;
Humida relliquiis, quæ nunc natura, remanſit.
Inferius ſtatuit partem, & maria alta vocavit:
Utraque ſydereus diſcriminat æquora mundus.
Hic quantùm fluido rerum omnis debeat ortus
Humori, ex animis diſcuſſa nube videre

 Ipſe

Ipſe potes, nec tu poſthac mirabere vaſtis
Naturam ſub aquis ſtantem, imperiumque tenentem;
Quandoquidem liquidis elementis ſingula conſtant.
Sic ait, Oceanique egreſſos littore magno
Ætheria vectos aurà lacus accipit ingens
Penè mari ſimilis: cuſtos tenet humida ſtagna
Velatus madida ora, nec obſervabilis ulli.
Hic ego viſa oculos ad ſingula vertere, plura
Scitari, & penitus non notas quærere cauſas.
Ille ſuper dictis. Modò quam maris inſtar hiantem
Conſpicis, Æthyopum ſupra pertingit ad agros
Lenta palus, riguo dare nomen idonea Nilo.
Hac modò veloces poſſent decurrere puppes
Molirive viator iter, cunabula Nili
Amplius haud ignota forent: ſed multa paluſtres
Canna ſinus, ſemperque virens interplicat herba
Virgulti in morem, altum ideò ſulcante carina
Haud quiſquam ſperet, pede vel tentare profundum.
Nec ripa emenſa pariter vaſta æquora circùm
Ire queat, tot ſe in ſpatia lacus explicat ingens,
Tot prohibent aditum ambages, atque invius error.
Hìc, reliquum cum gens latè diffuſa per orbem
Spicea rura metit, vicinas ſpargit in alpes
Bruma gelu, canaſque nives, pluviaſque frequentat.
Interea ſummis collectus montibus humor
Defluit, & Nilum auxiliis hyemalibus auget.
Ipſe vias quamquam innumeras, loca plurima curſu
Præteriens, vires tamen haud tenuatus eundo
Acquirit magis, atque magis; felicia donec
In pleuſiaci prorumpens rura Canopi
Exſuperat victor ripas, ſiccoſque quotannis
Oblimat campos, & ſpem facit uberis anni,
Cum longis incenſa ſitit fervoribus æſtas.

Exar-

Exardens quoque Sol mordacis ſemina nitri
Niliaca turbans, quæ plura foventur in unda,
Commotas dilatat aquas, gravidoqne tumore
Multiplicat; felix lætos undè obruit agros
Eluvies. Sic in medio piger humor aheno,
Senſit ubi flammarum irritamenta, furenti
Deſpumat fervens æſtu, nec ſe capit intus;
Quin ſe ſe effundit labris, ſupraque redundat.
Hæc & plura monens ductor veſtigia movit
Ultrà progrediens, nec ſegnius ipſe ſequebar:
Nam ſimul ac ille in patriam me traxit aquarum,
Continuò terrena mihi loca ſubter eunti eſt
Addita dexteritas, & vis venti impete major.
Parva fuit curſu in medio mora; fluminis ecce
Diverſæ patuere domus, quas fronte ſub ipſa
Carmina ſignabant hæc amplis ducta figuris.
Jordanes ego ſum: Regem cognoſcite veſtrum
Diſſita longinquis vaga flumina partibus orbis.
Poſtquam introgreſſi, & data copia cernere ſedes
Cœruleas, rerum nobis apparuit ordo
Sacra locuturis referentum Oracula ſignis.
Illius pariter miracula prodita ripis
Ficta apparebant, necnon quæ carmina vates
Jeſſeus circùm natas narrabat ad umbras,
Hæc dum olim pecudes ad flumina paſtor agebat.
In medio cedro umbratus libanitide, ſanctum
Vittatus caput humentum generator aquarum
Cunctanti ſtabat ſimilis, ſimiliſque volenti
Siſtere aquas. Tum præcipiti ſalientia motu
Pectora commotus, nec nota tactus ab aura
Lumina defixi contra haud ſatiata videndo;
Mox hæc verba dedi. Tunè es clariſſimus unus
Jordanes fluviorum, altum ſuper æthera notus.

Ingenti fama? Tua noſco inſignia, laudes
Noſco tuas, patriumque decus: clariſſimus ille es,
Quem reliquos Pater Omnipotens ſuper extulit amnes
Uberibus donis, & honoribus inſuper auxit
Innumeris; tibi Zaccharidem natalia ſummi
Magna Dei narrantem, & grandia verba loquentem
Exaudiſſe datum: diffuſo gurgite Prolem
Sparſiſti unigenam Patris Omnipotentis, & unà
Primævæ labis luſtrandæ exempla dediſti.
Te variis longum victura volumina linguis
Dicere non ceſſant, Jordanem conſcius æther,
Jordanem ſenſere ampli latera ultima Mundi.
Siqua ergò officii, noſtri ſi gratia facti
Te movet ulla, ultra quando mihi poſſe referre
Nil datur, hæc primis ſine carmina verſibus addam.
Jordani, quo non auguſtior alter it amnis,
Auſonius poſuit monumenta hæc tenuia vates.
Vix ea fatus eram; jam bina notaverat alba
Carmina Chryſtallo geniorum haud ſegnior unus,
Sculptiſque addebat varia ornamenta coronis
Ipſe ſibi indulgens. Tum me cœleſtis Achates
Alloquitur. Sacros ſiquidem profiteris amores
Virgineus vates, pandiſque interprete verſu,
Hìc mandare datum longis tibi carmina ſæclis;
Vatibus inconceſſa, nec agnita dona profanis:
Sed jam ſollicito præſtat ceſſare labore,
Et celeres revocare gradus; luſtranda per orbem
Multa licèt ſuperent diverſo flumina tractu.
Scilicet indomitos ſeptemplex Pannones Iſter
Dividit, & virides præſtringit Sequana ripas;
Euphrates Babylona rigat, rapido impete Tigris
Influit in Medos, & Ganges alluit Indos:
Sed non longa ſatis, neque enim eſt mora libera nobis,
Tempora

Tempora ſuppeditant, nec te ultrà inquirere refert.
Nam quæ diverſæ narrant miracula chartæ,
Barbaricum nitidas gemmas evolvere Hydaſpem,
Et flavo Pactolum, Hermumque incedere paſſu,
Ludicra ſunt figmenta, & Grajæ fabula gentis.
Tantum hæc, declivem quæ reſpicit India Solem,
Romanis olim populis incognita tellus,
Munera fert: illic fluviales divite gleba
Impediuntur aquæ, & præda meliore potitus
Retia gemmifero ducit piſcator ab amne.
Hæc ubi dicta dedit, retrò telluris opaca
Per loca, muſcoſis ſuprà pendentia tophis
Feſtino ferimur greſſu: nova flumina rurſum
Apparent, & mille amnes miramur euntes.
Dein poſt errores varios, exhauſtaque curſu
Intervalla, iterum Cœli ſpirabile lumen
Aſpicio, geniuſque viæ comes additus, amnem
Propter Cingulidem me noto in margine ſiſtit.
Dum portenta animi attonitus ſpectata revolvo,
Et circumjectos proſpectu metior agros,
Ille oculis ſe ſe noſtris ſub flumina labens
Eripuit, nebulæ, volucrique ſimillimus auræ.

LIBER III.

De uſu ruſtico Aquarum.

HActenus Oceani vaſtas luſtravimus oras
Et diviſa locis vaga flumina: nunc ſtat aquarum
Agreſtes uſus ſurdas cantare per urbes
Æmiliæ, ignavoque otj torpore ſepultas.
Terrarum, pelagique potens auguſta Virago,
Mollia quæ populis imponis jura, Timavi
Qui fontes, Atheſimque bibunt, quos alluit æquor
Jonium, Ægeoque impacti à littore fluctus,
Depoſita facilem te majeſtate canoris
Nunc adhibe numeris, atque hanc ne deſpice partem.
Fors erit, ut noſtræ pulſo mœrore camænæ
Se vultu meliore probent, pœanaque feſta
Voce canant, ſi quando graves pacaveris iras
Bellantum, & latio pacem donaveris orbi.
Tunc ego palladia frontem velatus oliva
Pindaricum cithara depectam carmen eburna,
Mæoniosque iterabo modos: te vindice, dicam,
Bellicus in Thulen abiit furor, & bona fines
Pax tandem heſperios, & regna latina reviſit.
Adde meis plena interea tu pondera votis,
Et vatum doctis jucunda fac otia curis.
Quiſquis ades, faciles tibi ſi deducere rivos
Uſus erit, cultis qui vim ſurgentibus addant,
Subveniantque herbis calido ſub Sole, fluentis
Contemplare prius, quæ dos, vitiumvè ſit undæ:
Nam rapidi variant pro conditione locorum

Sæpè

Sæpè amnes: qui ſaxa inter, rupeſque malignas
Luctantur, longùmque jugis frondentibus errant,
Haud quiſquam in virides me inducere ſuadeat agros:
Tophus enim ſcaber, aut urens argilla latentes
Alpino ſub monte, aut ſalſi gleba ſaporis
Inſinuant maciem ſubter labentibus undis.
Lata mihi potius percurrat jugera rivus,
Quem via deducat planas diuturna per oras,
Cui ripas pagi celebres, urbeſque coronent
Turritæ, humorem de ſordibus unde feracem
Contrahat illabens aqua, ruraque ditet eundo.
Nec tamen, in montes regio ſi tota frequentes
Aſſurgat, celebrata nec alluat oppida flumen,
Incæpto parcas operi: quandò optima rerum
Deficiunt, minus apta uſu cogente probantur.
Haud aliter, ſtimulis ubi nos incendit amaris
Imperioſa ſitis, deſint ſi grata falerni
Pocula, laudat aquas veſana cupido bibendi;
Antè illaudatas, aderat dum viteus humor.
Fontem igitur ſeu mirà induſtria repperit arte,
Ultrò ſivè ſitus tulit ingenioſus, iturum
Quà de parte trahas, quæ per loca circumducas
Antè vide, & longos tractus metire viarum,
Naturamque ſoli: nam multos ſæpè ſefellit
Montis obex, & inæquali ſurgentia dorſo
Tubera, ſolertem ſæpè eſt fruſtrata laborem
Vallis hians, penitùſque cavo depreſſa profundo,
Aut ſcopuli in morem aſſurgens ſuper æthera cautes:
Singula quæ partìm multà vincuntur opum vi,
Aſſidua partim curà, humanoque domantur
Ingenio. Juga ſi cæptis adverſa reſiſtant,
Injiciantque moram, ſubter cava viſcera collis
Perfoſsà cæcos tellure ordire canales

Paula-

Paulatìm, & flexo curvamine deſuper, arcum
Deduc continuum, tunicamque inducere toti
Firmam operi latere è commiſſo, & calce memento;
Commiſſo è latere, aut nexis per mutua ſaxis,
Ne fornix ruat, aut latera inclinata recumbant:
Producatque ſuum foſſor, repetatque laborem,
Oppoſitam donec bipatente foramine montis
Exeat in partem. Fluvium quandòque deorſum
Præcipitat convallis, iter nec iniqua ſecundat.
Tunc latæ medium conjungere vallis hiatum
Proderit iligno, ſubſint cui tigna, canali;
Tigna fluentis aquæ ſuſtentatura labores.
Sunt, qui diviſæ faciunt commercia rupi
Pontibus in partes productis longiùs ambas,
Penſilibuſque viis curſus mirata ſupernos
Flumina tranſmittunt: verùm ſi fortè tibi res
Arcta domi eſt, tanti haud veniam moliminis author.
Nec tibi magnorum exemplar proponere regum
Eſt animus, ſæcliſque opera admiranda futuris,
In francis Lodoix quæ maximus edidit oris,
Verſalio quando ruri decus addidit ingens;
Aut cum Tyrreno ſpatia interjecta, marique
Oceano diviſit, aquaſque utroque refuſas
Æquore conjungens divertere juſſit in alveum
Arte laboratum: fruſtrà regalia contrà
Vota loci ſtetit aſperitas, & valle frequenti
Intermiſſus agri tenor: expugnata labore
Immenſo magnis ceſſere obſtacula factis.
Ergo & pollenti ferro pendentia ſaxa
Diſiecta, & crebro rupes foſſore ſubactæ:
Æquatis infrà clivis ſubſidere colles
Sunt viſi, contra & ſubſtructa mole tumentes
Inſolito elatas dorſo conſurgere valles.

Flumi-

Fluminibus mos impoſitus longo aggere, pontes
Ingens in ſpatium porrecti, alióque, relicta
Sede, priùs reſides juſſæ migrare paludes;
Dein vaſtam, cui non vidit priùs ulla lacunam,
Nec viſura parem eſt, veniet quæ ſerior ætas,
Extudit è vivo artificum ſolertia ſaxo,
Magnam opere, ingentem gyro, quam vix vaga poſſint
Lumina metiri: quod grandia ſcilicet auſa
Multorum poterat ſimul intervertere regum,
Unius ad Magni nutus tractabile ceſſit.
Talibus atque aliis ſtudio ſolerte paratis,
Obſervabis item, curſu ne defluat errans
Unda incompoſito; nam ſi declivior ibit,
Torrentis rapidi in morem, dabit illa ruinas
Ingentes, anno nec quod voluente peredit
Aſſiduà poterit curà ſupplere coloni
Sedulitas: nec ſi fundo ſtagnabit inerti
Incæptum expediet curſum, conſtantis arenæ
Nempè graves contrà cumuli, glebæque reſiſtent
Immotæ, juſtam ſervabit nec piger alveus
Menſuram, limo, & campis labentibus auctus:
Anxius undè labor defeſſo ſæpè redibit
Agricolæ, pluvias necquicquam, & monte voluta
Saxa incuſanti, atque opera intempeſta querenti.
Nec minus irriguos alieno tempore rivos
Ne prato inducas, iterumque, iterumque monebo:
Haud tibi ſit tanti fœni proventus, ut ante
Quàm falcem primis ſupponat villicus herbis,
Intempeſtivos admittas flumen in uſus:
Quippe aqua continuo nondum emendata calore
Æſtivi ſolis, ſecum deducit eundo
Et maciem, & rebus non opportuna creandis
Frigora; quin calido expecta dum ferveat annus
Sy-

Sydere, & herbarum ſiccatos verna maniplos
Suſtulerit, rivis tunc fræna remittere tempus:
Longaque ab utilibus ſi temperet imbribus æſtas,
Conditiove ſoli velit hoc arentis, ut amnis
Ductum ſepè iteres, potes herbida ſæpe rigare
Rura per integrum menſem: contra humida tellus
Nativo ſucco validos fert longius æſtus
Auxilio ſine fluminei, pluviique liquoris.
Plurima ſunt etiam, quæ vitæ in grata paravit
Subſidia, adverſis ſpectata induſtria rebus.
Scilicet iligni per iter declive canalis
Præcipites coguntur aquæ, quibus acta molaris
In gyrum, attritu contundit ſubdita farra.
Prætereà elatos objectis molibus amnes
Artificum labor inſtructas divertit in ædes,
Partiturque locis variis, foruliſque ſupinis
Diſpenſat, dein lina intus, deſuetaque texta
Cannabis imponit: ſuper inſtat, & integrat ictus
Ligneus aſſiduis impulſus malleus undis:
Pulſuſque ingeminat varios, longùmque frequentat,
Inducto donec lenteſcat glutine lini
Materies, amplis latè quæ tenſa tabellis
Victuris præſtat, formamque, & nomina chartis.
Atque hæc ſveverunt Cœlo curare ſereno,
Illimes cum rivus agit ſine labe liquores,
Humor enim immundis turbatus ab imbribus, albam
Diverſis potis eſt maculis vitiare papyrum:
Singula quæ quoniam haud noſtris includere ſcriptis
Fert animus, ſpontè hæc aliis dicenda relinquo.
Nec minus in Regum ſpatioſa palatia fontes
Ducere quæſitos variis haud moliar orſis.
Nam quis, ſequanicos poſtquam deduxit in hortos
Fontanos latices notus ſuper æthera vates,
Audeat

Audeat æquali ſe ſe committere cantu?
Non, mihi multarum felix ſi copia rerum
Suppetat, Auſoniæque ingens facundia linguæ,
Illius immenſæ ſperem ſuccedere laudi.
Nunc ſua quæ venas demonſtrent ſigna latentes
Effoſſis ſcrobibus patrio ſi rure juvabit
Elicuiſſe hominum, pecudumque in commoda fontem,
Expediam. Cana pallentia fronde ſalicta,
Enodes pariter junci, bicolorque videri
Populus, æſtivo ſuper omnia cedere Soli
Neſcius in ſummo, qui terræ permanet humor,
Argumenta feret manifeſta, nec irritus orſa
Eventus fallet. Planis quà tenditur agris
Æmilia, haud magno ſimilis molimine cura
Indiget: humor enim ſequitur, quacumque ligone
Altius impreſſo pervadas intima terræ
Viſcera: ſubter enim cæcas ſtagnare paludes
Credibile eſt, vaſtumque ſinum telluris obire
Flumina non noto circumlabentia curſu.
Uſibus expoſitis, ſupereſt nunc damna referre,
Quæ de flumineis veniunt infeſta ruinis.
Udus enim quamquàm liquor utilitate probetur,
Degenerat tamen ex alieno crimine, cauſis
Scilicet externis, & conditione locorum.
Montanis adeò nivibus, pluviaque frequenti
In tumidos æſtus aſſurgit rivus, euntis
Nuper inops humoris; & adverſo impete ripis
Inſultans ſecum partem trahit uberis agri.
Id quoniam facilè eſt damnum reparabile, parvo
Avertes ſtudio, magnis ſi viribus ante
Quàm latos alveos ſibi comparet exiguus fons,
Ruderibus, ſaxiſque moram, tabuliſque ſupinis
Obiicias; ſuper aggeſtis ramalibus, atque

Tranſ-

Tranſverſo poſitis compluribus ordine tignis.
Quo fit, uti velox curſus frænetur aquarum,
Raptaque depoſito penſentur jugera limo.
Torrenti rapido cui morem imponere mens eſt,
Majus ſurget opus: ſaxorum nempè regeſtis
Molibus, undoſos opus eſt arcere furores:
Sepè etiam ductis propter vaga flumina muris,
Stratiſve arboribus curſus moderantur iniqui;
Impatienſque teneri humor ſi exuberet, uda
Quando animos addet tempeſtas, proderit ante
Impreſſis vaſtos alveos invertere aratris:
Quippè ubi currentum violentia gliſcet aquarum,
Dimotas glebas, cumuloſque ſequentis arenæ
Impete raptabit valido, crebro undè cavatus
Incurſu fundus, fluvium dimmittet euntem
Liberius, nec utranque auſurum excedere ripam.
Ingentes ſumptus, & quos privata recuſat
Fortuna, expectant, ſi quem juvat edita vaſto
Munimenta Pado, Tiberique opponere, & altis
Fluminibus, quæ nauta ſolet tranſmittete puppi.
Perpetuis namque aggeribus, valliſque fluenta
Tanta coercentur: ſed & iſtis quælibet aptam
Non ſe præſtat humus: tactu quæ lenta tenaci,
Optima, quæque propagat inexpugnabile gramen
Multiplici radice: ſolum omne volubile, gramen
Denſis illaqueat fibris, prohibetque reſolvi
Partes in multas. Numeri nullius arena,
Nec non cum ſabulo vix glarea dura probatur:
Te vano ſi quandò tamen molimina tanta
Fallent eventu, atque regi indignabitur amnis,
Illius obliquos rectà diſponere curſus
Uſus erit, veteris mutatà ſede fluenti.
Nam quæ tranſverſo decurrit linea tractu

Juſta

Juſta minus ſiquidem eſt, ſolitoque à more recedit
Naturæ, recta quæ norma, atque ordine gaudet,
Diverſa nimium forma adverſatur eidem.
Idcircò undarum moderatrix, rerum, hominumque
Omniparens genitrix, longè deflectere juſſa
A' ſibi propoſita per iter revolubile meta,
Invita obſequitur, variique impendia flexus
Viſa eſt infauſtis ulciſci ſæpè ruinis:
Contra æquas ſortita vias, lapſuſque ſecundos
Flumina compoſitis innoxia dirigit undis.
Præcipitem ſed aquam, pronas quæ labitur inter
Convalles, jugavè excelſi frondentia montis,
Libertate data, quà vult, permitte vagari:
Quin tumidos circùm colles alludere longo
Circuitu ſine, & errores innectere crebros.
Mutatis aliter directa canalibus unda
Avulſas ſecum ſylvas, ſecum eruta rupis
Saxa trahet: ſitus ut poſitù diſcriminat altos
Diverſo montes, obliqua parte viarum
Haud ſecus alpinus gaudet decurrere rivus.
Ars ideò naturæ imitatrix, tempus ubi inſtat
Obruere everſis cerealia ſemina glebis,
Æquum directo planum diſtinguit aratro,
Et ſulcos in colle trahit tranſverſa tuentes,
Ne pluvia immenſos peſſundet iniqua labores.
Ne magnas tamen ærumnas avertere ſperes
Hactenus expoſitis per carmina noſtra repertis.
Excidit incaſſum labor omnis, quandò minaces
Arexere animos, & rupto limite fines
Flumina tranſiliere ſuos. Vidi ipſe furentem
Eridanum liquida nuper texiſſe ruina
Camporum ingentes tractus; non fortia vaſtis
Oppida cum villis, non cinctæ mænibus urbes

 Fatalem

Fatalem evaſere hyemem: vix arbor opaco
Vertice, vix alto ſuperabant culmine turres.
Ergò in frondoſa pendentes vite racemos,
Spemque recens natam venturi perdidit anni
Turbida tempeſtas; querulis præſepia verſa
Cum gregibus, ſocioſque operis vis dira colonos
Unà cum tauris abſorbuit. Omnia ſpumans
Temporis exigui ſpatio peſſundedit æquor.
Cernere erat longè effuſas fluitare per undas
Corpora ſemianimùm, & pallentum morte futura:
Pars nabant tabulas amplexi, in gurgite vaſto
Jactantes artus, pars ramos arboris altæ
Inſiluere. Parens natum aſpicit anxia duros
Tentantem fruſtrà caſus evadere, matrem
Ille videt contrà manibus non fortiter uncis
Hærentem, malè prenſa ſuæ inſtrumenta ſalutis
Mittere, & infeſtos reſupinam haurire liquores.
Parte alia aſcendens humilis faſtigia tecti
Infantem nutrix laſſatis portat in ulnis:
Atque ubi ſpem cernit nullam ſupereſſe, tumentes
Et jam humeros undis pertingi, preſſaque colla,
Sublevat elatis quantùm valet illa lacertis
Imbellem puerum; ſed enim dat fluctus utrunque
In præceps: carum conjux complexa maritum
Stat fato moritura pari: confuſus ad auras
It clamor, gemituſque, & inania vota cadentum.
O ubi templorum decora inclyta, & aſpera ſigna
Phidiaco ornatu, Divùm pretioſa ſupellex!
Quò fulvo contexta auro conopea, pictæ
Effigies ſuperùm, & laquearia ſculpta figuris,
Quò tot opes abiere? brevis tulit hora labores
Sæclorum immenſos, veterum & monumenta parentum.
Talia planitiem violento à flumine damna

Sæpè

Sæpè manent; ſua ſed quoque mons incommoda vena
Ducit ab occulta, ſi quandò accita ſub auras
Imbribus aſſiduis labefacta repagula terræ
Dimovet, ingentemque aperit telluris hiatum
Colle in pendenti: juga ſunt obnoxia tantùm
Montana, exercet neque enim campeſtria clades.
Ergò ubi perpetuis nimbis madet imbriferum ver,
Ebrius & nigris aer humeſcit ab Auſtris,
Vena latet latebris, quæ ſubterranea, ſurſum
Cogitat aſcenſum pluviæ commercia nota
Affectans; dumque inſolitum ſibi magnanima vi
Quærit iter, rimis tellus diſſultat apertis:
Hinc ſubducta ſibi, & conſiſtere neſcia ſenſim
Labitur: huic ideò nomen fecere ruinæ
Labem Romulidæ; & celſos mala talia ſolùm
Afficiunt montes, quia ſe dimittere pronos:
Contra planities partes extenſa per æquas,
Non habet inde loco ut poſſit pendente moveri.
Tantis ire potes conſultum cladibus, ima
Sub terra ductis, per quos cæca exeat unda
Sulcis, & lapidum congeſta mole repletis,
Exitus humori quo ſit diuturnior: hac ne
Arte putes tamen ingentes avertere poſſe
(Parva nimis ſunt hæc obſtacula nempe) labores.
Septima converſo jam Sole revertitur æſtas,
Ex quo pampineo mihi conſita vinea colle
(Mæret adhuc, refugitque animus meminiſſe) priori
Deturbata loco, lymphæ interioris iniqua
Vi, patulam in vallem magno eſt delapſa fragore:
Non pluviis via facta, imaque in parte latenti
Profuit humori crebro data porta meatu:
Quin eadem vites tulit, & fata vitibus arva
Pernicies, ſoleſque novos hiſcente profundo

Eruta vidit humus: quæ tum lamenta ſub auras
Effudi, quæ non amens vota irrita feci?
Ipſe loci cuſtos caſu perculſus acerbo
Horruit, & collem antiquum, ſedemque relinquens.
Delicias ſecum ruris, ſecum uberis agri
Traxit opes: alias procul incomitatus in oras
Deceſſit ſolito Autumnus ſpoliatus honore,
Pulſaque fertilitas, & inani copia cornu:
In quorum ſubiere locum intractabilis arte
Aſperitas, macieſque avidis inviſa colonis.
Scilicet hæc dum paſtor agens armenta, frequentat
Paſcua frondoſis quondam hoſpita vitibus, heu quàm
Hic, ait, eſt collis nuper mutatus ab illo,
Quem prius excultum ſibi grata levamina vates
Fecerat, urbanis addicta levamina curis;
Cum laxis palmes per inane elapſus habenis
Ibat, & umbroſis hinc illinc conſita pomis
Parte ferebantur varia ſegmenta viarum!
Nunc tantùm loca mæſta tenent audacia naſci
Spontè ſua virgulta, & flexibus aucta rubeta.
Talia fors, jucunda greges dum gramina tondent,
Paſtores mæſto referunt ſermone viciſſim,
Dura inſtaurantes noſtri monumenta doloris.

LIBER IV.

De Potu, Medicina, & Miraculis Aquarum.

IRrigui fontes, ſummis qui montibus orti
Sufficitis pecori potum, & mortalibus ægris,
Quando novum vobis meditor decus addere læto
Carmine, dextra meis concedite Numina cæptis;
Numina, quæ vitreis gaudent habitare ſub antris,
Veſtra colunt quæ ſtagna, & veſtra fluenta gubernant.
Principio, teneris nondum cum fecerat uvis
Nomina, vitigeni norat nec palmitis uſum
Gens parvo contenta, ſitim reſtinguere potu
Simplice, quem fluvii labens dabat unda, ſolebat.
Tunc facili curſu nullis obnoxia morbis
Vita ſuum peragebat iter; non anxia conjux
Immatura viri fata, aut mæſtiſſima mater
Ante diem natos lamentabatur ademptos.
Nunc quoque qui gelidis degunt in collibus ævum,
Et quibus aſperior dulces ſitus invidet uvas,
Innocuos condunt Soles, longaque fruuntur
Uſura lucis, poti fluvialibus undis.
Atque equidem Caji quà mons de nomine dictus
Æmulus excelſo ſe porrigit Apennino,
Florentem memini quondam viridante ſenecta
Longævum vidiſſe ſenem, qui grata frequentans
Pocula vicino ſuffecta è ſonte, cadentes
Secum ornos, paribuſque ſeneſcere viderat annis
Æquævas quercus: illum non tempora luſtris

Bis emenſa decem ſectari in rupe vetabant,
Atque feras agitare, & colles vincere curſu,
Aut fortes junctis glebas convellere tauris.
Quin etiam (neque enim præſtabat viteus iræ
Nutrimenta liquor, ſtimuloſve addebat iniquos)
Diſſidiis procul optatæ bona pacis amabat,
Natorumque ſenes natos, parvoſque nepotes
Fingebat bonus exemplo, monitiſque regebat,
Manſuetoſque animi, & ſervantes fecerat æqui.
Haud alios ego crediderim veterum aurea ſæcla
Exegiſſe dies, cultu nec diſpare mores
Excoluiſſe, pios quandò formabat agreſtes
Simplicitas cœtu in medio, menſiſque docebat
Exiguis vitam tolerare, & quærere fines
Nil extrà patrios. O nobis ſiquid amicum
Antiquos referat, numenque reſeminet annos,
Quæ non curarum diſcuſsà nube potiri
Gaudia, mortalis quantum fert vita, liceret!
Indita ſed quamvis natura ſit una liquenti
Humori, diverſa tamen pro parte locorum eſt
Conditio; ſumma quæ rupe cadens ſonitum dat
Jugis aqua, aut lapides inter tenuatur eundo,
Illa nota longè ſe ſe meliore probabit;
Nec minus exſiccas quæ labitur inter arenas,
Jejunoſque ſitus: ingratum læta liquorem
Jugera ſufficiunt, & quæ ſummota procul ſunt
Montibus. Ingenium variæ deprendere lymphæ,
Sunt, qui poſſe putant conſulta lance, ſed illos
Devius error agit: crebri experientia potus
Solum fontanas potis eſt diſcernere venas.
Spectat ubi occiduos villæ Thelioridis agros
Aſſurgens contra collis, ſalit uberis undæ
Rivus: eum denſi frutices, herbæque coronant

Per-

Perpetuæ, creſcens & inumbrat deſuper arbos.
Non quondam ſæclis huic ſe celebrata vetuſtis
Marcia componat, non dicta à virgine lympha;
Tam facilis didi in venas, celerique meatu
Se tribuit per membra, gravisque eſt ponderis expers.
Adde quod æſtivis gelidiſſima ſolibus alget
Numquam oblita ſui ſcatebra, omni tempore conſtans:
Huc gratos hauſtura frequens vicinia rores
Convenit, huc divertit iter quandoque viator,
Deponitque ſitim; compellit & advena ſæpè
Paſtor oves, & diſiunctos temone juvencos
Villicus, in campis cùm dura negotia ceſſant.
Garrule fons, laudate meo modò carmine, laudis
Ob tibi donatæ decus immortale, ſalutis
Eſſe velis ſaltem noſtræ certiſſima cauſa;
Si tua ſtagna bibens nullo non tempore, rivis
Omnibus antefero, quot eunt per prædia noſtra:
Quanta tibi adjungam, & ſolito præconia longè
Majora, inſtaurata tuo redeat modo potu
Læta ſalus! Flacci celeber vix carmine vincet
Blanduſiæ te fons, & tantùm eris alter ab illo.
Haud ſolo tantùm potu finitur aquarum
Utilitas, aliis ſed præſtat idonea rebus;
Exteriore ſui nonnumquam ſcilicet uſu.
Namque ubi depaſcunt teneras incendia venas
Ignea, nativuſque calore abſumitur humor,
Quæſitis prodeſt in aquis immergere membra
Ardenti ſub ſole. Ego longum ſepè per æſtum
Morboſæ quando tentant mihi viſcera flammæ,
Amnis opem experior, & ſtagnantem ſicubi lympham
Depoſuit curſu fervore æſtatis adempto
Cingulus, in foſſas ſicco torrente relictas

Paulatim ingredior, tactaſque periclitor oras
Æſtivo ſoli num ceſſerit algor aquarum,
(Officit algor enim, & bibulæ ſpiracula claudit
Alta cutis) tum flumineis humero tenus undis
Immergor, ſpatiumque fluentis demoror horæ,
Nunc nemora aſpiciens circùm ſurgentia, miras
Nunc fluidi humoris vires, ſecretaque magnæ
Contemplans naturæ; & mollia in ordine verba
Compono, Divoſque voco ad mea carmina ruris
Cuſtodes, genioſque loci: tunc & quoque verſus
Hos ego condebam frondente ſub ilicis umbrâ
Cingulide in ſtagno, calidi dum tædia morbi
Pellere conabar: concordans deſuper aura,
Deſuper alta comis ſilva applaudebat opacis.
Balnea quæ morbis modò ſunt addicta levandis,
Deliciæ quondam fuerant, cùm maxima Roma
Quæſitas variis luxu peſſundabat oris
Divitias, ſibi non imponens jura, ſed orbi.
Ergò locis extenſa æqualibus area, vaſto
Circuitu, in longum proſpectu abeunte, patebat:
In medio ingentem collecta fluebat in alveum
Longinquis deducta viis aqua: frondea ſupra
Tendebat ſemper viridans umbracula laurus,
Aut platanus genialis, acervè colore notatum
Impare: prætereà validis ſubnixa columnis
Atria complecti gyro ſpatia ampla rotundo,
Atque ibi formatas de marmore ſtare figuras
Cernere erat: ducto fornix radiabat ab auro,
Bracteaque innumero ſerpens argentea flexu
Diſtinguebat opus. Non defuit inſuper omne
Expletura decus pictura, in fonte Dianam
Monſtrans Gargaphio, aut Narciſſum in margine rivi:
Illam fatali ſpargentem Actæona lympha,

Hunc

Hunc ſe perſpicua ſpectantem fontis in undâ.
Romulidum pubes humenti ubi membra liquore
Laverat, inſtructas ſe ſe referebat in ædes,
Recluſas Zephyri placidas venientis ad auras:
Intereà ſuprà nimbos, infràque roſarum
Non dare ceſſabat famulantum turba, manuque
Spargere grata croci, nardique unguenta, focisque
Urere divitias, quas patria miſit odorum.
Imperiis, opibuſque potens Æneja pubes
Struxerat ingentes tanto molimine thermas.
Sunt ſalſi pariter, medicati & ſulphure fontes,
Quales fert Lucenſis ager, languoribus ægris
Opportuna ſalus. Æſtivi ubi terga leonis
Sol fervens aſcendit, iniqua incendia vibrans;
Illuc quæſitum lapſis lenimina rebus
Languentum ingentem videas concurrere turbam:
Ignavo lentore quibus frigentia torpent
Membra, vel exangues fluxus diſtillat in artus,
Balnea nativo tepefacta calore frequentant;
Mixta tamen gelidis, nimius calor officit, undis.
Quos vapor incendit morboſo degener æſtu,
Experiuntur aquas calidam mutare valentes
Temperiem, ſiccisque aptas inducere membris
Frigora: non deſunt imitantes pharmaca lymphæ
Ægrum educentes toto de corpore ſuccum.
Quapropter nocuus ſi quandò exuberat humor,
Proderit imprimis illas haurire diurnas
Parciùs, inde magis largo ſe aſſueſcere potu
Quotidiè, veniat dum meta ſtatuta bibendo.
Dein iterum revoluta retrò veſtigia ferre
Eſt opus, inque dies de largo demere potu,
Ad tenuem donec primi deſcenderis hauſtus
Menſuram; tunc incœpto deſiſtere tempus.

Nec

Nec vos præteream, quos colle adverſa ſupino
Turris-clara videt fontes, depellere noxas
Artubus, & fluidum validos ſuperare madorem.
Sol ubi flammanti paulùm deflectere cœlo
Incipit, & ſalſas pronus conſiderat oras,
Stagna adeunt, quos læſa pedum veſtigia fallunt,
Colla quibus ſuccus piger alligat, aut rigor artus
Impedit aſſueta ſe dexteritate movere:
Nec ſatis hoc; luteo ſe tingunt unguine, circùm
Pluribus e lacubus vicina in valle petito;
Nam circum in plures aperitur terra lacunas
Sulphure nativo graveolentes, & ſale multo
Imbutas, facileſque admoto fomite flammam
Concipere introrſus, fumique attollere nubem.
Picenum propter littus, ſub paupere pago,
Paupere ſub pago, quem non eſt dicere verſu,
Omnigeni ſaliunt latices, quacumque ligone
Increpites tellurem. Illa de parte calorem
Conciliant, illa pallentia frigora parte:
Hìc tuſſim ſolantur, anhela & pectora mulcent;
Illic corda fovent; variat ſitus ilicet, & ſe
Diverſa elicitis probat ad medicamina rivis.
Atque hæc, pæoniæ ſtudium quæ repperit artis,
Feſtino ſat erit verſu monſtraſſe; juvat me
Nunc mira humentis portenta aperire liquoris.
Eſt prope Judæos fines, galilæaque rura
Vaſta palus inſtar maris: illam Aſphaltida dicunt
Nomine; divitiis illic ingentibus amplæ
Olim florebant urbes, circùmque virebant
Gramine prata, ſatis tellus exculta; ſed atrox
Poſtquam auſi ſcelus indigenæ, gentique pararunt
Inferre aligeræ vim; protinus æthere ab alto
Contorſit Pater Omnipotens flammantia tela

Dirum

Dirum ultura nefas, & ſævæ more procellæ
Deplua ſparſit agris incendia: nec mora; gentes
Igneus infames hauſit furor, & ſimul urbes
Excidio involvit ferali adaperta vorago:
Inde lacus ſale denſo, altoque bitumine fœtus
Emerſit, tantoque oneroſus pondere, quanto
Suſtineat calcata ſuper veſtigia: ripas
Propter finitimas pendent ex arbore poma
Allectura viatores variante rubore:
At ſimul ac digitos illis admoveris, atros
Protinus in cineres abeunt, primoſque fatiſcunt
Ad tactus: nec non fruges, meſſeſque vireſcunt
Triticeæ, dirus ſed corripit Auſter adultas.
Tantum commoti potuit vindicta Tonantis.
Bajano pariter celebres in littore Thermæ
Halitibus fumant tepidis; loca concava terræ
Subter enim flammæ paſcuntur, & horrida latè
Multiplici flexu ſerpunt incendia, tectus
Imbuit undè lacus calor: hinc vapor abditus urbes
Concutit interdum, ſuperas dum evadere in auras
Nititur, emotique ſoli patefacta per ora
Excitat indigenis non viſas ante lacunas.
Eſt etiam fidentinis in vallibus acris
Vena maris referens ingratum auſtera ſaporem,
Cui ſi ſanguinei rubicunda coagula roris
Miſcueris, ſimul inde in aheno ardente coquantur,
In ſalis extemplo gelidà nive candidioris
Concreſcit naturam, accedere prandia digni
Magnatum, menſaſque habilis eurare ſalubres.
Haud multum abſimiles Nævi de nomine dictos
Inveniuntur aquæ propè muros, unguine pingues,
Quale venafrano in ſaltu diſtillat oliva:
Diſſimilis tamen exit odor, diverſaque longè eſt
Con-

Conditio, neque enim convivia læta frequentant;
Tantùm frigidulis potis eſt ſuccurere morbis,
Aurea quæ flavas pinguedo ſupernatat undas.
At qua te cauſa immodicum traxiſſe rigorem
Magne lacus dicam, ſua cui natalia debet
Amnis, parmenſem curſu qui dividit urbem?
Equoreæ ſimili quis te ſubſtravit arena,
Quis tantum gelidi tibi frigoris addidit, ullos
Ut non ſquamigerùm valeas educere fœtus?
Cur crebris adeò tua ſpargitur imbribus ora?
An quia ſubmittis nebulas, denſoſque vapores
In ſummo pluvios facientes aere nimbos?
Ante mihi ætatis quàm ver florentis abiret,
Quæſitum patrii natalia fluminis, alpes
Contendi in ſummas: vates Alcindus, & unà
Elpinus ſocios ſe ſe adjunxere; ſerenus
Æſtus erat, lux & cæptis blandita favebat.
Jamque propinquabat medio ſol altus Olympo,
Montibus aſcenſu longo cùm ponè relictis,
Ventum eſt in ſylvam, patula quæ deſuper umbra
Impendente lacum ſenio inclinata tegebat.
Protinus haud una reſidentes parte locorum
Apta inſtaurandis quæſivimus otia membris
Fronde ſub arborea: nec multum tempus: aquoſa
Ecce ſuper nubes apparuit, obvia primò
Vix oculis; mox elato ſenſim aucta vapore
Eripuit cœlum tenebris, nimbique ſecuti
Ante expectatum: celeri nos illicò greſſu
Maturare fugam, madidamque evadere niti
Perniciem: pluviæ Alcindus ſecurus iniquæ
Elpinuſque, cava carioſi roboris alvo
Delituere; egomet laxo velatus amictu
Umbroſam petii, quæ ſtabat proxima, ſagum

Ne-

Nequicquam; neque enim guttas frondoſa ruentes
Arbor ſuſtinuit, quin totos horridus imbres
Deſuper exciperem: comites riſere, diùque
Ipſe fui tota, quàm longa eſt, fabula luce.
Compoſito tandem haud longo poſt tempore cœlo,
Corpora jucundo curamus languida victu;
Non ſimplex jocus, aut risùs germana voluptas
Abfuit: ipſe loci cuſtodibus humida Divis
Libabam vina in pateris, hauſtuſque vocabam
Ingeminans; gelida fontis comitum alter in unda
(Fons erat ad ſtagni ripas) vitream abdidit amplo
Ore tenus phyalam; nimio ſed frigore tactum
Illicò diſſiluit diverſa in fragmina vitrum:
Tollitur extemplò feſtivus ad æthera clamor
Verſati properata meri infortunia ridens.
Ut dapibus ſedata fames, diſcurrimus atram
Per ſylvam, modò comploſis crebra vice palmis
Edentes ſonitum, & reſona modò voce cientes
Ex antris ſylveſtrem echo: hic devolvere ſaxa
In præceps, ſubterque greges terrere vagantes
Gaudebat, plantis alter ſignabat in altis
Adventùs annum memorem, lucemque peractam
Montibus in ſummis: denſà ſpatiatus in umbrà
Ipſe loca antiquis olim celebrata papyris
Mente revolvebam: tales Dodonia Sylva
Fert quercus, ajebam, atque hoc ſe vertice tollit
Forſan Atlas, aut magnus Eryx; non diſpare fonte
Quis ſcit an Eridanus prorumpat, Regius amnis
Sit quamquam, vaſto quamquam ſpectabilis alveo?
His, aliiſque diem traduximus, hoſpita donec
Excepit feſſos domus, emeritoſque laborum.
Fluminis at magis eſt vis admiranda (quis ille eſt
Infauſtus torrens, Latium qui permeat agrum

Clade

Clade viatorum celeber?) pendente voluta
Quà de rupe cadit, ſimulata pace quieſcit
Subter aqua, & lapſu vada cæca ſavere videntur
Tranquillo: verùm tenuis ſi quis pede tentet
Amnis iter, tenui nam gurgite labitur amnis,
Protinus ingreſſum vortex inopinus in orbem
Circumagit, mox & diducto abſorbet hiatu
Nequicquam clamantem, & non prævisa querentem
Funera; quin eadem pecudes, forteſque juvencos
Sors manet audentes alveum tranſmittere; crura
Nec ſua prodeſſent rapido velocia cervo,
Se modò fallaci cervus committeret undæ.
Quid memorem ut Tanager, fata qui ſpatioſa pererrat
Atinatis agri, magno cum murmure ſe ſe
Abdat in ignotas latebras, antrumque profundum;
Mox per ſecretæ non nota foramina terræ
Cæcum iter ingrediens, idemque, alterque ſub auras
Emergat, populoſque alios felicibus undis
Irriget? Ut pariter non longè diſſitus urbe
Fons Antenorea, mirando ferveat æſtu
Opportuna ferens miſeris lenimina morbis;
Ferveat, & ſuprà gratis fervoribus herbas
Nutriat? Illa ferens greſſus per rura viator
Fortè videns juxtà ripas, oraſque virentes
Submiſſos nuper frutices pubeſcere, & herbas,
Credidit has algore juvari fontis, & illos;
Admovitque manum latici; ſed Judice tactu
Admonita illius manus eſt experta calorem:
Pannonia in magna vaſtæ propè mœnia Curtæ
Stagna calent nimio torrentia deſuper æſtu;
Quorum in perſpicuo piſces innare profundo
Deſpicias, varioſque inter ſe nectere luſus;
Quos ſi læta feras in prandia, nullius eſſe,

Aut

Aut ſaltem inſciti vulgata eſt fama ſaporis.
Quàm poſitu variat diverſo maximus orbis,
Tam varia eſt natura, & aquæ diverſa fluentis
Portenta, in numerum quæ ſi quis cogere certum
Tentet, & æternùm victuris tradere chartis,
Idem Metymnæ fœcundos noſſe racemos
Speret, & innumeras quot habet Trinacria meſſes:
Præterea quæ ſit magis hoſpita piſcibus unda,
Quæque minus felix, quos educat æquor, & amnis
Squamigeros narrare, erat hæc pars altera cæpti;
Quæ quoniam heroo deſcripſit ſingula vates
Carmine, Parthenius vates, quo ſplendida gaudet
Parthenope, laudique audet concurrere Mantus,
Sepoſui curam hanc ultrò, cantùque peperci.
Scilicet evectus Genii cœleſtibus auris
Perſidis ille oras adiit, littuſque repoſtum
Siccorum Garamantum, Atlanteoſque receſſus;
Undè modis retulit miris ignota natantum
Ingenia, inſolitos mores, variaſque figuras,
Quoſque dolos vafer, & ſolertes repperit artes
Piſcator; ſtupuit formoſus ab amne canentem
Sebethus, ſtupuere ſuis ſirenes in undis.
Et miſeris nautis ſtellas monſtravit amicas,
Securaſque vias, nec non Zephiro obvia tendens
Carbaſa, per ſyrtes, perque Acroceraunia tutum
Stravit iter; poſt belli acres tolerare labores
Auſoniam edocuit pubem, & ſpe laudis honeſtæ
Dura pati, patriiſque repellere finibus hoſtes.
Nunc parta inſignis famà, & ſuper æthera notus
Facta atavùm longa annorum caligine merſa
Æternum dat habere diem, laudeſque potentis
Parthenopes, veterumque patrum monumenta recenſet;
Fortunas pariter Regum, bellique domique

Eventus

Eventus ſæclis properat mandare futuris.
Salve Romuleæ lux o clariſſima linguæ,
Carminis, eloquiique potens; tu ſæcula primus
Inſtauras noſtris in finibus aurea, docta
Te ſtudia altorem, ſervatoremque ſalutant,
Et tibi diverſis applaudit partibus Orbis.
Interea dum tu ſolida virtute paratum
Curris iter, pictoque præit te Gloria curru,
Sat mihi ſit, te ſumma poli convexa petentem
Aſpicere, attonitoque ſequi trans nubila viſu.

LIBER V.

De jure Aquarum.

INvia Romanis peragro loca vatibus, alto
Quà prærupta jugo pendet via: rara priorum
Impreſſa apparent dubiis veſtigia ſignis.
Undique ſpinarum hirſutis vallatus ariſtis
Carduus, horrenteſque rubi, dumique ſequaces
Cæcos illaqueant colles; dominatur in omni
Parte fera aſperitas manſueſcere neſcia cultu.
Sed non difficiles ſalebræ, ſaltuſque maligni
Incæpto revocare valent: juvat horrida montis
Per vepreta, per & pendentes pumice cautes
Ferre gradus: vatum quin lectos nuper in hortis
Spargimus inſolitos flores, quibus additus omni
Eſt monti decor, & facies inhonora receſſit.
Obnixi interea vi, ſolertique labore
Haud molli aſcenſu rupem ſuperamus iniquam;
Verticis in ſumma, quæ tangit nubila, parte
Alma

Alma ſedet Themis, in ſolio ſublimis, & ampla
Majeſtate gravis: ſtrictum tenet ardua ferrum
Dextera, perpetuò immotas tenet altera lances:
Perfida ſub pedibus fraus, & veſtitus amictu
Verſicolore dolus, nec non ſceleratus habendi
Frendet amor, fruſtra & fauces diductus apertas,
Nilque negaturus blando, modò juſſerit, auro.
Parte ab utraque jacent duro ex adamante tabellæ,
Jura ubi, & æterno conſtantes fœdere leges
Inſcripſit natura parens, quas vertere luſtra
Nulla queant, Regumve libido refingere recti
Prætendens ſpeciem. Lumen defixus utrumque
Sacra diu miror Divinæ Virginis ora,
Contemplorque habitus; mox voce ſilentia rumpo.
O ſcelerum vindex, Divûmque miniſtra Virago,
Omnia menſura quæ dividis omnibus æqua,
Juſque ſuum tribuis; niſi obeſt audacia votis
Inſcia fortè meis, curas niſi temnis inanes,
Immenſum tua da me poſſe arcana per orbem
Vulgare, & roſeis vatum conſtringere vinclis.
Primus ego ingredior cultu donare novello
Pieriiſque modis fluvialia jura, labori
Annue tu pavido, & dubitatos dirige curſus.
Hæc ubi verba dedi, contractam regia virgo
Explicuit frontem, & placido me cernere viſa eſt
Lumine, dein gravibus dictis tacita ora reſolvit.
Durum opus, & paucis ceſſurum fine ſecundo
Aggrederis, plures inter quos Græcia vates,
Quos tellus Romana tulit, vix fortè reperti,
Qui verſu leges illuſtravere latino.
Unus felici perfecit cœpta labore
Grotiades, noſtras auſus decorare ſonoro
Carmine res; tu, quando tibi ſtat fixa voluntas,
Ee Illius

Illius inſiſtes calli, atque eris alter ab illo:
Namque tibi vires, animoſque ad tanta canenda
Sufficiam, & quoties ſalebræ, nodique maligni
Occurrent, toties adero implorata vocanti.
Dixerat. Ipſe alacer monitis, & numine plenus
Ætherio, pallam veſtigia ad ima fluentem
Induor, attonitaſque Italûm procedo per urbes:
Grandia per cœcum vulgus, populoſque per omnes
Verba fero, latiaque incude edicta refingo.
Inſolitos ſtupet ad cantus aſſueta loquelis
Barbaricis gens rauca fori; favet Itala contra
Conſpirans ſtudiis, & amico murmure pubes.
Aurea quando ſata eſt ætas, quæ nomina nulla
Pravorum ſcelerum, nec opes cognoverat uſu,
Gentibus humanis communi jure patebant
Omnia; non partes diſcernens terminus æquas
Clamabat, tuus hic ager eſt, tuus ille; fluentes
Nemo vetabat aquas pratis inducere, nemo
Turbida piſcari per flumina: ſed malus auri
Poſtquam venit amor recti diſuaſor, & altum
Extulit in Cœlum caput imperioſa Tyrannis,
Protinus in partes diſtinctum noſcere cœpit
Quiſque ſuum: non ipſa animantum in commoda nata
Nativa potuit ſe libertate tueri
Fontis aqua; indiſcreta poli vix aura remanſit.
Parva tamen ſupereſt antiqui moris imago,
Nam calidam cuicumque ſitim reſtinguere quovis
Fonte datur, pecudes ad publica flumina paſtor
Cogere poturas non ullà lege vetatur,
Nec ſua piſcator pariter demittere lina.
Publicus amnis erit, qui ſe ſe præbet ituris
Aptum navigiis, curſuque per arva perenni
Labitur, aut hominum quem plurima turba frequentat.
An-

Antiquam ſed enim naturæ vertere legem
Sepè ſolent Reges, nam Regum ſumma poteſtas
Omnia poſſe ſibi viſa eſt: dura ilicet æra,
Si quando fluvios opus eſt tranſmittere cymba,
Præcipuè imbriferà ſub tempeſtate jubemur,
Cùm torrens animos geminat, nec ſe capit alveo
Turbidus; & raris piſces includere naſſis,
In prædæ vel ſpem maculoſum ſolvere rete
Communi quandoque nefas in flumine, magnum
Sive ſcelus; ſceleri nam par, modò talia tentes,
Pœna manet: rivos nec in herbida ducere prata,
Areolas picti vel diſpenſare per horti
Fas erit, ante tibi quàm ſit data copia ſummo
Principe, ſeu pretio, qui mos ſolet eſſe, redempta;
Sive, quod in terris eſt corvo rarius albo,
Eximia ob merita inſigni largita favore.
His tamen, atque aliis ſpecies prætenditur æqui;
Nam ſiquidem ad ſummos nullo non tempore ſpectat
Magnates rerum dominos, munire ruentes
Aggeribus ripas, tabulata opponere diram
Vim contra fluviorum, & iter moderamine certo
Ambiguum regere, affines ne peccet in agros
Montanus torrens, illiſque eſt addita cura
Proſpicere, incæptum nequid labentibus undis
Impediat curſum, aut pinus remoretur ituras;
Neve moram iniiciat ſtructis quis in aggere muris;
Cur non proventus tribuant ſibi fluminis omnes,
Incumbunt onerosa quibus tot munia? verùm
Hac opus eſt amnes cum tempeſtate minaces
Obiicibus retinere, omnis compellitur agri
Accola vicini uſque operi inſudare protervo
Noctes, atque dies, nec victus ſuppetit ullus
Intereà, vel ſpes durum levat ulla laborem

Mercedis, cenſus quapropter pervenit omnis
Fluminis ad Reges, alienis ſæpè paratus
Sumptibus; hac illi quoque ſe ratione tuentur.
Tradere cum dono poſſint fluvialia jura,
Sunt ideò titulo viſi potiore tenere
Quidquid ab amne redit lucri: aſſuetudine longa
Denique in imperium ſummatum, & commoda ceſſit
Quod populo prius, ut dederat natura, patebat;
Nempè venit populi modo nomine ſumma poteſtas.
Riparum pariter perhibetur publicus uſus,
Quandoquidem feſſas ripis advertere naves,
Atque viatorem certos ibi figere greſſus,
Sive velit ligno ſe ſe committere, ſive
Aſcenſu rediens ſuperare crepidinis oras,
Omnia jura ſinunt: tamen his affinia ripis
Prædia ſi teneas, & in his defigere plantas,
Plantarumque ſimul tibi carpere dona licebit,
Quocircà ſi pomus erit, ſi conſita vitis,
Fertilitate ſua tibi ſerviet utraque planta,
Fœtibus iſta ſuis, uviſque recentibus illa.
Quin nemora ingentem fluvios prope vidimus umbram
Tendere, ſylvarum quæ parva imitamina quondam
Contigui dominus produxit in aera fundi
Solerti cura paulatim, & falce frequenter
Admota, dum ſe paterentur mollia dici
Virgulta: excuſſas legit ille ex ilice glandes
Interea, aut ferro ramalia frondea cædit,
Cæſave proponit, quò fiant arida, ſoli;
Opportuna ovibus brumalem nempè per annum
Pabula; ſublata interdum nemus omne ſecuri
Sternit humi, volucrumque domos evertere gaudet;
Privatæ quæ ſunt ditionis credita ſigna.
Nec minus ampla tui quà frons ſe porrigit agri,
Eſſe

Eſſe tuum incipiet, quodcumque tibi amnis eundo
Addiderit; longo ſed temporis intervallo;
Incrementa adeò vix ut dignoſcere poſſis
Singula paulatim, lætus quo more colonus
Aſpicit in patriis ſegetes grandeſcere campis:
Aſpicit ille quidem, ſed non intelligit ille
Quomodò creſcentum nova fiant augmina frugum.
Emerget medio ſi qua inſula fortè profundo,
Adverſis cedet tribuenda æqualiter agris
Parte ex dimidia; poſt ſi vicinior uni
Accedet fundo, fundum ſpectabit ad illum
Cui vicina magis: nimboſis accidet annis
Interdum, tunica ut terræ ſuprema fluento
Præcipiti delata, tuo ſe deſuper agro
Applicet, aut unà terræ cum parte revulſa
Arbor: erit tellus tua tunc delapſa, ſimulque
Arbor, agat teneras modò facta loci hoſpita fibras,
Humoremque trahat, ſecus evenit, atque priorem
Illa recognoſcet dominum, nutrimina quando
Nulla in ſe vertet, deponet & arida frondis
Omne decus. Sæpè auxiliis hyemalibus auctus,
Indociliſque regi torrens, ſuper æquora campi
Fertur equo ſimilis, qui non ingrata magiſtri
Audit fræna, nec imperium, ſed lata capeſcit
Arva fugà; non illum amnes retinere, nec ulla
Interjecta valent obſtacula: ſic ego campis
Laturum ingentem cladem decurrere flumen,
Sic ego currenti ſubmergi flumine vidi
Prædia: ne tamen hæc tibi ſit jactura dolori;
Nam ſimul ac memor antiqvas remeaverit amnis
In ſedes, mora ni intercedat longior æquo,
Rurſus erunt tua, quæ nuper jacuere ſub undis
Jugera: verùm alio procedunt jura tenore;

Cùm fluvius veteris curſus pertæſus, & alvei,
Quà ſibi fecit iter violento gurgite, pergit
Ire tenax cœpti: tum proximiora relicti
Acquirunt alvei mediam ſibi prædia partem
Menſuræ pro fronte ſuæ: irrevocabile contra
Quidquid flumen aqua labente novum occupat, arvis
Finitimis perit, & communes tranſit in uſus.
Regibus an liceat ſummis fortaſſe requires,
Quæ longa annorum ſerie apponuntur ab amne
Incrementa, ſibi in veniens addicere tempus.
Hoc fieri pars poſſe negat; ſententia quorum
Sed melior; certè potior regnantibus ipſis;
Hoc à præſcripta veri diſcedere norma
Nil ajunt, ſiquidem jura acquirenda vetare,
Quàm quæſita magis facilè eſt: moderamine frænat
Qui pariter gentes, poſt patria funera prolem
Ex inconceſſis olim prognatam hymenæis
Legitimi donare poteſt cognominis uſu,
Fraudentur licèt agnati, contraque reclament.
Facta adeò majora viam ſtravere minori.
Nunc age: carminibus ſupereſt evolvere, qui ſit
Ductilis uſus aquæ, & quo limite, quavè regatur
Præſcripti ratione modi. Quæ ducta canales
Per varios populo ſervitum accitur in urbem,
Communis pariter populi, dominique potenti
Paret aqua imperio, atque illorum tempore quovis
Expoſcit curam, ſi fortè quid obſtet eunti
Impediatve viam, aut vitium ſi fiſtula fecit
Deducens laticem, circumvè errore protervo
Annoſa illudat denſis radicibus arbor.
Nec tamen hæc ſolos impendia magna manebunt
Magnates, ſumptùs in partem ſæpè vocatur
Sors privata, ſuæ ſive utilitatis amore,

Sive

Sive voluptatis proprias divertat in ædes
Fontanum humorem; qui commoda percipit, æquum eſt
Pondera ſuſtineat: ratio ſed major, & urget
Majus opus, noſtros cum fons rigat advena campos.
Annua tunc nobis incumbit cura, vetuſtos
Purgare alveolos, per quos delabitur unda,
Effodere interiùs, ripas munire, ruinas
Innumeras ſarcire, foret quas dicere longum.
Principio pariter locus eſt alienus ab ipſis
Prætereundus aquis redimendus protinus auro;
Nec cuiquam prohibere licet, tamen ære ſoluto,
Per ſua quin ſcatebram perducas rura fluentem,
Quando ſupremi de munere Principis illa
Obtigit: hæc fuerint fundo ſi dona tributa,
Dotatum vena fundum labente videbunt
Sæcula perpetuò; ſi perſonæ addita tantum,
Heù fruſtra tua poſt ſperabit fata ſuperſtes
Poſteritas riguis ſua fontibus arva rigare.
Quæ loca ducendo ſunt primum addicta canali,
Præſcriptoſque dies, & tempora certa rigandi
Haud temerè variare licet; quin copia major,
Quàm conceſſa fuit, ſi traducatur aquarum
Per tibi dimiſſos aliena per arva canales,
Servilis fundi domino datur ampla poteſtas,
Adjunctas propter partes, adeòque fluenti
Auctam menſuram, novitati obſiſtere: verùm
Sit licèt omnis ager rivo ſervire ſequaci
Aptus, ab hoc quidquid commune vocatur, abhorret.
Idcircò medios tranſire foramine pontes,
Calcataſque vias ductu interrumpere, & alto
Injectura moram torrenti valla, putatur
Grande nefas, niſi, qui rerum moderatur habenas,
Annuat. Haud quiſquam ſua quòd fluat unda per arvum

 Alte-

Alterius, ſervire ſibi perſuadeat illud:
Omnis enim rivus naturali indole fertur
Inferiùs, declivi & amat decurrere lapſu
Sponte ſua: venæ per campos jura trahendæ
Signa dabit, lapidum removere obſtacula, ſepes
Quæ ſuper impendent parvo tondere canali,
Ire, redire, vagique viam obſervare liquoris.
His animadverſis privati jura fluenti,
Cauſaſque expediam; nec te ſermone tenebo
Ancipiti, aut cæcis involvam ambagibus: amnis
Dici privatus gaudet, cui ſingula deſunt,
Quæ ſtatuiſſe prius communem, carmine nuper
Edocui, nec ſe certos ullius in uſus
Præſtat, quàm domini, cui fortè ager obtigit, unde
Profilit è latebris maternis editus humor.
Hunc potes arbitrio, cum res tempuſque vocabunt,
Derivare tuo, bibulis immittere pratis
Poturoque adhibere gregi: prohibebis & omnes
Finitimos, pretio obtentum niſi fortè ſit ante,
Ut pecudes detur ripis appellere, lymphas
Haurire, aut herbis pictos divertere in hortos;
Omnia quæ poſſunt auro venalia cenſus
Ritè augere tuos; nec quas collegeris, ullus
Præſumat proprias, habitandas piſcibus undas:
Nec quos ad patrias puteos exciveris ædes;
Scilicet omne tuum eſt: parva addes ſtagna, lacuſque
Dum non ſe magni protendant æquoris inſtar,
Suſtineantve rates, quibus acer navita vectus
Permutat merces, aut fors accepta ſuperbis
Magnatum menſis producat corpora rara
Squamigerùm; ſunt hæc communia nempè fluenta,
Seu potius ſua vult ingens regum eſſe poteſtas.
Poſt vitreos amnes, fonteſque in vallibus ortos,

Tradere

Tradere nunc ſupereſt, num ventoſa æquora certas
Agnoſcant leges, pateant an libera cunctis
Gentibus. Antiquæ ſi priſtina ſæcula venæ
Spectemus retro, & teneri cunabula mundi,
Nullius imperio magnum parere neceſſe eſt
Oceanum; ſiquidem generatim limpidus aer,
Aere cumque levi liquidus patet omnibus humor.
Quapropter ſpumoſo inventæ in littore gemmæ
Se parti illius, quicumque invenerit, addent;
Nec non cœruleas piſcator ſolvere in undas
Lina poteſt impunè, caſaſque attollere propter
Æquoreos tractus, quò ſe ſub nocte nigranti
Abdat, & imbriferas vitet ſub luce procellas,
Vimineaſque reponat, & id genus omnia, naſſas.
Adveniens ſed enim verſa eſt cum moribus ætas,
Et res ſunt alio modò viſæ incedere vultu
Eventus propter varios: redimenda per altum
Eſt nautis via, ſæpè, & ſæpè paranda ſoluto
Ære rati ſtatio defeſſæ accomoda, gentes
Quin reliquas vaſtis Indorum à finibus arcet
Celtiber; hæc tamen à recti deflectere norma
Dicere non auſim, nam gens hiſpana priuſquam,
Ante ſibi ignotis poſſet conſidere regnis,
Per quot ferales caſus, & aperta pericla
Propoſitas adiit metas? non funeris atri
Terruit obverſans oculis exanguis imago,
Non patriæ revocavit amor, mæſtique parentes.
Immenſas effundere opes, tolerare labores
Dulce fuit, vitamque ultrò pro laude paciſci.
Ergò & cærulei longa intervalla profundi
Emenſa, expertes victùs, placidæque quietis
Exacti ſoles, vigilataque tempora noctis
Per mare non notum; ſquamoſis horrida ſæpè
Prælia

Prælia cum monſtris commiſſa, viriſque timendis
Barbarico cultu, rabidus ſæpè æſtus, iniqua
Sæpè peruſſit hyems membra improtecta, nec ipſi
Ceſſabant morbi interea, curæque ſequaces
Infortunatis cumulos advolvere rebus.
Cùm mala tot fuerit, cùm tot diſpendia paſſus
Fortis Iber, cur non reliquis præcludere ponti
Clauſtra queat populis, per quæ felicia regna
Indorum gemmis, auroque beata petuntur?
Grotiades ſed enim nativò tactus amore
Solertis patriæ non his ſuffragia dictis
Adiicit obnitens contra. Nova ſcilicet, inquit,
Haud æquo titulo, tantùmque ferocibus armis
Regna potitus Iber, ſiquidem hæc quoque regna vetuſta
Agnovere prius proprios ab origine Reges,
Antiquo è ſolio quos deturbare, ſceleſta
Vis fuit, atque nefas; neque enim, niſi transfuga noti
Qui veri, & patria qui relligione deerrat,
Qualiſcumque bonis jure exſpoliatur avitis,
Ni prius illa ferat prædo, aut mala femina juſti
Conferat ipſe odii, aut cauſas exſuſcitet æquas
In ſe bellantum: naturæ lege latinus,
Barbarus an fuerit nullo diſcrimine habetur.
Infelix at quid poterat committere tantum
India in Hiſpanos, propria ut commiſſa ruina,
Et longo excidio lueret, ferretque ſuperbum
Servitium captiva, catenatoſque labores?
Forſan detecti ſibi Cantaber arrogat orbis
Hanc ſibi mercedem: verùm jam debita fatis
Illa dies aderat, qua humana induſtria cunctas
Ad ſummum veluti culmen perduxerat artes,
Ignotos pariter nobis recluderet orbes:
Quapropter longo non tempore forte Britanni,

Aut

Aut Itali, aut moliri alacres opera ardua Belgæ
Hiſpano ceſſante, alti molimina facti
Vi patria freti ſubiiſſent: nonne Batavi
Audaci poſt navigio, quam maxima terra eſt
Circumiere, viiſque novis ſecuere profundum
Attonitum cœptis ingentibus? adde quod oris
Excludat ſi quis ſalſis commercia, clauſo
Impediatque mari, naturæ fœdera contra,
Juſque facit, tollens communis publica vitæ
Commoda, quæ numero qui vult comprendere certo,
Idem noſſe cupit, quot vere excita recenti
In frondes abeant arbuſta, aut quot ferat arbos
Poma ſub Autumnum: longè poſitas niſi gentes
Alliciat pelago via libera, jam ſua thura
Non tranſmittet Arabs, Nabathæus non ſua paſtor
Cinamma: quis concha prognatas divite gemmas
Adveheret nuribus geſtamina grata latinis,
Quis gratum ſummis geſtamen regibus oſtrum,
Si præcluſa forent maris oſtia? qualia vatum
Doctorum monumenta diſertis tradita chartis,
Gallia quæ ſolers, quæ docta Batavia mittit,
Effugiant noſtros ſpatiis tot diſſita viſus,
Immunes modò non ultròque, citròque recurrant,
Securæque rates? acer ſcit Belga, Ligurque
Immenſæ quot opes pelago acquirantur aperto,
Novit & armipotens quoque Gallia, novit & omnis
Quicumque immiſſis ſulcat maria alta carinis.
Talibus atque aliis pro libertate Batava
Inſtat Grotiades, quæ vero haud diſſona primum
Mentis ad aſpectum tacitè fateare neceſſe eſt:
Conceptas ſed ubi ad ſolitos admoveris uſus
Res, & cum variis committes tempora cauſis,
Cuncta in diverſum cernes abiiſſe tenorem;

Talia

Talia quin longè diſtare videbis ab æquo,
Seu potius noto ſæcli præſentis ab uſu.
At verò ſiquis Venetæ primordia ſortis,
Quærat, & antiqua miras ab origine cauſas,
Regnique incrementa, ſuas urbs regia, dicam,
In pelago ſedes, libertatemque locavit:
Hìc jura, hìc leges proprias ſibi condidit, omnis
Inſcia ſervitii: facili procedere curſu
Res ubi cœpit, opeſque ſimul crevere, ſuperba
In Cœlum ſtuduit moliri tecta, per altum
Navigiis volitare, extremaque littora ponti
Quærere: nec primis obſiſtere deſtitit orſis
Improba ſors: domitrix totius ſcilicet orbis
Francorum tulit arma manus, jurata ſecundæ
Eductum auſpicibus divis reſcindere Romæ
Regnum, altas veterum laudes, & grandia iturum
Nomina: tum Venetùm diros fatalis in hoſtes
Exeruit ſe ſe virtus, fuſoque repellens
Sanguine barbaricas acies, illuſtre trophæum
Devicta de gente paterno in littore fixit;
Grande rudimentum, ætatis ſpecimenque futuræ:
Poſt varias pacis curas, bellique labores
Altera mox rerum ſeries ſubit: ilicet adſunt
Infeſtæ prædonum acies ad littora raptas
Vertentes puppes gravidas gangetide gaza,
Eoiſque opibus: validis tu claſſibus alnos
Inſidiatrices avertis, maxima ponti
Regnatrix, cæſoque ulciſceris hoſte rapinas,
Vindictaque malis toleratis addis honorem.
Te donante mari pax reddita, & inſnper armis
Tempus ad hoc ſervata tuis: ſecura viarum
Nautarum cantat te longa per otia turba,
Dumque ſoli Piceni oras te vindice dudum

Lu-

Luſtrat inoffenſa rate, Dalmaticoſque receſſus,
Miſcet læta jocos, luditque per humida tranſtra,
Nec ſubit in ſomnis formidati hoſtis imago:
Parva loquor; non ſolus aquas qui remige ſulcat
Æquoreas, deducta tuis ſibi proſpera novit
Eventa auſpiciis: & tota Ænotria ſæpè,
Cum timor Odryſio magnus terreret ab hoſte,
Per te ſalva ſtetit, gentiſque evaſit iniquæ
Servitium. Vos longinqui ſpumantia teſtor
Littora Naupacti, curvæque Propontidos oræ,
Et vos qui ſcythico rubuiſtis ſanguine fluctus
Illyrici; vidiſtis enim, & memorare poteſtis,
Corpora quot Thracum immanem demiſſa ſub orcum
Armipotente manu, quot tectum ſtragibus æquor,
Teliſque, galeiſque frequente cientibus ictu
Inter ſe ſonitum: queis tum fortiſſima Pubes
Exuviis, ſed laude magis decorata redibat
Fines in patrios! Quoties hæc omine dextro
Evenere, caput toties erexit honeſtum
Italia, & poſita tandem formidine plauſum
Læta dedit, teque ò magnis urbs æmula regnis
Feſtivo clamore, iterata & voce vocavit
Imperii columen, ſervatricemque latini.
Idcirco Auſoniæ nos libera turba, perennem
Te maris Adriaci dominam, invictoque tridente
Jura ſalo ponentem, hoſtiliaque auſa domantem
Dicimus, & memores grati teſtamur amores.
His tandem expoſitis, etjamnum jura venirent
Dicenda in vaſto piſcanti tradita ponto:
Atque equidem populos inter lis ſæpè coorta eſt
Magna, ſuper captis aliena per æquora prædis,
Non niſi flebilibus pugnis, & cæde dirempta
Bellantum populorum. An non commiſſa Britannis
Præ-

Prælia cum Batavis, & ſparſi ſanguine fluctus,
Incerti cuinam domino producere vellent
Squamigerùm undivagam ſobolem? an non ferbuit olim
Baltia, cum fretas immani corpore claſſis
Advena Balænas caperet ſub gurgite vaſto?
His ſuper, atque aliis iterum pertexere verſus
Cura foret, niſi me, jamdudum viſcera tentans
Dira exerceret labes; & mille figuras
Noctes, atque dies variaret, mille nocendi
Nomina: fervor enim flamma graſſatus iniqua
Nativum ſuccum depaſcit, & humida vitæ
Pabula ſubducit, macies ſubit undè videri
Horrida debilibus membris, vultuſque notantur
Indigno pallore, incerto à frigore qualem
Sylvarum ducunt folia arida: deficit artus
Vis ſua: non animus, non mens caligine merſa
Ritè queit proprio perfungi munere: partem
Uſqueadeò divinæ auræ niger halitus afflat.
Ante diem venit interea properata ſenectus
Languentes dejecta genas, habitumque ſeverum
Squallida; feralis rerum obverſatur imago
Ante oculos, facies lethi obverſatur acerbi
Agmine cum morborum, & funeſto comitatu
Curarum: tormenta ingens per talia mœror
Creſcit, & ipſe mihi deſpecta in tædia vertor.
Si tamen infeſtos mors admovet horrida greſſus
Triſte minans, dubioſque in me determinat ictus,
Nil prævifa moror, veniunt quæ tempore fata
Non ſuo, & ereptos morbis crudelibus annos.
Quippe ubi ſumma dies penitus compage ſoluta
Corporis atque animi dirimet commercia nota,
Clauſtra poli ſuper alta ferar, ſi credere tantum
Fas mihi, meque vetus ſtudiorum cura ſequetur.
Nam

Nam ſuperi laudes genitoris, & ardua verſu
Facta canam, ut gemino cœlum ſuſpenderit axe;
Lunaremque globum, & ſpargentem lumina ſolem,
Signaque conſpicua procuderit aurea luce;
Mox ut tellurem nullo fulcimine nixam, &
Aeris in medio ſtantem producere fruges
Juſſerit omnigenas, alimentaque mitia genti
Humanæ, divùm in ſortem, regnumque vocandæ:
Audiet, & noſtris concentibus accinet æther,
Lætaque fæſtivas agitabunt aſtra choreas.
Hæc ſi proſpera lux olim felicia portet
Omina, non textam de lauro optabo coronam,
Quæque ſibi vani finxerunt præmia vates:
Sat mihi conceptam ſi non ſpem fallat inanis
Exitus, in ventos nec vota caduca faceſſant.
Vitiferi Thelioris ameno in colle novellum
Hoc opus exegi, poſtremaque linea ducta eſt
Scarzarea in villa, ſpatio quæ diſſita parvo
Parmenſem ſuperante ſitu conſiderat urbem:
Tempore quo ſtudiis Farneſius otia noſtris
Indulgens, fræno populos parcente regebat.

UMBRA

UMBRA.

UM-

Digitized by Google

UMBRA.

Carmen.

ÆStus erat: patula quærebam frigus in umbra,
Opportuna gravi ſolamina nempe calori.
Nec mora: vicinæ de cortice prodiit alni
Hoſpita Nympha loci, formoſum tecta virenti
Fronde caput, nudata pedes, ſpoliata lacertos,
Ut decet Æſtivum, qui ſole peruritur, annum.
Illa mihi blandùm arridens, cane, dixit, opacas
Argumenta tuis modo congrua cantibus, umbras
Dixerat. Argutas ego cantu inflectere voces
Protinus aggredior, citharamque periclitor ungue
Sæpius admoto, tentataque fila recurro.
Ordior: illa meos ſignabat in ilice verſus.
Vere novo, cùm gemma tumens erumpere nodo
Cogitat, incertum meditantur prima virorem
Germina, mox viridi abſolvunt de carcere frondes.
Illæ paulatim texunt umbracula, plantis
Avertuntque iras, & inofficioſa diei
Lumina: quando ſuis inſtructa eſt fœtibus arbos,
Sive morà longi toleratà mitibus anni,
Sive recèns natis, niſi contra fervida ſolis
Spicula munimen ramus prætendat opacum,
Ad ſibi propoſitam fruſtra perducere metam
Fructus de cœlo tactos ardente ſtudebit.
Vidi ego ſollicitum inconſulta falce colonum,
Ante diem qui læta comis vineta levaret:
Sed mox aridulis vidiſſes nuda relinqui
Vineta, aridulis præ longo ardore racemis.

 Adde

Adde quòd & pictis arbos uberrima pomis,
Vinea fœcundi donis uberrima Bacchi,
Umbra ſuos illis niſi conciliaret honores,
Nil præter fructus, cur laudarentur, haberent.
Turpe caput denſis ſpoliatum crinibus, albo
Turpe pecus denſæ ſpoliatum vellere lanæ,
Turpior exuviis nudata virentibus arbos.
Naſcuntur gratà gemmantia fraga ſub umbra,
Naſcuntur violæ: quin lucida tela diei
Si fortè inſinuent nemora inter frondea lumen,
Extemplo viſo metuunt à lumine fraga,
Palleſcunt violæ: pariter roſa pulchra colores
Longiùs aſpecto deperdit ſole, nec ipſa
Improtecta diù cœlum durare valeret
Suave rubens anemona: quid agris meſſe decoris
Aptius obtentu foliorum? vere novello
Graminis alterius vicinia gramen opacat,
Proximitaſque juvat ſe mutua, vividus herbis
Suppetit unde vigor, fervens nec Syrius audet
Prætextus tremulis radiis irrumpere denſos.
Umbra juvat vates, ſiquando rure paterno
Tempora deducunt nullius conſcia curæ,
Blandaque defeſſis permittunt otia Muſis:
Umbra juvat pecudes, cùm ſol altiſſimus iras
Duplicat æſtivas; pecudum juvat umbra magiſtros,
Quando libet tenera modulari carmen avena,
Colle vel errantes procul obſervare capellas.
Tu quoque ſolamen variorum ſomne laborum
Diceris umbroſis habitare libenter in ulmis:
Tu quoque ramoſæ gaudes ſub tegmine ſepis
In gyrum glomerare tuas philomela querelas.
Quos non jucundos per luſtra nigrantia luſus
Exercet pennis accincta fugacibus aura?

Illa

Illa modò arboreæ ſecreta cubilia ſylvæ
Tranquillo ſubit allapſu, modò ſumma comantum
Præſtringit nemorum, nunc vi majore ſuperbas
Exagitat fagos, & in altum inſultat ituris
Quercubus: alternant operoſa negotia rami,
Inter ſe crebros motus, & ſurda cientes
Murmura: nec minùs illa ſuos audacula niſus
Integrat, incæptos peragitque celerrima ludos
Quid nemorem, ut variæ menſuræ neſcius, horas
Villicus haud dubias interprete diſcat ab umbra?
Hujus conſilio fæcunda in paſcua mittit
Matutinus oves, revocatque furente ſub æſtu:
Illius admonitu ſumit, ponitque labores
Agreſtis pubes, & idonea tempora captat,
Depoſitura ſitim rivi labentis in unda,
Sedatura famem vicini ruris in horto.
Qui maris, & terræ ſpatium conſiderat, ipſi
Et qui pulvereum numerum ſubducit arenæ,
Ille altas turres, immani & vertice montes
Conſulta umbroſa metitur imagine molis:
Namque ubi ſol diſtans à primo æqualiter ortu
Diſtat ab ardenti, mediaque æqualiter hora:
Aut ubi dimidii tranſmiſſa parte laboris
Par verſæ ad nigros via luci reſtat Iberos,
Corpora quæque ſui tunc æquum imitamen adumbrant.
Dum me rura tenent æſtiva per otia, certa
Scire novum cupidus quæ tempus dividat hora,
Conſulo protentam ferratæ cuſpidis umbram,
Gypſato quæ ſolis iter de pariete monſtrat,
Lucis dividuas numero ſignante figuras.
Sæpè tamen liquidum diſpanſa per aera nubes
Temporis indicium Phæbo fruſtratur adempto:
At de nubiferis, quæ non jucunda tenebris

Provenit utilitas? nebuloſo tempore verni
Reſpirant flores, & conſita frugibus arva;
Reſpirat feſſus ſedato ardore viator.
Tunc mihi nec colles, nec frigora collis amantur.
Hoc quoque perpetuum de carmine nomen habebis
Nox, quæ terrarum tenebris opera omnia velas:
Depoſita te falce ſedens in mergite meſſor,
Te ſtiva manibus dimiſſa fortis arator
Expectant feſſi: commiſſa domeſtica longo
Cui res imponit volvendum errore laborem,
Vota tibi ſua mittit: iniquis tempora curis
Exoneras, fractamque levas Mavorte diurno
Militiam, placidaque animalia ſingula pace
Provida componis: per te viget herba, tuoque
Gaudent ſubſidio recreari mollia culta,
Sicca pruinoſo recreari gramina rore;
Qui per inane tuo lapſus de munere, ſe ſe
Floribus appendit, foliiſque argenteus hæret.
Tu Cœli nitidos aperis ſtellantis honores,
Pulchraque miranti retegis ſpectacula Mundo.
Denſa vocet niſi nox, tua lux latet, Heſpere; denſæ
Si non ſint tenebræ, tua lux latet, aurea Phœbe.
Laudibus omnigenas huc uſque ornavimus umbras;
Nunc laudes verſo diffingam carmine, nymphæ
Parcite, quas nemorum delectat amabilis horror.
Nempè ſit ex omni cùm nil laudabile parte,
Uſibus expoſitis, nunc damna pediſſequa dicam.
Principiò crinita comis frondentibus arbor,
Invidet ipſa ſuis, & obeſt ingrata noverca
Fructibus, excluditque favorem ſolis amicum:
Officit & cultis; neque enim ſurgentia culta
Arrexere animos, niſi vim ſurgentibus ante
Addiderit viſi facies jucunda diei.

Bac-

Bacchus, & alma Ceres cœlo lætantur aperto,
Lætantur teneræ virgulta nitentia ſilvæ.
Præterea arboribus nonnullis umbra tributa eſt
Invidioſa ſatis, & iniqua animantibus ægris.
Juniperi gravis umbra, gravis perhibetur opacæ
Caſtaneæ, patulæque nucis: plantaria ſubter
Non benè ponuntur, nec ſe feliciter herbæ
Subiiciunt virides, florumque tenerrima pubes.
Illarum è numero non me vocet ulla, ſedentem
Detineatve diu: nocuere ſedentibus illæ,
Productaque mora triſtes fecere dolores.
Sæpè viatores ultrà procedere feſſos
Oppreſſit ſubita cybeleja planta ruina;
Sæpè fatigatis æſtu, ſomnoque remiſſis
Abrupit dulcem glans ilice lapſa ſoporem:
Vitantem quoties longæ faſtidia lucis
Me ſub frondoſa circunſtetit arbore mæror!
Ingentes quoties euris motantibus ornos
Flexibiles ſonitu rami ſtrepuere moleſto,
Et rupere meos ingrato murmure verſus!
Monte ſuper partes quando dimitto per omnes
Lumina, diverſaque oblector imagine, rerum;
Miratus colles nunc ſuprà, infràque virentes,
Et nunc porrectos ſpatiis ingentibus agros,
Arbor ſi frondes fortè interponat iniquas,
Impediatque gradu ſubeuntes alite viſus,
Protinus intercepta oculorum gaudia ceſſant,
Gaudia per nemorum fruſtra quæſita receſſus.
Ludicra vos eſtis ſylvæ ludibria, cunctis
Additis & vires per veſtra obſtacula ventis.
Perpetuo vos nulla quies componit in anno.
Quin modò cum gelido Borea, modò præpete Cauro
Prælia conſeritis, nil laudis habentia, ſemper:

 Nam

Nam magis, atque magis flabris illudere pergunt
Æolii fratres, labentis tempora donec
Sera ſub autumni veſtros populentur honores.
Vitam in præcipiti ſtantem, quicumque caduca
Pingere vult forma, ſimilique referre figura;
Exemplum tenui periturum ducit ab umbra:
Infeſtos lemures, & manes lucis egentes,
Nomine, quo pariter tu diceris umbra, vocamus.
Lumine ſubducto cùm nubes lurida Cœli
Eripit aſpectum, mundo ſuccedit operto
Torpor iners: ſiluere feræ, ſiluere volucres;
Nec Philomela ſuas narrat, nec hyrundo querelas.
Sæpè etiam fata læta potens evertere nimbus
Nube diem prohibente ruit: ſæpè invida grando
Exitium toti latura ſupervenit anno:
Horriſoni fragor ingeminat quoque dirus olympi
Rubra per ignitas mittentis fulmina rimas.
Nec mihi ſyderibus quiſquam ſeptemplicis orbis
Excuſet nigrum nocturnæ dedecus umbræ:
Nox quamquam ſtellis frontem redimita coruſcis,
Interpicta ſinus, tremuloſque argentea vultus,
His tamen emendat nequicquam dotibus, atri
Horroris maculas, & mæſti probra coloris.
Illam incedentem taciti per inania mundi
Terribiles larvæ, funeſtaque viſa ſequuntur,
Somniaque horribiles viſu referentia formas.
Noctua mobilibus ſtridens circumvolat alis,
Damnatus triſti circumvolat omine bubo.
Finieram. tacitis Fauni, Satyrique latebris
Protinus exiluere; nec altæ ſegniùs alni
Abdidit annoſo ſe cortice territa Nympha.
Illi me triplici gyro, ductiſque ſine arte
Cinxerunt choreis: quorum lepidiſſimus unus

Mul-

Multiforem buxum, ventoque animante canoram
Tradidit, & cantùs hæc præmia, dixit, habeto.
Illius uſus erit, Satira ſi quando minaci
In variam vatum naturam inquirere, ſive
Publica Cenſorum capita alta fricare juvabit.
Dixerat. ex illo mihi fervidus incidit ardor
Diverſos vatum mores præſtringere, nec non
Sæculi Ariſtarchos, queis ſceptra vicaria nuper
Pertæſus rixarum, & feſſus Apollo reliquit.



ODARUM
LIBER I.

ODE

O D E L.

V. CL.

NICOLAO ANTONIO

CICOGNARIO

COMITI, & CANONICO,

Theliorea Villæ Poëtica Deſcriptio.

PIngo tibi, Antoni, mores, noſtrique figuram
  Ruris, & innumeros
Pingo ſimul cultus, quibus ornat, & inſtruit illud
  Annua fertilitas.
Montanos inter natu non ultimus, at non
  Mole ſua nimius,
Conſurgit fratres collis Thelioreus, effert
  Turrigerumque caput,
Magna velut Cybele: patulis crinitur ab ulmis,
  Caſtaneæque comis:
Quas placido exercet conatu, & mollibus aura
  Luſibus exagitat.
Ille modò intendit juvenilia tempora circùm
  Spicea ſerta, modò
Intextas ùvis, pomoque rubente coronas:
  Tempore mutat enim
Pro vario, capitis picta ornamenta decori:
  Mutat & omnigenas

Cor-

Corporis exuvias: nova tempora nempe ſub anni
Membra tegit clamyde
Verſicolore; tamen majori ex parte rubenti:
Sole vehente dies
Æſtivos, ſibi de paleis concinnat amictus;
Simplicitate magis
Hac ſibimet gratus, quàm ſi garamantide gemma
Aſpera texta gerat.
Venerit Autumnus? velamina congrua ſumit
Temporis ingenio,
Scilicet involuit ſe frondibus, atque racemis,
Inque nova bicolor
Palla iterum apparet, nec tegmina talia ponit,
Ni prius exuerit
Invitum glacialis hyems: tunc nuda videri
Corpora penè gerit.
Qua tamen arte poteſt, formæ diſpendia penſat,
Seque virente tegit
Perpetuùm Lauro, & ramis vivacis olivæ,
Abietis & foliis.
Quód tamen eſt mirum, nec tali vulgus amabit
Credulitate capi,
Callidus ille loqui, ſiqua audit, verba remittit;
Dimidiata tamen:
Namque ea reddendi eſt, ſimul ac pertingit ad aures,
Sollicitudo ſoni,
Ut libet tantùm ceu per compendia vocem:
Uſque adeò ſtudio
Urgendi verba, & properandi ardore tenetur:
Ulla nec immemorem,
Aut inconſultum culpant peccata loquelæ:
Quin ſcit ubique modos

Quale

Quale ſonant imitari; aliquis ſeu cantet arator,
Sive loquatur avis.
Moribus haud aliis formatum ab origine mundum,
Diſpare nec facie
Crediderim ſoli ſe propoſuiſſe novello,
Cùm tener annus erat.
Pinximus ingenium Villæ, vir magne, paternæ;
Pinximus effigiem:
Abſque colore tamen, Tejo ſed pectine tantùm
Pieriiſque modis.

ODE II.

Sibi quodlibet tempus, & occaſionem AD BEATAM VIRGINEM Canendam eſſe idoneam.

QUælibet apta meis præſtant ſe tempora muſis,
Cùm tua facta ſubit
Verſu, Maria, evolvere.
Ver nive depulsà geniale revertitur, annum
Pone trahens viridi
Tectum genas lanugine?
Nec mora: blanda ſuis tùm me concentibus ales,
Et vaga fontis aqua
Cantus cient ad æmulos

Gar-

Garrulitate ſua: Zephyri quoque mobilis aura;
Evocat è latebris
Quæ læta ſursùm gramina,
Sopitos eadem noſtro ſub pectore ſenſus,
Excitat ætheriæ
In Virginis præconia.
Æſtus adeſt: gravidis falcem ſupponit ariſtis
Meſſor, & in medio
Sopore fuſca ſomniat
Villica, præteritas in agris decerpere ſpicas.
Tum calor arida qui
Haurit vapore jugera,
Idem me ſtudio cantandi incendit honeſto,
Quod per iter varium,
Ardens ut æſtas, proficit.
Nec minùs extremi tempeſtas fertilis anni
Nectare purpureo
Dulces racemos imbuens,
Vitigeno recreat ſenſus, acuitque liquore,
Undè tuas alacer
Laudes retexo, Partheni.
Venit bruma? meis ut convenit illa camænis!
Tempore non alio
Matrem cano lubentiùs
Virgineam, nativum inſtaurat quippe vigorem
Deſidis ingenii
Accincta bruma frigore.
Sunt quibus abripiunt feſtivam gaudia mentem,
Illaqueantque animum
Oblivioſa compede.
Læta mihi cantùs mens argumenta miniſtrat,
Propoſitique tenax
Grato vacat negotio.

Nec

Nec mihi cum ſocia triſtes legione dolores,
Nec mala dulce valent
Votum canendi tollere.
Nam circùm patrias tribulos ſi conſerat ædes
Cura, meoſque lares
Agmen malorum obambulet,
Protinus inviſam cantata Virgine turbam
Ædibus experior
Procul paternis pellere.
Quid mihì, ſomne, tuo cum munere? tempora fruſtrà
Noſtra papavereo
Ramo paras contingere.
Scilicet in ſomnis ſtudio oblectamur eodem,
Quo vigiles animos
Lux inquieta detinet.
Vincula nam ſtabilis lingua eluctata ſoporis
Suave frequentat opus
Prolecta conſuetudine.
Suetaque diſpoſito concinnat in ordine verba,
Qualia de ſupera
Compono ſæpè Virgine
Evigilans, mentis loquiturque animoſa reperta,
Alligat & numeris
Promptas figuras elici.
Credimus, an vates ſibi vero diſſona fingunt?
Cum fera mors tenebris
Operta funeſtum caput
Adveniet meſſura meos, & demetet annos:
Vocibus injiciam
Junctis in ordinem moras;
Congrediarque truci, licèt impar viribus, hoſti,
Præpete non jaculo,
Sed innocenti carmine.

Et

Et quamvis duro vitam ſub vulnere ponam,
Non tamen ante pedes
Inultus hoſtiles cadam.
Quippe vel extremo mihi, Virgo, canèris in ictu,
Poſtque necem pariter
Totis canere ſæculis.

ODE III.

AD

B. VIRGINEM MARIAM,

Cùm Author ægrè haberet.

VIrgo, quam mihi nox candidior die
Pinxit ſomnifero nuper in otio,
Tectam ſolis amictu
Cinctam ſyderibus caput,
O dulcis mea ſpes rebus in aſperis;
Tandem flebilibus te precibus bonam
Præbe candida Virgo,
Noſtris atque facillimam
Votis, quæ ſolito ſævior extudit
Natus biſgeminam jam trieterida
Morbus, pluribus annis
Nunc audacior additis.
Conatu toties luſa Machaonis
Ars fallente, ſui torpet inefficax,
Et molimina quævis
Alis tradita ſtridulis

Ventorum in patriam fert Notus avolans,
Nobis perpetuos linquere pertinax
Cum mærore dolores,
Et triſtes querimonias.
Fallaces quoties ſpes malè credidi
Ruris blanditiis, læta vocantibus
Vivi ad murmura fontis,
Gratum frigus ad arborum!
Migrantem quoties me patria domo
Vidit Luna ſuum verſa per ambitum,
Mutato lare morbos
Fruſtra pellere credulum!
At quocumque feram ſollicitus pedes,
Languores prope me cerno pediſſequos,
Et veſtigia juxta
Peſtes figere noxias.
Non ſi Threicii littora Boſphori,
Aut longinqua petam ſtagna Boryſthenis,
Me funeſta malorum
Mittant agmina perſequi.
Adſis, & rabidis hoſtibus exime
Vatem, Diva, tuum: virgineo ſimul
Illos ardua cerni
Aſpectu tremefeceris,
Extemplò Scythiæ littus ad ultimæ
Cedent, non iterum, nec niger ingruet
Cum veſper, redituri:
Nam tunc, aurea Partheni,
Mandabis geniis, ſpes niſi decipit
Me jejuna, tuis, fila ſecent mea;
In ventos abeuntis
Vitæ fila noviſſima.

ODE

ODE IV.

Ad Pacem.

O Pax cœleſtes inter placidiſſima Divas,
Dulcis quies mortalium,
Quandò diem fuſcis lætus portabit ab Indis
Equo rubente Lucifer,
Qua te per noſtros videam, pulcherrima, campos
Vultu ſereno incedere?
Et tecum innexos manibus deducere menſes
Cinctos corona ſpicea,
Cinctos purpureis gemmantia tempora botris,
Auroque concoloribus.
Te feritas abſente, furorque impunè vagantur,
Et luctus urbes circuit
Effuſus per colla comas, diſcinctus amictus,
Mæſtaſque pallidus genas.
Ultra Sauromatas fugiens Aſtræa receſſit,
Felixque rerum copia
Terga dedit, latios jurata reviſere nunquam;
Ni tu revertas, limites.
Eja age candidulis huc ò delabere pennis
Secura ſpes Ænotriæ.
Te redeunte, caput pietas extollet honeſtum
Soluta ferali metu.
Auguſtiſque ſacros templis incendet odores,
Aurora quos dives legit:
Nec minùs arboreas paſtor narrabit ad umbras,
Per te beatos ut dies

Exi-

Exigat, & tutas ſerà ſub luce capellas
Compellat ad præſepia.
Quòd ſi tu redeas bona Pax, nec in aera caſſas
Sinas preces diſcedere,
Sacra tibi teneræ proles ſtatuetur olivæ
Thelioris alto in vertice:
Atque hoc ſignato deducam in cortice carmen.
Trophæa Paci hæc dedicat
Auſonius vates, quòd fines illa latinos
Vultu beaverit ſuo.

ODE V.

Cùm à finitimis bellorum motibus timeretur.

ARcto nuper ab algida
Rumorem Boreas detulit advolans,
Dura in prælia fervere
Deteſtatum italis Teutona matribus;
Et jam rura per Inſubrum
Tractari indociles tendere copias.
Sol, qui publicus aſpici
Cunctis regna vides diſſita partibus,
Nil felicius urbibus
Poſſis Eridano viſere proximis,
Quas Farneſiades regit
Lactatas tenero pacis ab ubere;
Nec ſpectacula triſtia
In noſtris tibi ſit cernere finibus.
Ex quo fulminat oppida
Incinctus tunicam Mars adamantinam,
Nos circumvolat horridis

Curarum anxietas cincta cohortibus.
Tu ſuccurrere ſedula,
Caræ Virgo parens conſule Patriæ,
Ne lamenta querentium
Nequicquam populorum, & gemitus graves,
Hunnorumque minacium
Vox funeſta meis auribus aſſonet;
Nec ſqualleſcere pulvere
Campos aſpiciam ſub pede barbaro.
Spes me fallit, an audior?
Jam ſe denſa poli nubila dividunt,
Et læta ſuper Iride
Prodit conſpicuo ſydere pulchrior
Virgo, & terribiles minas
Bellorum, placido lumine diſſipat;
Mox riſu faciem explicans
Tranquillo, nitidà nube reconditur.

ODE VI.

V. CL.

BENEDICTO BACCHINO

ABBATI CASINATI.

Ruris quietem, & negotia deſcribit.

BAcchine, priſca geſta te virùm juvat
Laborioſis tradere
Chartis, & atra ſæcula è nocte eruta
Donare claro lumine.

Tan-

Tantoſque in uſus inter urbanas moras
Dies euntes dividis.
Ego ſed alto ruris in ſilentio
Blanda quiete perfruor:
Mihique tempus áſſero meum, procul
Negotioſis urbibus.
Nec me cupido ſcire tentat interim,
Quid Mars cruentus cogitet,
Aut quas novellis gens etruſca ſyllabas
Adjunxerit vocabulis.
Extra beatos nil amo perquirere
Villæ paternæ limites.
Tamen ſupino ne me in otio putes
Soles inertes condere:
Nam colle ſummo lux ubi prompſit jubar
Illuſtre proferens caput,
Secreta denſæ me abdo ſylvæ in intima,
Et vallium recondita.
Ubi virente noctis umbroſæ in ſinu
Sileſcit incertus dies.
Illic tacentem in urbium frequentiam
Diſſingo ſolitudinem;
Rudeſque dulci provoco cantu Deos,
Subluſtre quos tenet nemus.
Adeſt canorà Pan avenà perſonans,
Studetque noſtra carmina
Suis referre; at æmulantem libero
Rident cacchinno Oreades.
Iratus ille inauſpicato prælio
Allidit umbroſæ ilici
Ruptam ſoluta fiſtulam compagine.
Sylvaſque corripit fugà.
Miranda dicam, forſan & ſequentibus

Credenda numquam poſteris.
Ex quo volucrum repleo mutas domos
Frequentiore carmine
Ales mea erudita conſuetudine
Exercet artem metricam.
Elegis amores daulias ſuos avis,
Alauda quæſtus eclogis
Narrant; hyrundo nænias longas canit
Dicacitate garrula.
At Pica diras in Cuculum fervidas
Jacit probroſo gutture.
Mæſtuſque turtur concinit tragœdias
In aridis ramalibus.
Edocta voces quin remittit integras
Diſerta nympha ſaltuum.
His penè totum clauditur manè, igneum
Donec vehant meridiem
Horæ incitato triſtè anhelantes gradu,
Et languidæ laboribus.
Tum ſicubi inquieta lympha proſilit
Enixa rupe tophinà,
Parcas in herbis apparo menſas, dape
Haud curioſa divites.
Sedoque ventris inſitam cupidinem,
Sitimque potu attempero.
Conviva mecum lene gaudium aſſidet,
Nec non comes frugalitas.
Jurata mens & nullius ſe dedere
Vel ſervituti ſplendidæ.
Repreſſa gratis ut fames ceſſit cibis,
Parumque defluxit moræ.
Subter virente me reclino in gramine
Fluentis ad rivi ſonum.

Cap-

Captoque ſomnos, quos ſuave recreant
Pulchræ videri imagines.
Videor oloris ſæpè formam ſumere
Contractus in corpus breve.
Succedit artus pluma per totos, nivem
Candore præcellens ſuo.
Novos in uſus tranſeunt armi, levi
Pennarum amicti tegmine.
Exile collum longiùs producitur,
Ex ore roſtrum prominet.
Vaſti liquentes tum poli curro vias,
Auras volatu dividens:
Tendoque in amplos Inſubrum campos, tuum
Audire geſtiens melos,
Jucunde Ceva, ſæpè Sebethum peto,
Ubi paterna iamdiù,
Parthenie, ſyren concinentem te ſtupet,
Vincique gaudet æmula.
Dulcedo noſtros quanta ſenſus afficit,
Dum veſter oblectat meas
Concentus aures, o gemella Apollinis
Proles, & immenſum decus!
Minùs ſuavis indicæ cannæ eſt liquor,
Minùs mel eſt hymettium.
Oblitus alas ſed movere pendulas
Cantu fruor dum nobili,
Ineptiores alites nugis parant
Dulces moras abrumpere.
Et parte Cornix, parte ſturnus alterà
In me ſtrepunt conviciis.
Faſtidioſus & ſtudet Picus ſuas
Proferre contumelias.
At horum iniqua curo tantùm jurgia,

Quantùm leves Eteſias
Alpes, ſuperba nubium ſuper domos
Quæ porrigit cacumina.
Vis ſolis interim tepens remittitur,
Clauſumque dimittit pecus
In alta montium, ſonans arundine
Stridente acutum Tityrus.
Saltus petentis excitus ſono gregis,
Simul canorà fiſtula,
Somnos ocellis languidos detergeo,
Mentoque ſupponens manus
Retento mecum inuſitata ſomnia,
Gratoſque luſus rideo.
Mox per nigrantem quercu opacà ſemitam
Avita rurſum limina
Peto, remiſſis inque rura agreſtibus
Muſas voco domeſticas.
Bacchine, vitæ talis eſt noſtræ tenor,
Ductique norma temporis;
Quam non ſupremis orbe quot ſunt maximo
Mutare cum regnis velim.
Nec cum beato, fama quod finxit vetus,
Stulti Midæ miraculo.

ODE VII.

Ad Amorem Cœleſtem.

JUnge veloces pharetrate currus,
Et novos molire puer triumphos:
Alta in immenſum tua me parante
Gloria ſurget.

Obſe-

Obſequi fræno facilis voluntas,
Et regi mollis mea mens amico
Se jugo dedent: tua, Dive, utriſque
Biga vehetur.
Grata quæ nuper mariani amoris
Edidi læto documenta verſu,
Hæc erunt pòſthac tua quæ vocabis
Mollia tela.
Virgine inſcriptus genitrice codex
Suggeret plenæ vice ſe pharetræ:
Brachia inter ſe prece juncta in arcùs
Nomen abibunt.
Ne triumphalis quoque pompa deſit,
Candidæ cogam tibi gentis agmen;
Sedulæ juſſis famulari, & unà
Jungere curſus.
Antè dimotis prior ibit auris
Candidis accincta cupido pennis,
Sepè ſtellati quibus intrat altum
Limen Olimpi.
Pura blandiri ſequitur voluptas,
Gaudium cælebs, lacrymæque dulces,
Et ſiti ſemper cupida laborans
Nobilis ardor.
Omnium diſpar facies, & una eſt:
Integer labis decor ornat omnes:
Pars ſed incertum timet, intimo pars
Pectore gaudet:
Pingitur pulchro bona pars dolore:
Quos ſuper motis volat hinc, & inde
Blanda ſpes alis, abigitque curas
Illice vultu.

Quæ ſed injectos removere nodos
Anxio ſurget tibi laus ab hoſte?
Hoſte, qui nomen tibi jactat æquum
Omine diſpar.

Stabit humenti ruber ille fletu
Ora, & abjectis pharetràque, & arcu,
More ſe verſo feriet ſoluti
Verbere nervi.

Quanta complosis ſuper ipſe palmis
Jurgia infligam, rigidoſque luſus!
Tunè regnator ferus ille, dicam,
Totius orbis?

Cujus ad nutum diadema ponunt,
Et jugo ſubdunt caput, edomari
Cerei reges, domitique dura
Jura verentur?

Quò triumphati malefida mundi
Fama, quò laudum ſeges ampla ceſſit?
Omnis in vanos levis avolavit
Gloria ventos.

Talibus mendax onerabo probris
Numen, & dictis feriam jocoſis,
Donec ornatas tibi dedicabo
Laudibus odas.

Teque Divinis animare dicam
Callidum flammis tepefacta corda,
Vique jucunda validum rebelles
Flectere mentes.

)(ſ)(ſ)(

ODE

ODE VIII.

V. CLA.

LODOICO ANTONIO

MURATORIO

Raynaldi Ateſtini Mutinenſium Principis à Bibliotheca.

Se in Thelioreo ſeceſſu placidiſſimam vitam agere.

QUanquam ſanguinei circuntonat horrida Martis
Tempeſtas effuſa per omnes
Æmiliæ campos, duri tamen inſcia belli
Colle ſuper Thelioride condo
Tempora, nec lateri noſtro ſe proripit unquam
Cum ſocia pax fida quiete.
Grata ſuo quoque vati, & caro accincta ſubire
Pro vate improviſa pericla
Pieridum pubes, vigili ſtatione coronat
Dilectæ confinia villæ.
Et ſiqua admovere gradum infortunia, verſo
Cogunt pone faceſſere paſſu.
Nuper Bellonæ, nec vana eſt fama, minacis
In caput impegiſſe canoram
Calliope fertur citharam, & ſaturata cruore
Cede procul, dixiſſe, virago.
At licèt hos inter colles, inglorius ævum
Dulce traham, neque cognitus ulli,
Quæ tamen in mundi diverſa parte geruntur,

Scire

Scire tenet me blanda cupido.
Nec fruſtra: nam facta ducum Cyllenia proles,
Et mixtis commiſſa catervis
Prælia, longinquis veniens apportat ab oris
Res geſtas mihi pandere verax.
Sepè levem ſtudio properandi ſumere virgam,
Sæpe vias invadere velox
Arcadium haud meminit componere ritè galerum:
Noſtra ideò cum tecta reviſit
Aſpici inornatus, ſolitoque incomptior ales,
A tenui malè tempero riſu
Inſuper ille meam muſſans deponit in aurem
Plura, nefas quæ dicere nobis;
Nec vulgare licet, niſi cum maturior amplo
Eventu diſcluſerit annus.
Has ego jucundas, celeber Lodoice, per artes
Abſtergo faſtidia ſolis
Æſtivi, ſimilemque moræ, vitæque tenorem
Hiſce modis variare laboro.
Sic tamen, ut noſtra interea non fiſtula ceſſet
Mænalios inflectere ventos;
Alterniſque ferire leves manus ictibus odas:
Quas modulis animata canoris
Audit, & exultat commota cacumine ſylva:
Nam poſtquam Rhodopejus Orpheus
Auritas duxit blando modulamine quercus,
Arboribus miranda remanſit
Argutum vatum melos auſcultare voluptas:
Sæpè meo ſylveſtria cantu
Excita deſeruere propinquos numina ſaltus,
Atque nova dulcedine capta
Donavere mihi calamos, mortalibus anteà
Ignaros aſſueſcere labris.

Fortè

Fortè alii, quorum ſibi non ſententia conſtat,
Me populis imponere credent:
At tu qui vatum miracula prodita calles,
Jurabis, Lodoice, locutum
Vera magis Clario tripode, arcaniſque ſybillæ
In folio volitante notatis.

ODE IX.

V. CL.

JOANNI TAMANIO

Franciſci I. Parmenſium, & Placentinorum
Principis Ephæborum honorariorum
Præfecto.

QUalis me ſoboles, Joannes, fecerit parentem,
Te ſcire nuper cœperat cupido.
Accipe rem paucis. inveſtis adhuc genas pudico
Pindi biverticis novem dearum
Applicui me connubio: primò ſed invenuſtos
Eduxi in auras, languidoſque natos.
Pars tolerare diem invalidi poſuere inauſpicatas,
Vix ſe crepuſculo explicante, vitas.
Pars monſtro informi ſimiles, periere ſub feroci
Ira, & furore dexteræ paternæ.
Verùm ubi ſignavit vultus juvenilis umbra floris,
Nobis ſata eſt non pœnitenda proles;
Æſtateſque tenax vitam durare per ſequentes,
Cultuque gnara promovere formam.
Haud tamen audebam conventus urbis in frequentes,
Aut

Aut in potentum magna tecta regum
Mittere: quin tacitis ſylvarum condidi latebris,
Unàque cum paſtoribus modeſtam
Vitam agere edocui, atque negotia muſica exequentem
Tota vacare luce cantilenis.
Altera ſucceſſit ſoboles curare blanda rura
Solers, tuaſque culte Bacche vites.
Annoſa non tot de conjuge liberos tuliſſet
Vità fatigans longa ſæcla Neſtor.
Quod mirere tamen, vergentem in veſperam ſenectæ
Auxit venuſtior patrem propago;
Et felice magis ſub ſydere nata: nam ſuperbas
Subivit aulas protinus, lareſque
Magnatum: gentes etiam penetravit ad repoſtas,
Quæ te Garumna, teque Rhene potant.
Et licèt artificis vitio, cui tradita excolendi
Cura, induendi publicoque amictu
Prodierit male compta, tamen communibus probatur
Suffragiis admurmurantis orbis.
Altera præterea natorum turba deliteſcit
Matura nondum lumen experiri.
Hanc ubi tempeſtiva dies excluſerit, remotas
Mittam vagari protinus per urbes:
Diverſaſque plagas circùm luſtrare, in orbe ſparſos
Si fortè detur invenire fratres.
Forſan, quæ reliquos inter ſit carior parenti
Natos, requires, dulcis ò Tamani.
Protinus expediam. mihi ſunt duo prædìti gemelli
Candore, inempta præditique forma.
Laude pudicitiæ concedere, non tibi Diana
Novere, non tibi pudica Daphne.
Inſuper alterno verſu didicere nazarena
Vulgare laudes Virginis per orbem.

Sci-

Sciverunt & amare, ac me niſi ſpes inepta lactat,
Et ipſi amantur Virgini viciſſim.
Nec, paſſu quamvis procedant impari, videri
Sunt invenuſti, quin id eſt decori.
Hos ego complexu foveo, hos ego diligo, ut novella
Mater trimeſtrem diligit puellum.
Quin mens eſt nobis, modò tempora protrahat ſuperſtes,
Uterque noſtri nominis ſit hæres.
Hi ſunt, ò fido mihi Joannes amore vincte,
Qui me coronant liberi parentem.

ODE X.

V. CL.

BARTHOLOMEO SPINELLO

SOCIETATIS JESU.

Genius Poëticus.

QUàm magna eſt vatum, quàm mira potentia, nullis
Ut ſe propagat terminata finibus!
Certè ego, Theſpiadum cultor Spinelle dearum,
Tot formo rerum imaginoſa corpora,
Vertumnus varias quot novit ſumere formas,
Quot ficta ſolers mutat ora Proteus.
Vere novo placidos, genialia rura colendo,
Solutus omni tranſigo cura dies?
Nec mora: fingo mihi ſpecie præſtante puellam,
Cui Veris aptum nomen impono, & genas
Pingo colore nivis, tingoque rubore roſarum,
Sertoque lætum cingo fragranti caput.

Illa

Illa manu pictos tenerà me ducit in hortos;
Hortos, & arua riſu amæna florido.
Poſt Æſtas occurrit, & ipſe Autumnus, opimis
Hic dives uvis, illa onuſta frugibus.
Dein Hyemem video ſubeuntem ponè, fugantem
Et hunc, & illam frigerante anhelitu.
Quid? quod & ipſe graves cùm vito ſub ilice ſoles,
Alta ſub ilice, aut virente populo,
Extemplo Zephyros ſimulati corporis uſu
Dono, ſupremis evocoque ab alpibus.
Illi adſunt, pennaque meum alternante calorem
Pellunt, & apto recreant ſpiramine.
Injuſſus venit inde ſopor, quem veſtio molli
Cultu, modiſque talibus delineo.
Nempè gravi geſtat dextra cereale papaver,
Volatque, plumas nec movere diceres.
Opportuna ſuas tum ſicubi porrigit umbras
Ulmus, quiete protrahit parum moræ.
Mox ſe ſe inſinuat nobis, & corpore toto
Incumbit, artus alligatque vinculis,
Velleribus magis, & lanugine mollibus illa,
Quæ poma veſtit leniter cydonia.
Nunc vero ſiquidem vineta rubentia ſerus
Inſtruxit annus apparatu divite;
Ante meos oculos it cultis Bacchus in agris,
Deuſque Baccho cum bimatre capripes.
Ponè venit preſſis Silenus ſordidus uvis,
Hærens aſello deſidi non fortiter.
Ebrius heſterno, atque inflatus membra ſalerno
Vacillat, & labante mento pectora
Tundit ſæpè: ſeni ſatyrorum at læta juventus
Illudit, aures vellicatque pendulas.
Plura quoque effingo cantu portenta, modiſque
Attem-

Attemperatis garrula teſtudine.
Nam tenero ſiquando nemus demulceo verſu,
Statim potenti divido plantas ſono.
Elicioque novas diſrupto è cortice nymphas,
Quæ cantilenis applicant aures meis.
Tum Pan auditum conatus reddere carmen
Momenta cantûs aſſequi tantùm ultima
Voce valet tenui: neque enim cùm verba ſonoris
Ligata metris jacto per denſum nemus,
Echo reſpondet; ſed Pan imitator & omnes
Quicumque ſaltus, & dii ſylvas colunt.
Hæc ego compono Thelioridis incola ruris;
Quæ comminiſcar incola urbis accipe.
Principio in mediis oculo diſcrimino vicis
Turbam inquieto perſtrepentem murmure:
Ilicet inſanos riſus, raucoſque ſuſurros,
Et ambulantem vertice elato ambitum.
Si fora ſuſpenſo viſo circumſona greſſu,
Fraus diſcolore protinus veſte obſita
Apparet, nec non auri ſcelerata cupido
Diducta rictus, atque adunca dexteram.
Quot verò nitidas ſpatientur monſtra per aulas,
Referre nobis longior foret mora.
Hic vultu gracili ſemper jejuna vagatur
Spes, & ſecutus umbram inanem corporis
Ambitioſus honos; hic & quoque paſtus inani
Anhelat aura turgidus Chamæleon.
At livor nigrà ferrugine decolor omnem
Pererrat angulum, & venenato halitu
Juſque, piumque vetat pavitante adrepere greſſu.
Miniſque Verum cogit obmuteſcere
Anteriore ſui pulchra Aſſentatio parte:
Poſt terga verùm turpis & tetra aſpici.

Sed

Sed quid plura? tibi ſi ponere ſingula vellem
Sermone lentum abſumerem longo diem.
Hoc tibi præ reliquis fabor, dulciſſime vatum,
Præſens quod ætas, ſera quod mirabitur.
Ut primò informes mens concinnare figuras
Incæpit, aptas alligari verſibus;
Addixitque tibi, quam mox extunderet odem:
Succincta veſtem fama protinus mihi
Adſtitit, & pennam tremebundis vulſit ab alis,
Parantis uſus inque gratos tradidit.
Tergaque ſuppoſuit ſcribenti accomoda tempus,
Quod ipſa ponè traxerat vinctum Dea.
At ſimul ac nobis eſt tota notata papyrus,
Subduxit armos protinus tempus fugax;
Arreptàque mihi inconſulto pollice plumà
Fama avolavit ſtridulo cum murmure:
Jactavitque tuum, Spinelle, per aera nomen:
Ganges, & Iſter ſepticornis audiit.

ODE XI.

IN AUGUSTISSIMUM
B. M. VIRGINIS NOMEN.

MARIA dulce nomen audiri mihi,
Carmine dulce cani,
Suave verbis exprimi,
Quæ digna laudes barbitos plaudet tuas,
Æmula te poterit
Quænam figura pingere?

Si

Si te liquentis more dicam nectaris
Auribus influere,
Et lene ſenſus ingredi,
Lacryma ſabæi velut odora corticis,
Molle ſubire, velut
Oliva quem ſtillat liquor,
Vocis beatam non ego dulcedinem
Aſſequar: ipſa favi
Exempla quamvis attici,
Dulcemque cannæ proferam ſuccum indicæ,
Haud tibi conſimilem
Delineabo imaginem.
Sunt quæ ominoſum continent vocabula
Horridiora ſonum,
Ingrata dici, & aſpera.
Quæ te, Maria, lingua fingit eloquens:
Anteit Auſonios,
Vincit lepores Atticos
Nec tantùm amicum promovet ſenſus melos;
Sed quoque melliflua
Conſpirat omnis littera,
Conſpirat omnis ſyllaba in gratum ſonum;
Utque magis facilem
Uſum loquenti emolliat,
Obſequitur omni prompta conſuetudini,
Noſque ſinit Mariam
Simul Marian eloqui.
Vitale donec hauriam Cœli jubar,
Non ego laſſus ero
Te nominare Partheni.
Et hora cùm me ſerior vocaverit,
Parte mori vetità
Receptus inter ſydera

Longum in perennes protraham cantum dies:
Nequa mei pariter
Sit muta pars poſt funera,
Quis ſcit, canorus an meo de pulvere
Exoriatur olor
Phœnice vel vivacior,
Qui te per omnes differat mundi plagas,
Nocte, dieque canens
Amabilem vim nominis?

ODE XII.

JAm ruga noſtros exarat aſpero
Errore vultus, & ſtabili nive
Aſpergit incertos capillos
Bruma rigens hyemantis ævi.
Retro minaces triſtia lumina
Fugère in orbes, fugit item vigor
Languore pulſus, decolorque
Ora ſubit tenuata pallor.
Quid eſſe dicam, quòd mea veſperam
Feſtinat ætas præpes ad ultimam,
Expleta quanquam nondum anhelans
Luſtra novem mihi vexit Æthon?
Morbi citato ſcilicet impete
Pronam dierum præcipitant fugam,
Urgentque avernales ſorores
Nigra colùs properare penſa.
Num me reductis ſolibus altera
Reviſet æſtas, num nemus audiet
Me rurſus inflatà cicutà
Mœnaliis dare jura ventis?

An

An rura acerbi conſcia funeris
Flebunt ademptum, flebit arundini
Aſſuetus aſſultare noſtræ
Cingulidis ſacer humor amnis?
Incertum amari temporis exitum
Quæcumque fati linea terminet,
Nil me movet formidoloſi
Pernicies inopina caſus.
Ictus tremendæ falcis ad ultimos
Stabo, frementi qualis in æquore
Immota cautes, aut ſuperbos
Quercus agens per inane ramos.
Tunc nemo noſtros fletibus urgeat
Manes, inani nec cineri paret
Quiſquam ſepulcrales honores
Thure dato, violæque ſertis.
Me nulla feræ poſthuma gloriæ
Cupido tentat: ſat mihi, ſi notet
Hic verſus urnam. *Pulvis eſt, qui*
Scriptor erat Marianus olim.

ODE XIII.

V. CL.

JOANNI APELLI.

Ad ruris delicias invitat.

CUr longos miſero ſervitio teris,
Ingratiſque dies uſibus elocas
Joannes animæ pars melior meæ?
Nec rus deliciis molle valet ſuis

Inviſas animi ſolvere compedes,
Urbis longa tibi quas mora nexuit?
Eja depoſitis hùc age ſarcinis
Curarum, Zephyris ocyus advola:
Hìc ſoles placidos condere liberè,
Hìc noctes dabitur dulce quieſcere:
Hìc curis aliis, atque laboribus
Vitæ blanda tuæ tempora divides:
Mecum, læta caput lux ubi proferet,
Ibis colliculos viſere roſcidos,
Diſtinctos viridi gramine, conſitos
Plantis ſponte ſuà provenientibus:
Illic glandiferà membra ſub æſculo
Ponemus, patulà ſive ſub Ilice:
Etruſcas celeri tu feries manu
Odas, carmen ego præpete Teijum
Ictu percutiam: quidquid inaudiet
Echo populeà ſcribet in arbore:
Crebris intereà mota favoniis
Diſcet mobilibus planta loqui comis,
Nobis ſola tamen nota vocabula.
Mirandum bicolor Populus Herculis
Narrabit facinus, Laurus Apollinis
Vim, caſuſque ſuos primà ab origine:
Cladem, Phylli, tuam non tacitam ſinet
Inſpirata Notis mollis Amygdala:
Quercus chaonio ſemine ſe ſatam
Dicet, cecropio ſtirps Oleagina:
Hæc plantis inerunt ſenſa loquentibus.
Umbras ſed teretes cùm juga porrigent,
Tranſmittemus, aquas cingulides propè,
Horas, tempus iners fallere callidas:
Suſpensà modò nam fagineis lyrà

Ramis,

Ramis, Trinacrià carmen arundine,
Et blandis numeris attenuabimus.
Aſpectus modò nos marginis herbidi
Paſcet verſicolor, plantaque deſuper
Incumbens viridi læta crepidini.
Elabi celeres hiſce morabimur
Proni ſolis equos, dum tenebræ graves
Inducant dubiam rebus imaginem.
Degemus ſimul hoc ruris in angulo,
Campos imbrifero donec anhelitu
Contriſtet Boreas, & nive ſeminet.
Nec te finitimi dira tonitrua
Belli, palliduló ſollicitent metu:
Jamdudum colit hæc Pax loca, cœlibum
Unà cum ſocio Pieridum choro;
Nec poſthàc, etiam ſi velit, avolet.
Nuper Calliope fidere ſuſpicax
Certo ſtare loco difficili Deæ,
Dum ſomnum caperet valle ſub intima,
Illam pennigeris exuit uſibus:
Ex illo, tenerum tonſa latus, lares
Ne mutare quidem Pax bona cogitat:
Quarè perpetuam, ſi ſapis, urbium
Intermitte moram, ruraque florea
Pauliſper poſitis viſe negotiis.

ODE XIV.

IN ſomnolento conticebat otio
Suſpenſa muro barbitos:
Nec me juvabat, ſicut anteà, ſacrum
Carmen ferire pectine:

Me nempè morbus ſevocabat à novem
Apollinis ſororibus.
Mœroris alto dum ſeneſcens in ſitu
Soles amaros tranſigo,
Mihique penè vertor in faſtidia
Noctes peroſus, ac dies:
Adeſſe nobis ecce viſus eſt puer
Succinctus alas candidas.
Geſtabat arcum parte lævà argenteum,
Auráta tela dexterà.
Ex ore riſus inſtar exibat roſæ
Hiſcentis in cacumine.
Traxiſſe ſummo dixeris genus polo,
Si cuncta voce perſequar
Exempla raræ mira pulchritudinis,
Nullique ceſſurum decus:
Nec mora: ſerenis hæſit in me obtutibus,
Mox ora ſolvit aliger.
Cur te poetam nominas ſacrum, tua
Si facta verbis diſſonant?
Aſſuetus olim nempè laudes cœlitum
Blandis modis deducere,
Mutà remittis nunc manum lyrà, fides
Inefficax impellere.
Nec amplius canendæ amicum Virgini
De more tempus elocas.
Suffuſus ora tum pudore non ſuo,
Inertiæ velamina
Noſtræ tetendi: ſi tamen ſono pari
Iners, & æger concinunt.
Tuum poetam parce, dixi, inceſſere
Dictis amor non mollibus.

Si

Si crimen eſt ſilere, morbos in graves
Crimen ſilentis conjice.
Iniqua nobis ægritudo ſcilicet
Spinas in imo pectore
Sevit doloris, quas queant revellere
Nec univerſa gaudia.
Pars nulla amaro corporis ſenſu, gravi
Languore nulla pars vacat.
Mens ipſa torpet, nec vaporum evincere
Tetram valet caliginem.
Quid plura? triſtis inficit pallor genas
Augur propinqui funeris.
Hæc eloquenti, tradidit pennæ loco
Amor nitentem arundinem.
Digitos & inter inferens meos, ſacra
Hac ſcribe, dixit, carmina.
Hæc ubi: regente dexteram meam Deo,
Traho trementes lineas.
Quacumque cuſpis litteræ ibat artifex,
Vias arabat aureas:
At non licebat paginæ committere,
Quod ante mens præſumpſerat.
Primò ſalutem transfugam reduceres,
Te deprecabar, Partheni.
At ille ſcriptam, ait, ſalutem oblittera;
Repone amorem fervidum.
Opes rogabam; ſubdidit, pacem, Puer:
Vertebat in contrarios
Concepta ſenſus ſcilicet verba, & meæ
Ludebat orſa dexteræ.
Dominam potentem te, Marìa, ſcripſeram,
Ancillam at ille protinus
Domini notavit, ſumma ceu laudum foret

Hæc matris integerrimæ.
In exitus ceſſere ſemper irritos
Vani paratus, integram
Donec papyrum permeans crebro gradu
Opus peregit dextera.
Amor notatam tum magiſter paginam
Arctum in volumen complicat:
Commendat uncæ mox ſagittæ cuſpidi;
Arcuque dimiſſam evibrat
Superna regna verſus, & tuas, ait,
Nunc mitto Virgini preces.
Deinde ſe ſe cordium potens Deus
Alis in altum ſuſtulit.

ODE XV.

ERgo nivoſi belliger accola
Rheni, fluentem caſſide Cingulum
Potabit, & ſacrum novenis
Virginibus temerabit amnem?
Lætumque dulci carmen ubi lyrà
Attemperabam, dividuas ſono
Incondito percellet auras
Effera vox ululantis Hunni?
O grata ſedes ruris, & efficax
Lenire curas, ò mea gaudia
Umbroſa tempe, voſnè diri
Exitio dabit ira Martis?
Jam veſtra aratri neſcia jugera
Squallere cerno pulvereò ſitu,
Et plana camporum retortis
Cornipedes inarare ſulcis.

Culta

Culta inſolenti more novalia
Serit cicutis difficilis dolor:
Abſinthio ſevere curæ.
Hæc ſeges, hæc tegit herba campos.
Abominatà meſſe ferax ſolum
Triſtis reliquit cum Bromio Ceres:
Texere ſe ſe ſub cavatis
Corticibus, latitantque Nymphæ.
Credetis? heu heu credite poſteri;
Ex quo ſuperbis Teuto fremens minis
Thelioris implevit ſupinas,
Attonuitque fragore valles,
Peroſa gentis murmura martiæ
Vocalis echo dedidicit loqui,
Fugitque ſub cœcas latebras
Nympha ſono taciturna preſſo.
Non paſtor aptis dulce canens modis
Molli ſub antro carmina dividit;
Non mugiunt colles juvencis,
Non ovibus nemora alta balant.
Tantùm minaci cornua perſonant
Inflata vento, raucaque claſſica:
Attollit hinnitus ad auras
Acer equus, pedibuſque plaudit.
Suprema terræ, maxima cæruli
Mundi poteſtas, quæ rapidis malis
Permittis effuſas in armos,
Sæpè tamen revocas habenas,
Duro labori quem ſtatues modum
Et plura bellis luſtra terentibus?
Jam totus impulſu labaſcit
Ipſe ſuo, & prope nutat orbis.

Effuſa

Effuſa matrum te lacrymantium
Lamenta tangant: te populi preces
Plus audientem vota reddant,
Fulminis immemoremque ſumpti.
Attrita longis hoc vovet Itala
Tellus ruinis: hoc tumidi velit
Potor Garumnæ, ſtrenuuſque
Cantaber, indomituſque Teuto.

ODE XVI.

B. M. VIRGINIS DOTES

Poeticis figuris adumbrantur.

NUnc mihi per vanum quotquot volitatis inane,
Adeſte mentis filii Phantaſmata.
Quandoquidem fidibus nunc ſtat depectere carmen;
De Matre carmen ſcilicet jeſſeja;
Huc modò ferte pedes, notamque reviſite ſedem
Longo labore jam fatigati ingeni.
Vix ea fatus eram, ſubitò cùm apparuit ingens
Populus, minacis fluctuans inſtar maris.
Qualis, ubi incubuit terris violentior æſtas,
Latos per agros vibrat ardor ignipes,
Talis me longo circundedit ordine turba
Imaginoſa, crebra vultus vertere.
Mille quis ennumeret ſpecies, & mille figuras?
Quis mille motus perſequi verſu queat?
Haud aliter fervens atomorum exercitus ibat
Vacuum per immenſum ſenis Gargetii.
Nec mora longa: chaos confuſum cæpit in aptas
Abire partes, explicari in corpora.

Atque

Atque ſub aſpectum ſua per diſcrimina noſtrum
Simulacra præterire, more militum,
Qui ducis ante ſui procedunt ora, viritim
Siquando luſtrat, & recenſet agmina
Poſt viſam ſine re, certo ſine nomine gentem,
Imago tandem prodiit pulcherrima,
Virginis os, habitumque gerens: armata decoro
Terrore vultus, dexteram fortem minis.
In læva clypeus: clypeum deſcripta notabat
Maria, nomen inferæ ſtygi grave.
Lurida ſerpentis gemino pede colla premebat:
Serpentis atrum vulnere attriti caput.
Ipſe tamen mandebat adhuc uxoria poma:
Sed pœnitebat irritæ victoriæ.
Audebatque oculos ſiquando attollere ſurſum
Videri amara puniebat Parthenis.
Reddita tum vox eſt. *Communi labe carentem*
Delineare ſi juvat te Virginem,
Talia pinge. Dein nova viſa ſubire figura,
Ornata frontem, inſtructa liliis manum.
Quodque magis mirere, in fructum exiverat albus
Flos, & prioris manſerat formæ decor.
Tunc iterum tenues dulcis ſonus impulit auras.
Materna Virginis probat fæcunditas
Tale ſui ſpecimen. ſolio mox nixa verendo
Regina ſolis inſtar in medio ſtetit.
Tempora cingebat radiorum argenteus ordo,
Regale ſceptrum eburna geſtabat manus.
Stabant ſub pedibus, moremque elementa gerebant
Nutus heriles exequi celerrima.
Attonitam dum viſa tenent cœleſtia mentem,
Iteratus aures ſermo præſtringit meas.

Hæc

Hæc eſt regnantis ſpecies auguſta Mariæ,
Annoſa rerum cui gerit morem Parens.
Illius ad nutum componitur ilicet aër,
Dicto audientis detumet furor maris
Juſſerit illa? ſua gaudebit ſede moveri
Confixa clavo ferreo neceſſitas.
Et mala diffugient verſis abeuntia ſignis,
Proculque cedet tetra morborum cohors.
Tunc ego ſuſtollens geminas ad ſydera palmas;
O Diva, dixi, vertere in melius mala,
Obſeſſiſque potens languorem pellere membris,
Amica vati conſule ò tandem tuo.
Ipſa vides ut me ſquallens obnubilet horror;
Pallore mœſtæ decolorentur genæ.
Deprædata mei macies tenuiſſima partem,
Umbram reliquit vix inanem corporis.
Nulla mihi ſupereſt præter cantare voluptas:
Cantare nomen, & decus, Virgo, tuum.
Eja age præſidium noſtræ, tutelaque vitæ
Succurre lapſis rebus ò mitiſſima.
Talia verba dabam, cùm me contingere ſacro
Eſt viſa ramo gaudii comes ſalus.
Omnis at in ventos evanida ceſſit imago;
Jucunda nobis invidens ſpectacula.

ODE

ODE XVII.

Viſum.

PAllida purpureus cogebat Lucifer aſtra,
Claudebatque noviſſimus agmen.
Jamque graves auro Pyrois quatiebat habenas
Iraſcens in fulgida lora.
Incertus vigil an ne forem, an me ſomnus haberet,
Mira oculis ſpectacula vidi
Nulla quibus mihi nox, vel imago æqualia finxit,
Vitali poſtquam aere veſcor.
Aulai in medio bifrons matrona ſedebat,
Semper agens, ſemperque quieſcens.
Centum oculos, centumque manus in munia mille,
Innumeros geſtabat in uſus.
Cernere erat circùm non uno ſæcula vultu,
Quæque ſuis conſidere ſcamnis:
Nec non longævis incumbere patribus annos;
Atque annis menſeſque, dieſque.
Obvia miranti trepido ſpectacula vultu
Cæde rubens apparuit annus,
Triſtia qui vaſto modò tempora dividit orbi,
Tartareo carbone notanda.
Aptarat thoraca humeris, haſtamque lacertis,
Umbrabat caput ærea caſſis.
Barbara pugnantem ſic vidit Thracia Martem,
Tale furit Mavortia conjux.
Abſilit ignito veluti de torre favilla,
Ex oculis ſic ardor abibat.
Proximus adſtabat formà non diſpare, triſtis,

Spe-

Spectarique inamabilis annus.
Quin alium parili ſuccedere vidimus irâ
Incenſum, ſtudioque nocendi.
Donec pacali frontem velatus olivâ
Conſpicuum ſe præbuit alter;
Cujus erant vultus hilares, inſtarque ſereni,
Quando diem diſcludit, Olympi.
In manibus gravidæ dependens merges ariſtæ,
Et bicolor cum fronde racemus.
Ponè jacens curvum modò deſpiciebat aratrum,
Docta modò inſtrumenta, micanti
Pollice quæ feriunt vates, ſi quando canoris
Demulcent concentibus auras.
Parva mora eſt: immota loco, vario ordine cerno
Inferiùs conſiſtere fata
Corporis exigui cunctas translucida partes:
Illorum patet unde figurâ
Quod primæva tulit, mox ſerior afferet ætas,
Quid quævis mortalibus hora.
Scire meos cupidus quæ ſors definiat annos,
Incerto vagor undique greſſu:
Undique luminibus vagor: at fatum ecce videndum
Fortè meum ſe decolor offert:
Decolor ut nondum reparatis viribus æger,
Cui morbus mala ſigna reliquit.
Illius ora, habitumque à vertice metior omnem,
Atque meam conſidero ſortem.
Principiò immatura oculis ſe ſubjicit ætas
Funus lamentata paternum:
Namque ubi quina meos æſtas acceſſit ad annos,
Invidit Libitina parentem.
Poſt ver ſuccedit plenæ geniale juventæ,
Virginibuſque dicata novenis

Tem-

Tempora, quæ vanos aliò detorſit in uſus
    Illecebris malè capta juventus.
Iratus, ſtudia inverſam quod ad altera mentem
    Traduxi, pataræus Apollo,
Protinus immiſit triſtem in mea corpora morbum:
    Culpam ideò, crimenque piare
Verſibus incæpi, & vigilato ſæpè labore
    Ad tacitam ſub nocte lucernam.
At licèt extuderim facili tot carmina vena,
    Phæbus adhuc non deſinit iræ.
Quin cladum cumulos, atque inſuper admovet alta
    Creſcentum momenta dolorum.
Quali ſe vultu delapſa oſtenderat ætas,
    Se tali ventura ferebat.
Nempe meos eadem macies, ſquallorque ſevero
    Aſpectu diffinxerat artus.
Penè mihi ſubductus, & extra membra videbar:
    Uſque mei me cæperat horror.
Haud tamen attonitum me tempero, quin ſua quæram,
    Quæ maneant eventa ſenectam.
Et qui poſtremam determinet exitus horam.
    At ſubità caligine preſſis
Luminibus, nubes velum interponit opacum,
    Et votum fruſtratur inane.
Ceu ſolet immotos ſpectantum excludere viſus,
    Quæ ſcenam deſcendit in imam
Carbaſus, ad ſummam venit cùm fabula metam,
    Sic oculis ſe nubila noſtris
Oppoſuere, mihi deſideriumque remanſit
    Extremi ſub fine negotj.
Protinus ipſe mihi poſt tot miracula reddor,
    Meque operum ad conſueta capeſſo.

ODE

ODE XVIII.

Ad Fontem.

O Qui purpurei fons hyperionis
Ardores, gelidis diſſimulas aquis;
Longum in tempus ituro
Quo te carmine conſecrem?
Non te vana colunt numina, ſed levis
Gaudet nare tuo gurgite ſanitas,
Et contenta modeſto
Potu ſobrietas comes.
Noſtris exul ubi ceſſit hyems plagis,
Extorrem thalamo tu vitreo excipis,
Exemploque novellæ
Alges protinus hoſpitæ.
Utcumque ætheriis fiſſa vaporibus
Tellus in cineres dimicet ultimos,
Non unquam ſitis audax
Ripas occupat herbidas.
Hæc feſtiva tibi carmina nunc fero:
At cùm rurſus aquis ſicca dies tuis
Nos admoverit, odà
Tunc donaberis alterà.

ODE XIX.

V. CL.

JOANNI CAMPELLO.

Se ab omni ſervitute, licèt ſplendida, abhorrere.

CAmpelle, non ſi divitis Attali
Me ſorte donet ſplendida ſervitus,
Contexta gemmis, & doloſo
Vincla ſinam mihi neſtat auro.
Satis beatus, ſi fuero meus,
Mihi probabor: nil ſitit amplius
Spes noſtra, progredi nec ultrà
Parca ſui didicit cupido.
Regum favorem diffugere impigrum
Cenſu modeſto provoco, & anxios
Compenſo honores feriantis
Pace animi, veterumque norma.
Fluxam dierum, ut fert animus, fugam
Grati negotj detineo mora,
Meoque diſpenſo per annum
Arbitrio geniale tempus.
Faſtidioſam, cùm libet, urbium
Permuto ſedem, cùm libet, otium
Abrumpo ruris, & paternam
Regredior novus hoſpes urbem.
Si quando rerum ludicra ſomniat
Mens, evagantem fræno licentiam;
Votique compeſco fluentis
Luxuriem vitioſiorem.
Si quando curis pectora mordeor

Mærorem amicis diluo cantibus:
Contraque fortunam minacem
Aſſero me, indomitumque ſiſto.
Mitto ferocis quærere militis
Ludum inſolentem: ſat mihi prælia
Interna veſtigare, & acri
Diſſidio impoſuiſſe morem.
Niſi fidelis propoſiti tenax
Soluta pergam ducere tempora;
Campelle, me Phæbi propinquo
Ponè gradu premat ira vindex;
Noſtrumque nervis diſſilientibus
Allidat amplam barbiton in caput;
Donata nuper & decoræ
Diripiat mihi ſerta laurus.

ODE XX.

VExilla noſtro cùm refigent pariete
Abire certi Pannones,
Abominata læva cornix agmina
Diris memento inceſſere.
Ululanſque tetris in ſepulcris noctua
Ferale carmen accinas.
Humeros inermis, atque inutilis pedes
Sequi abnuat victoria.
Auguria longas hæc tibi ſternent vias
Devota furtis natio.
Simulque te ſol alter ire viderit
Ænotriis procul plagis,
Monumenta gentis ſiqua reſtabunt tuæ,
Altis coacta molibus

Flam-

Flammis dabuntur: hæc erunt incendia
Feſti loco ſpectaculi.
At ipſe taxo funebri evinctus caput
Truces Jambos ingeram.
Archilocus ore quos vibrare ferreo
Vaſrum in Lycambem noverat.
Iteranſque crebros inſuper plauſus pedum,
Clamore ſublato, his rogis
Dicam, relictas barbaræ notas moræ
Vates latinus expiat.

'ODE XXI.

JAm ſatis noſtris liquido Falerno
Pinxit in menſis ſua geſta Teuto:
Jam ſatis ludum dedit inſolenti
Patria Marti.
Mater halantum ſpecioſa florum
Verna tempeſtas; modò quæ latebat
Inter occultas violas, & inter
Abdita vepres;
Senſit ut diras abiiſſe turmas
Extulit lætum caput, & vagari
Jam per anfractus amat, & patentis
Æquora campi.
Quà leves ferri movet illa greſſus,
Floribus natis iter omne vernat;
Teutone infectas & odor beatus
Imbuit auras.
Hactenus belli taciturna curis
Carmen inſtaurat philomela, tantùm
Et ſibi notis rigidum Suevum
Devovet odis.

Me novo tritos peragrare curſu
Nunc juvat campos, ubi feriari
Pacis hybernà tunicata veſte
Bella ſolebant.
Pejor hic dicam Lapithis cruentas
Struxerat menſas rabidus Sicamber;
Hìc fero vocis tonitru fugaces
Terruit auras.
Nec minus teſtà beneolente promam
Si qua Germanum fugere irreperta
In latebroſis potuere cellis
Condita vina.
Sæpè tum Baccho cyathis vocato
Liberos curis agitabo ſoles,
Donec inſurgens aget agmen ante
Sydereum nox.
Ponè nutantem trahet & ſoporem;
Cumque jucundo metuenda ſomno
Viſa, quæ ſævis referent minacem
Teutona formis.

ODE XXII.

V. CL.

THOMÆ CEVÆ

SOCIETATIS JESU.

Ebrua nos riguis, italùm celeberrime vatum,
Villa tenet lætiſſima fundis.
Thelioris me colle, & amico rure, furentis
Summovit vis effera morbi.

Nam

Nam capiti malè firmo illudere cœperat aura
    Montani tenuiſſima Cœli.
Haud tamen invitus mœſtos ibi tranſigo ſoles:
    Hìc habitat quoque gratia triplex;
Nec non blanditiis gnara oblectare voluptas,
    Atque hilari bona gaudia vultu.
Uſurpata oculis quin ſi ſpectacula pandam,
    Nunquam alibi mihi viſa, verendis
Non tot prodigiis, dices, dodonia ſylva
    Claruit, aut Latonia Delos.
Sepè tener curru Phæbus deſcendit ab alto
    Depoſita radiante corona:
Dignaturque ultrò mea viſere rura, vacantem
    Quadrigam moderantibus horis.
Ille manu radio gaudet depingere ſumpto
    Diductos in vertice flores;
Et modò frondosà ſuper arbore poma colorat:
    Maturis modò meſſibus aurum
Allinit æſtivum, pronàque æſtate, coloris
    Dulce facit diſcrimen in uvà,
Si quas ignavà cernit torpere ſub umbrà,
    Et reſides ſibi parcere plantas,
Extemplò ſtimulos tardè creſcentibus addit,
    Et ſolo juvat augmina viſu.
Februa nec tantùm roſeus ſol arva frequentat;
    Regnator quoque Tarrus aquarum
Permutat noſtris muſcoſa cubilia campis,
    Uſta ſitit cùm ſolibus æſtas.
Perque pruinoſos incedit roſcidus hortos,
    Atque humoris egentia prata.
Nec mora: quà ponit veſtigia, ſigna ſequuntur
    Inſoliti manifeſta viroris.

Inſtauratque animos moritura caloribus herba,
 Et vires fata læta reſumunt.
Parva loquor: liquidà vel Juppiter ipſe figurà
 In cultos delabitur agros:
In gremium Danaes velut imbrifer influat, aurei
 Nota iterans mendacia nimbi.
I nunc, & Patrias effer geminata per oras,
 Ceva, afræ pomaria ſylvæ.
Et ſua commendant noſtram miracula villam
 Heſperidum potiora viretis.



EPIGRAMATUM
LIBER I.

Digitized by Google

AD FRANCISCUM I.

PARMÆ, & PLACENTIÆ D.

Cùm Author ex albo militiæ equeſtris diſpungeretur.

PONere militiæ, te Princeps magne, popoſci,
Inviſum ut ſineres nomen, onuſque meæ.
Nec mora: das citius, quàm nobis poſcere viſum eſt,
Anteveniſque tuo penè favore preces.
Siqua igitur noſtris dudum obſtitit invida votis,
Hæc mora poſcentis, non mora dantis erat.

In idem.

Cùm author rus viſeret.

UMbriferi colles, & muſis hoſpita rura
Apta meas lenire, animique rèmittere curas;
Ut vos mæroris diſcuſsà nube reviſo,
Aſpicioque libens! non vos ego quæſtibus ultra
Compellabo meis, teſteſque vocabo doloris.
Hos gemitus audiſtis, & hæc lamenta, ſopore
Cum me depulſo tuba matutina ciebat
Fictam ad militiam, durique imitamina belli.
Nunc procul hos jubet eſſe metus Farneſius, acer
Muſarum vindex, priſcique aſſertor honoris.
Vos illum poſthàc mutata voce referre,
Vos illum poſthàc mecum diſcetis amare
Umbriferi colles, & muſis hoſpita rura.

Ad

Ad CAROLUM CYGNANUM Pictorem celeberrimum, ob B. VIRGINEM in cœlum aſſumptam ab eodem depictam.

Quam tu partheniam pinxiſti, Carole, Matrem,
Talis, cùm divùm templa ſubiret, erat.
Quin de materno quæ gloria nomine ſurgit,
Quæ de virgineà dote, colore refers.
Ergò non aliter pingi velit inclyta Virgo,
Pingi mortali ſi velit illa manu.

Ad eundem.

Dum tabulas pingis, pariter te, Carole, pingis.

In idem ad eundem.

Quæ noſtros habet una, & ſemper habebit amores,
Eſt tibi tam pulchris picta Maria modis,
Ut prope ſubverear, dum pictam conſpicor, alter
Ne mihi picturæ concipiatur amor.

De PHILOMUSO.

Quotquot ab occiduis eduntur ſcripta Britannis,
Quotquot item Batavis, Auſoniiſque ſimul;
Enarrat toti Philomuſus, & indicat orbi
Menſtruus inſulſæ conditor hiſtoriæ.
Quodque magis mirere, omnes diſcrimine nullo
Immeritis libros laudibus accumulat.
Deceptoque ideò malè de lectore meretur,
Authori contra eſt officioſus homo.
Demens, qui gratis arcam diſtendere nummis
Tali nimirum callidus arte putas,
Si Philomuſe lucri te ſpes incenderat, author
Non tibi, ſed lector conciliandus erat.

De eodem.

DAt linguæ nova jura audax Philomuſus etruſcæ,
Eloquiumque ſuo temperat arbitrio.
Monſtraque componit, fingitque tricorpora vocum,
Qualia non tellus itala ferre ſolet.
Nec ſatis hoc: regni leges & ſcita latini
Vertere civili ſeditione parat.
Nam velox noſtras nuper pervenit ad aures
Rumor, jam toto diditus in populo,
Ut, qui debet honos latio ſermone vocari,
Illi perversà lege vocetur onos.

De eodem.

AUdes te magno Philomuſe æquare poetæ,
Quem jactat civem Græcia tota ſuum.
Illiuſque tuis componis carmina, verùm,
Pace tua nequeo credulus eſſe tibi.
Luminis officium tibi abeſt unius; & abſit
Alterius; mihi tunc alter Homerus eris.

AD FABIANUM.

QUò Fabiane tuos peragas feliciter annos,
Ut mala cuncta fugis, ſic bona cuncta cupis.
Quodque fugis reperis, quodque optas non capis unquam,
Nam vivis miſeros ſpeque, metuque dies.
Falleris infelix: vis eſſe beatus? inane
Quærere mitte bonum, mitte timere malum.

AD

AD B. VIRGINEM.

DUlce canit geminà ſub noctis, & arboris umbrà
Dulce canit totos & philomela dies.
Hujus ad exemplum, quàm te quoque, Virgo, diſertis
Dicere poſſe modis nocte, dieque velim!
Ut non amplius ars ſtudiis exercita noſtris,
Sed natura ſuum dulce frequentet opus.

Ad eandem.

QUi te non amat, alma parens, hunc rupis adeſæ
Cautibus, alpinis adnumeroque feris.
Qui modò amat te, Virgo, modò intermittit amorem
Mobilior foliis eſt, leviorque notis.
Sed certas proprio qui metas ponit amori,
Frigidius glacie pectus amator habet.

Ad eandem.

JUcundum eſt nobis te, Virgo Mater, amare;
Sed quandoque meum metus hic contriſtat amorem,
Num dilecta ſatis mihi ſis, num culta Maria.
Sed benè: dum tali cruciat me cura timore,
Hæc me cura magis, timor hic me cogit amare.

Ad Deum O. M.

QUid cupiam, dubito, nec ſat ſcio, Maxime rerum,
Vitanè grata magis ſit mea, morſnè mea.

Vivere dulce mihi eſt, quia dum mihi ſuppetit ætas,
Servitii fiunt tempora longa mei.

Dulce mori eſt pariter, quia dum me vita relinquit,
Ponitur erratis ultima meta meis.

In Mortem

ELISABETHÆ TREVISANÆ,
&
JOANNIS MAUROCENI,
designatorum conjugum.

COmpoſito Eliſabes, Maurocenique hymenæo
Ibat ovans pharetratus Amor, factique ſuperbus
Laude, videbatur ſummo ſibi dignus honore:
Ergò ingens monumentum, ingentemque apparat aram,
Quæ facinus longos illuſtre loquatur in annos;
Atque hoc deducto breve carmen ſignat in auro.
Hæc victor ſibi fecit amor, poſuitque trophæa.
Inſignem titulum mors viderat; & levis, inquit,
Quis faſtus tumidum ſpe vanà extollit amorem?
Sic ait, & geminos lethali figit amantes
Cuſpide, quos feſtivus amor ſociare parabat,
Atque hæc expuncto nova carmine verba reponit.
Hæc Mors de victo ſibi ponit amore trophæa.

In

In Quendam carpentem Authoris opera poetica.

NOſtra importunus reprehendit ſcripta Batyllus,
Et totum verſo pollice damnat opus.
Indocti nil me movit cenſura Batylli;
Si me laudaſſet, læſerat ille magis.

Arborum certamen.

NUper in umbroſo ſpatiabar colle; ſed ecce
Arbor, quæ totum veſtibat plurima collem,
Certare inter ſe, & civilia bella movere,
Quæ tibi, Virgo parens, potiore accedere viſa
Ponè foret titulo, & præclara exempla referre.
Nec mora ſe vitis, ſe fagus decolor offert,
Illa, quòd eſt plantis magis utilis omnibus una,
Hæc, quia non unquam connubia novit; & ipſe,
Quamquam humilis, quamquam plebea ſorte creatus
Se rubus in medium proferre ſuperbior audet.
Parthenidis nam ſe jactat decora alta notaſſe,
Olim cùm rapidis arderet ab ignibus, ignis
Nec tamen impendens frondes conſumeret ardor.
Indè aliæ, atque aliæ prætendunt plurima plantæ
Nomina, quæque ſuam peragitque audacula cauſam.
Tunc ego devexi reſidens in margine clivi
Diſſidii medius certamina tanta diremi.
Quotquot in hoc tractu ruris frondetis opaca
Haud ulla ex vobis, dixi, ſe comparet alti
In ſpeciem decoris, tantæque imitamina laudis.
Finibus his aliena, ignotique hoſpita cœli
Vindicat hunc ſibi palma, & ſola meretur honorem:
Nam

Nam foliis licèt illa ſuis ſit pulchra, feraxque
Sit fructu, nil ſurgit inambitioſius illà.
Elatis neque enim ramis ſe tollit in altum,
Prona ſed, & patrias reſpectat cernua glebas:
Hæc ideò magis eſt imitari viſa Mariam,
Qua nil nobilius, nihil & demiſſius unquam
Orbe fuit toto, nec erit dum terra manebit.

Ad TITUM tempore Bachanaliorum inſulſæ vetulæ ſibi perſonam imponentem.

QUid ſimulas vultus Tite perſonate ſeniles?
Diſce vir eſſe prius, ſi cupis eſſe ſenex.

Amor erga Deum.

NOn amo te, ſupreme Parens, mercedis amore;
Sed tua ego tantùm te bona propter amo.
Nempe meæ ſi te causà utilitatis amarem,
Non amor ille tui, ſed foret ille mei.
Ergò mihi ſtat amare, etſi non ulla manerent
Præmia virtutem, nullaque pœna ſcelus.

In nummos in Britannia percuſſos, ubi ex una parte legitur LODOICUS MAGNUS, ex altera verò ANNA MAJOR.

QUos ſpectas, cudit ventoſa Britannia nummos,
Scriptus ubi Lodoix Magni cognomina præfert.
Majoris jactat titulum Regina Britanna:
Credula, quæ tantos fruſtra præſumis honores!
Ille Deo aſſeruit regnum, ſacriſque latinis;
Aſſere tu contra tria regna, & habebere Major.

SUB

SUB EFFIGIE
JOANNIS BAPTISTÆ
CICOGNARII

Unius ex primariis urbanæ militiæ præfectis, & Comitis.

FOrtunam ex aliis: ex me ſua diſcite jura
Militiæ ſervata, fidemque, & nomen avitum.

Dialogus ex Gallico.

Viator. *Turtur.*

V. QUid gemis in ſicca miſerabilis arbore turtur?
T. Triſtia ſublato compare fata queror.
V. Nec metuis, quin te ſævus quoque vulneret auceps?
T. Hæc niſi mortis erit cauſa, erit ipſe dolor.

V. CL.
VINCENTIO BONDENO
JURISCONSULTO.

Ob Oteri juriſconſulti hiſpani opus de paſcuis notis adauctum, & illuſtratum.

SÆcula, Vincenti, ſi te primæva tuliſſent,
Cùm tener Admeti pavit Apollo greges,
Vel tua veniſſet conſultum oracula Phebus
Reſponſo cupiens doctus abire tuo.

Scit

Scit benè cornigeros, duce te, quò Tityrus hædos,
Scit benè quò placidas ducat Alexis oves
Quæque prius ſolers indicta reliquit Oterus,
Clarius in ſcriptis digeris ipſe tuis.
Laus habet hiſpani de te quò creſcat Oteri:
Sed tantùm de te, quò tua creſcat, habet.

V. CL.

JOSEPHO CERVIO
PHYSICO,

In Lyceo Parmenſi primario profeſſori.

Ob reſtitutum mentis, & corporis vigorem.

ÆGer eram: fer opem dixi, Joſephe; nec ulla
Eſt mora: fers tutam Delius alter opem.
Quodque magis mirum eſt, non tantùm corpora, feſſi
Sed pariter vires erigis ingenii.
Nempe alacer, vegetuſque obeunda ad munia reddor,
Et mens ritè ſuo fungitur officio.
Laus magna eſt partem mortalem in corpore, major
Cœleſtem curà reſtituiſſe tuà.

De

De DIONYSIO PETAVIO
SOCIETATIS JESU.

DIva tibi carmen Genoveſa Petavius æger
Voverat, à voto convaluitque ſuo.
Concepta in longum ſed carmina diſtulit, undè
Converſo rediit morbus, ut ante, gradu.
Et ſimulac iterum vovit, promiſſaque ſolvit,
Ceſſit deſidiæ pœna, malumque ſequax.
Quis poſthac luſus, & inanes carmina nugas,
Quando aliquid ſuperis ſunt quoque viſa, putet?

De ineptis poetarum Danorum carminibus, ſub nomine deliciarum poetarum Danorum editis à

FEDERICO ROSTGARDIO.

CImbrorum evulgas, Federice, poemata vatum,
Appoſitoque vocas nomine delicias.
Noſtra tuæ quantùm diſtat ſententia! nam quæ
Sunt tibi deliciæ, ſunt mihi ſupplicia.

In N. N., qui Syngrapham ſibi ſuffragantem dolosè ab authore obtinuit.

VErba vafer, nec diffiteor, mihi, Juſte, dediſti:
At quoque ſcripta tibi quid niſi verba dedi?

AD

AD

ANTONIUM FRANCISCUM

COMITEM SANVITALEM.

In album S. R. E. Cardinalium relatum à Clem. XI. P. M.

QUi modò purpurei pars diceris una Senatus,
Antoni, tanto virtus te ſcripſerat ante
In numero, qualiſque ideo, quantuſque videris.
Non facit, at toti te Clemens indicat orbi.

Ad eundem.

NUper honorato caput inſignite galero
Antoni mihi carmen eras; cum flavus Apollo
Increpat, & præſens quid, ait, te gloria tangit?
Nomina ſi vatis non ſunt tibi vana, canendas
Non tibi præſentes, ſed laudes ſume futuras.
Dixerat. Ipſe dei monitis genialibus audax
Ire per ætatis meditor venientis honores,
Et cano romani jura immortalia ſceptri,
Jura tuæ virtuti, & avitæ debita famæ.

DIVO

DIVO THOMÆ

AQUINATI

Ob defenſam ſcriptis Religionem orthodoxam Simulacrum erigitur.

Nobile Aquinati ſimulacrum ponere tento,
Quale nec argivus potuiſſet fingere Mentor:
At nondum mihi certa ſedet ſententia, quænam
Apta coronandæ circundem ſerta figuræ.
Porrigit è lauro contextam Muſa coronam,
Frondibus è quernis offert reſpublica ſoſpes
Chriſtiadum, quod nempe ſuos ſervaverit ille,
Et cives tutetur adhuc, ſcriptiſque diſertis
Afferat imperii jus immortale latini.
Ecce autem vitta præcincta ſupervenit alba
Relligio, atque manu radios oſtentat, opacæ
Invideant ſtellata quibus ſpectacula noctis;
Mox ait; iſta decent noſtrum diademata Solem.
Dixit, & ex oculis evanida ceſſit imago.

FINIS.

Digitized by Google

Imprimatur.

F. Monacellius Vic. Gen.

Imprimatur.

F. Carolus Hyeronimus de Maphæis P. Vic. S. Off. Parmæ.

Vidit.

Laurentius Maſini Præſes C.

Digitized by Google

		ERRATA	CORRIGE.
Pagina 17.	verſu 22.	aras,	aras
24.	17.	vibratemque	vibrantemque
72.	21.	amantes.	amantes
74.	26.	doma	dona
78.	32.	Svevi	Saevi
79.	3.	Svevi	Suevi
92.	8.	Comædus	Comœdus
106.	8.	exſuccum	exuccum
132.	23.	afractus	anfractus
165.	1.	eos	eoos
175.	9.	laudis.	lavdis
180.	14.	Suerant	Sverant
217.	33.	irraſcor	iraſcor
251.	24.	tantumodò	tantummodò
253.	29.	ſol	ſol
270.	30.	duturnaque	diuturnaque
286.	5.	firmamtemquè	firmantemquè
289.	6.	Cauſa	Cauſa
295.	19.	præſta	præſtat
296.	21.	folis	foliis
303.	12.	piſcibus	piſcibus
304.	17.	corona.	corona
305.	10.	*A.*	*J.*
327.	6.	fluentes.	fluentes
332.	21.	taurùm	tantùm
358.	26.	ſimillimmà	ſimillimà
378.	13.	exſuccus	exuccus
380.	15.	liminæ	limine
401.	27.	aet	aer
403.	23.	invenilis	juvenilis
422.	24.	exſuccas	exuccas
450.	15.	Suave	Svave
461.	17.	Suave	Svave
Ibidem.	19.	Suetaque	Svetaque

MAG 2014313

Digitized by Google